
3 1761 07830197 5

MICHAELIS SZVORÉNYI

PAR. ET V. ARCHID. KARÁD. S. THEOL. DOCT. I.

COMITATUS SIMIGHIEN. TAB. IUD.

ASSESSORIS.

IUS PUBLICUM

COMMUNE, ET PARTICULARE

ECCLESIAE HUNGARICAE.

PARS GENERALIS.

WESZPRIMII,

TYPIS MICHAELIS SAMMER.

1803.

Sentenția Censurae Regis.

Operose nimis, et multa eruditione conscriptum Ius publicum Ecclesiae Hungaricae cum voluptate legi, atqve pro munere meo ad Typum subscripsi. - - -

Iosephus Beresevich m. p.
Revisor lib. et Canonicus Diakovariensis.



Reverendissimo Domino IOANNI HORNYIK, Almae Cathedralis Ecclesiae Weſzprimiensis Canonico longaevam felicitatem!

Qvod blattis, imo piperi devotas hasce chartas, ab interitu vindicaveris; qvod TE solo minime contentus, ut TUA qvoqve TECUM sacrata esse Bono communi, palam doceres, mihi neqve cogitanti, sumtus typo necessarios, tam promtus obtuleris, ut affirmares etiam, haud minore zelo TE necessarium aes, qvam me operam, in opus hoc conferre: publicas hic gratias reddo. Reddent alii fortassis etiam ampliores, dum talia legerint, qvae libello hoc aeternis obruto

te-

tenebris, ignoravissent. Vale mi Domine Reverendissime, libriqve huius autorem, post viginti annorum labores literarios, bis mille, atqve ducentarum Animarum cura spirituali penitus obrutum, tantoqve sub onere fatiscentem, unus TU saltem gratiis fove.

Devotissimum TIBI
operis autorem.

Ecclesiastico lectori Hungaro salutem!

Post multa Historiarum ab aliis edita volumina, et compendia, me qvoqve in isto materiarum genere versatum fuisse non infeliciter, testes habeo nonnullos Ecclesiae Hungaricae Praesules, a qvibus, conscripta per me *Historia Religionis, et Ecclesiae Christianae*, mox, ut vidit publicam lucem, probata est, hodieqve probatur, illo potissimum nomine, qvod Ecclesiae Hungaricae res, oportune habeat intermixtas

tas. Illud etiam opus, qvod sub titulo *Amoenitatum Historiae Ecclesiae Hungaricae*, postmodum vulgavi, plausum tulit sane multorum. Testantur id Literae Virorum eruditissimorum, qvibus me honorare non sunt dedignati. Confido fore, uti eamdem ob causam, istud *Iuris Publici Ecclesiastici communis, et particularis Ecclesiae Hungaricae* compendium, non sit ingratum; illis proculdubio, qvi pro debito amoris in Patriam, domestica diligunt magis, qvam aliena. Qvisqvis mea haec non obiter legerit, proprios ad fontes exacta sine mendo, reperiet, indignationemqve videbit meruisse qvosdam Iuris Ecclesiastici tractatores, qvi anserum in-

instar seqvuti alter alterum, lucubrationes suas impleverunt provocationibus erroneis, commemorando numeros capitulorum non exstantes, vel capitula proferendo, rem, de qva est sermo, nullo pacto tangentia: nec infreqventer, verba Legis aut corrupta, vel in alium detorta sensum, produxere. Absit a me tam grande literarium crimen. Propositum mihi praeterea est, dissimulandi qvidem studiose prorsus nihil: at neqve pronunciandi qvicqvam iis de rebus, qvae salva integritate Fidei Catholicae, et caritatis Christianae, propugnantur ab illis, ab istis negantur. Fors oratio sibi non constans, displicebit. Sed mihi tacèndum fuit,

cum

cum Evangelia, Patres Ecclesiae, sacra Concilia, Leges Patriae, Romani Praesules, et Apostolici Reges, loqvebantur. Vale mi lector! meumqve hunc laborem, nullo tibi debitum iure, gratus accepta.

Iuris Publici Ecclesiastici Communis, et Particularis Ecclesiae Hungaricae.

PARS GENERALIS.

CAPUT I.

De illis, penes qvos est externum Ecclesíae Regimen.

Pag.

§. XII.

Pag.

§. XXXVIII.

CAPUT II.

De fontibus propriis Ecclesiastici Iuris.

§. LXIII.

Pag.

§. XCII.

Pag.

§. CXX.

§. CXLVII.

CAPUT III.

De fontibus remotioribus Ecclesiastici Iuris.

§. CLXXII.

IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

Communis et Particularis Eccl. Hung.

PARS GENERALIS.

CAPUT I.

De illis, penes qvos est externum Ecclesiae Regimen.

§ I.

Christus novam Societ. condidit.

Veteris Ecclesiae Iudaicae, qvam nominabant Synagogam, futuram aliqvando abolitionem, et institutionem alterius, praedixerant Prophetae, Divino Spiritu impulsi. a) Novae istius Ecclesiae conditor, Propheta futu-

A rus

a) Osee III, 4. Malach. I. 11.

rus erat similis Moysi; b) qvi secundum caracteres ab iisdem Prophetis adductos, c) fuerat Jesus Nazarenus, tempore Caesaris Augusti, in Bethlehem natus. Et vero, pro tali semet gessit ille, cum suscepto praedicationis munere, delegit praeterea viros XII. qvos nominavit Apostolos; d) tum alios LXXII. qvos dimisit binos in omnem Civitatem, qvo erat ipse venturus: e) omnes, ceu Legis, ac Religionis ab se revelatae futuros propagatores, atqve doctores. f) Praedicationibus addebat miracula, ut his multitudinem suae societati adgregaret. g) Reapse *sequebatur eum multitudo magna, qvia videbant signa, qvae faciebat super his, qui infirmabantur.* h) Tunc demum professus est, sibi non deesse oves, atqve se pastorem esse. i) Qvapropter dubitari neqvit, novam fuisse conditam a Christo societatem, quae per omnem subinde or-

b) Deut. XVIII. 18. XXXIV. 10. c) Eorum loca produxit Obstraët de loc. Theol. dissert. I. quaest. 1. d) Luc. VI. 13. seqq. e) Luc. X. 1. f) Matth. XXVIII. 19. Marci XVI. 15. g) Matth. XI. 5. h) Joann. VI. 2. i) Joann. X. 7. 11. 14.

orbem ab Apostolis, horumqve discipulis propagata, mox ab incunabulis, nomen societatis *Christianae*, ab auctore suo hoc modo compellatae, conseqvuta fuit, qviqve hanc ingressi sunt, *Christiani* coeperunt nominari. k)

§. II.

Procurandae salutis aeternae causa.

Societatis hujus finem, ob quem coaluit, aeternam hominum salutem esse, autor eius aperte docuit. *Haec est autem* inqvit, *voluntas Patris mei, qvi misit me: ut omnis qvi videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* l) Et rursum: *Qvi crediderit, et baptisatus fuerit, salvus erit, qvi vero non crediderit, condemnabitur.* m) Atqve hinc tota docuit sacra antiqvitas, extra hanc societatem salvari neminem posse. Qva de re Theologi tractant. Qvibuscum nos oportet meminisse dicti huius Apostolici: *Unum*

k) Act. XI. 26. l) Joann. VI. 40. m) Marci XVI. 16.

corpus, et unus spiritus. . . . Unus Dominus, una fides, unum baptisma. n)

§. III.

Haec societas dicitur Ecclesia.

Societas Christiana, per antonomasiam *Ecclesia* vocatur, qvamvis Graeca vox *Ecclisia*, evocationem significare possit, multitudinemqve hominum, sive in malum, seu in bonum aliqvod consentientium. o) Porro ex eo, qvod sacra haec societas adpellata fuerit a S. Cypriano, *plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens;* p) a S. Ambrosio, *Congregatio, quae in unum connexum corpus, atque compactum unitate fidei et caritatis, consurgit;* q) et a S. Augustino, *populus fidelis per universum orbem diffusus:* r) non inconcinne definiri potest Ecclesia Christiana, *coetus hominum, Christianae fidei societate coniunctorum, qvi sub Romani Ponti-*

tifi-

n) Ephes. IV. 5. o) Ita psal. XXV. 5. XLIX. 1.
p) Epist. ad Florent. Pupian. edit. Tirn. pag. 360.
q) Lib. 3. de offic. cap. 3. num. 9. r) Lib. de catechisand. rudib. cap. 3.

tificis, ceterorumqve legitimorum Pastorum regimine, verum Deum colunt, aeternae salutis obtinendae causa. s)

§. IV.
Quae visibilis est.

Ecclesia Christiana cum sit hominum in hac terra viventium societas, ut sit visibilis, oportet. Qvare Propheta Esaias hoc Eam pacto descripsit: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius: qvia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* t) Christus qvoqve comparavit Ecclesiam suam Civitati, supra montem locatae, ac lucernae positae super candelabrum; u) et qvoniam audiri hanc tam gravibus praecepit verbis, ut refracta-

rium

s) Legito Melch. Canum de loc. Theol. L. IV. c. 2. t) Esaias II. 2. seq. u) Matth. V. 14.

rium, ex eius gremio iusserit eiici: v) talem esse proculdubio supponebat, qvae cognosci ab omnibus possit, qvicunqve morem ei gerere, obedientiamqve praestare debent.

§. V.
Ac perpetua.

Nec brevi temporis spatio, Ecclesiae suae aetatem circumscripsit Servator Dominus, verum ad finem usqve mundi, hanc duraturam esse pronunciavit. *Docete* inqvit, *omnes gentes - - docentes eos servare omnia, qvaecunqve mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usqve ad consumationem saeculi.* w) *Ego rogabo patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* x)

§. VI.
Est in ea potestas ferendi leges.

Tam longaeva Christianae societatis duratio; Eius insuper coalitio ex hominibus, qvi plurimis defectibus sunt obnoxii, illud

sane

v) Matth. XVIII. 17. w) Matth. XXVIII. 19. x) Joann. XIV. 15. 16.

sane deposcebant, ut haec societas legum vinculo stringeretur, qvae bona praeciperent, vetarent mala. Isthinc vero seqvebatur eorum necessitas, qvi potestatem haberent ferendi leges, ad obtinendum finem alias memoratum, (§. II.) oportunas. Revera Christus ab se conditam societatem nolens informem relinqvere, constituit ei Rectores, et normam regendi praescripsit; y) potestatem tribuit pascendi, z) ligandi, atqve solvendi. a) Qvam ob rem, Paulus Apostolus hoc modo alloqvebatur Ecclesiae Praepositos: *Attendite vobis et universo gregi, in qvo vos Sp. S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, qvam acqvisivit sangvine suo.* b) Qvodsi facta poscuntur, adsertum confirmatura: praesto erunt ferme totidem, qvot numerantur sacra Concilia, ab illo inde Apostolico, qvod Act. XV. memoratur, usqve ad domesticum nostrum, anno 1714. Qvinqveecclesiis celebratum. c) In qvibus plerumqve, agendi cavendiqve leges, per Episcopos sancitae fuerunt.

§. VII.

y) Matth. XVIII. 16. 17. z) Joann. XXI. 15. seq. a) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. b) Act. XX. 28. c) Ap. Péterf. T. II. p. 413.

§. VII.
De obiectis fini suo congruis.

Agenda porro cavendaqve Christifidelibus, qva talibus, illa sunt, qvae cum fine societatis Christianae superius memorato, connexionem habent. Videlicet res *fidei*, qvatenus Ecclesiasticae potestatis est, fidelibus declarare, num hoc illudve assertum, fide supernaturali debeat credi. Res *morum*; Ecclesia qvippe decernit, an haec illave actio honestati congruat, vel ab hac abludat: ponenda proin ut licita, vel ut illicita, prorsus cavenda. Obiecta *sacrorum Rituum*, puta earum actionum, externorumve signorum, qvae cultum Dei promovent, atqve ad augendam in cordibus hominum veram pietatem, conducunt. Tandem illa, qvae ad exteriorem *Ecclesiae gubernationem* spectant. Circa haec enim obiecta versatam fuisse a primis inde temporibus potestatem sacram, docent totidem Synodi, qvot in Ecclesia Christi, hactenus celebratae memorantur.

§. VIII.

§. VIII.

Ad servand. unit. fidei et caritatis.

Cum porro finis ultimus institutae societatis Christianae, fuerit aeterna hominum salus: (§. II.) haec vero sine fidei et caritatis unitate neqveat obtineri; idcirco utriusqve custodiam lex Christi magnopere inculcat; d) totusqve institutae potestatis Ecclesiasticae scopus, in hisce duobus terminatur.

§. IX.

Sed non de temporalibus obiectis.

Tam societatis Christianae, qvam et potestatis in illa constitutae finis, innuit, obiecta *mere temporalia*, gubernationi Ecclesiasticae neutiqvam subiici. Demonstrant vero istud penitus, dicta Servatoris, qvi a Pilato interrogatus, num ipse Rex Iudaeorum esset? Regnum suum non esse de hoc mundo, respondit. e) Neqve tale igitur sive amplum, seu restrictum, contulit Apostolis, eorumve suc-

d) De fide, imprimis Matth. XXVIII. 19. seq. Marci XVI. 15. seq. De caritatis unitate praecipue Matth. XXII. 37. Joan. XIII. 34. seq. Ad Ephes. IV. 1. seq. e) Joan. XVIII. 36.

successoribus: cum potius eosdem Apostolos, de temporali praerogativa disceptantes, aperte reprehenderit; f) mittendoqve ipsos, eo modo, qvo ipse fuerat missus a patre: g) non temporalem eis, sed mere spiritualem contulerit potestatem, baptisandi videlicet, h) docendi, i) remittendi praeterea, retinendiqve hominum peccata. k) Qvamobrem Petrus Apostolus, optime gnarus Dominicae voluntatis, sic animarum Rectores admonebat: *Pascite, qvi in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neqve turpis lucri gratia, sed voluntarie: Neqve dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* l) Qvibus verbis in rem suam usus Bernardus Clarevallensis, hoc pacto alloqvebatur Pontificem Eugenium: *Neqve-tibi ille Petrus dare, qvod non habuit, potuit, qvod habuit, hoc dedit, sollicitudinem scilicet super Ecclesias: Numqvid dominationem? audi ipsum: Non dominantes ait,* in

f) Marci X. 43. Luc. XXII. 26. g) Joann. XX. 21. h) Matth. XXVIII. i) Ibid. item Marci XVI. 15. k) Matth. XVIII. 18. Joan. XX. 23. l) 1. Petri V. 2.

in Clero, sed forma facti gregis ex animo; et, ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Planum est Apostolis interdici dominatum. - - Forma Apostolica haec est, interdicitur dominatio, indicatur ministratio, qvae commendatur ipsius exemplo Legislatoris. m)

§. X.

Item potestas iudicandi.

Cum potestate legislativa, qvam esse in Ecclesia Christi, iam diximus, (§. VI.) intime coniuncta est potestas iudicandi eos, qvi huic Ecclesiae ceteroqvin subiecti, leges in ea sancitas praevaricantur. Qvamobrem Christus eum, qvi post unam, et alteram monitionem fraternam, obseqvi noluerit, Ecclesiae iudicio deferendum edixit. n) Paulus Apostolus iudicavit incoestuosum Corinthium;

m) De consid. Lib. II. cap. 6. Plura leges ap. Dupin de antiqva Eccles. discipl. diss. VII. et passim recentiores Canonistas. n) Matth. XVIII. 17.

thium; o) et normam praescripsit Timotheo Episcopo ab se creato, iudicandi Presbyterum; ne scilicet adversus hunc recipiat accusationem, nisi duo tresve testes fuerint in promptu. p) Adsertum confirmat perpetua consvetudo. Indicata est persona et doctrina Pauli Samosateni Antiochiae anno Christi 264. et 269. Arii Nicaeae anno 325. Macedonii Constantinopoli an. 381. Nestorii Ephesi an. 431. Eutychetis Chalcedone an. 451. atqve deinceps aliorum per series temporum, usque ad Synodum Zagrabiensem, praeside Georgio Draskovich celebratam, in qva Michael Buchich Catholicae Religionis desertor, poenam excommunicationis tulit. q)

§. XI.

o) 1. Cor. V. 3. seqq. p) 1. Tim. V. 19. q) Edita est haec Synodus e MSS. monasterii Remetensis Zagrabiae 1771. Meminit qvoqve ipsius Georg. Draskovich qva A. Ep. Coloc. et Administrator Jaurin. in encyclica, per qvam Sabariae an. 1579. celebrandam Synodum, convocabat. Qvae typis Pragensibus an. eod. excusa, atqve celebri Péterffio ignota, in Bibliotheca Kis-Czenkensi habetur.

§. XI.

Atqve reos puniendi.

Cum potestate ferendarum legum, coniuncta est legis transgressores puniendi potestas. Haec enim ad efficaciam Legi obtinendam, perqvam est necessaria; cum in Ecclesia, quae ex hominibus coaluit, ad praevaricationem partim natura, partim malitia propensis, non omnes utiqve legis amore, vel legislatoris reverentia, verum quam plurimi timore solo possint in officio contineri. Adsertum facta probant, ceteraqve omnia paulo antea e Scripturis Sanctis, et Ecclesiae conciliis allata. (§. praec.)

§. XII.

Spiritualibus poenis.

His vero ipsis, tum fini institutae Ecclesiae, (§. II.) dein scopo legum Ecclesiasticarum, (§. VIII.) ipsarumqve obiectis, (§. IX.) ut consonet poena, mere spiritualem esse oportet. Qvare Petrus a Domino commonitus, ut gladium, qvo auriculam Malcho praeciderat, reponeret *in vaginam*: r) deinceps

r) Matth. XXVI. 52.

ceps ipse commonebat animarum pastores, ut pàscant gregem Dei *providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum.* s) Isthuc alludens B. Anselmus, Cantuariensium in Anglia Praesul, inqviebat: *Sunt et ministri saeculares, a qvibus temporalia, et spirituales; a qvibus tractari debent spiritualia. Datur ergo materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit Regibus, qvod ad stolam pertinet, sic nec Episcopis, qvae Regis sunt, exercere: qvod qvia Petrus, qvi figuram rerum spiritualium gerebat, materialem gladium qvodammodo exercuit, dum auriculam servi amputavit, a Domino increpari meruit.* t)

§. XIII.

Legib. Eccl. debent obseqvi fideles.

Legibus Ecclesiasticis Christifideles vicissim, non coacte, verum spontanee secundum Deum obseqvi debent. Obseqvium hoc deposcit correlatorum natura. Ridiculum qvippe esset ius praecipiendi, (§. VI.) qvodsi

s) 1. Petri V. 2. t) Homil. in Evang. Matth. cap. 26.

si obseqvendi necessitatem nemo sibi impositam haberet. Deposcit qvoqve huiuscemodi obseqvium natura societatis; cui dum se qvispiam addixit, particeps fieri cupiens beneficiorum, eius qvoqve semet oneribus subiecit. Idcirco Christifidelibus e Iudaismo conversis, et susceptione Sacri baptismatis Ecclesiae gremium ingressis, aiebat Paulus Apostolus: *Obedite Praepositis vestris, et subiacete eis: Ipsi enim pervigilant, qvasi rationem pro animabus vestris reddituri.* u)

§. XIV.

Post suffic. promulgationem.

Attamen obedientia impossibilis erit, nisi lex, cui obseqvendum est, promulgetur. Idcirco Christus doctrinam ab se traditam, toto terrarum orbe voluit per Apostolos promulgari; v) et Paulus gentium Apostolus, qvi docuerat, sine fide impossibile esse, placere Deo: w) id etiam docuit: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* x) Quamob-

u) Ad Hebr. XIII. 17. v) Matth. XXVIII. Marci XVI. Act. I. w) Ad Hebr. XI. 6. x) Ad Rom. X. 17.

obrem leguntur Apostoli et Ecclesiae seniores, cum Paulo ac Barnaba misisse Iudam et Sylam ad Ecclesias Antiochiae, Syriae, atqve Ciliciae, legem abstinendi ab idolothytis, sangvine, et suffocato, in Concilio Jerosolimitano recens latam, promulgaturos. y) Id, qvod deinceps qvoqve factitatum est in Ecclesia Christi. z)

§. XV.

Et salvis cuiusqve iuribus.

Imo, qvoties de iis legibus agitur, qvae non ex revelatione Divina, sed ab Ecclesiastica potestate manant: earum autoritas, etiam post sufficientem promulgationem, salvis duntaxat iuribus hominum, qvibus ante has leges iuste fruebantur, subsistit. Sapientis qvippe legislatoris est, ferre legem, qvae in aedificationem sit, et non in destructionem.

Quod-

y) Act. XV. 22. z) De promulg. Constit. in Later. III. Conc. factae qvoad medicos lege in Decretal. Greg. IX. cap. 13. *de poenit. et remiss.* De promulg. decreti per Conc. Trid. lati sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 1. legat. Bulla Pii IV. ad calcem. Conc. Trid.

Quodsi porro qvaevis lex ecclesiastica ligaret, non spectatis iuribus oppositis seu singulorum, sive multorum, id in destructionem tenderet, et ad perturbationem reipublicae utriusqve. At vero hoc alienum est a voluntate Dei, qvi cum sit autor sapientissimus utriusqve societatis, nimirum civilis et sacrae, a) optimiqve ordinis: dedecebat sane Eius sapientiam, talismodi potestatem concedere sive uni earum, sive ambabus, per cuius abusum, in ipsarum altera perturbatio nasceretur. Alienum est etiam a voluntate Servatoris, qvi potestatem in Ecclesia constituit, ad conservandam fidei et caritatis unitatem. (§. VIII.) Fixum hoc assertum, firmumqve stare, non paucae constitutiones ecclesiasticae supponunt. Qvarum unam alteramve legito: Bonifacius VIII. aiebat: *Licet Romanus Pontifex, qvi iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem, qvamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; qvia tamen locorum specialium, et personarum singularium consvetudines, et sta-*

a) Prov. VIII. 15. Ad Rom. XIII. 1. 2.

tuta (cum sint facti et in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliqvo derogare. b) Patres vero Concilii Tridentini, qvamvis Principes in Domino monerent, ut eorum sollicitudine, qvaecunqve ibidem sancita erant, ab omnibus recipiantur: Supponebant tamen posse qvaedam occurrere, qvae non ab omnibus recipienda sint, saltem in his recipiendis aliqvam difficultatem oriri posse. c) Et rem sane acu tetigerunt. Nam constitutio, qvam paullo antea tulerant sess. XXIV. decr. de reform. cap. 20. puta, de Romana causarum adpellatione, cum libertate Hungarica, atqve cum art. 19. 1471. 63. 1498. evidenter pugnabat, idcirco numqvam apud nos recepta.

§. XVI.

b) Cap. 1. de constitut. in 6. His similia leges cap. 12. de off. iud. ord. Cap. 9. de donationibus. Cap. 10. 16. 19. 31. de privil. Cap. 8. et 16. de rescriptis in 6. c) Decr. de recipiendis et observandis decretis Concilii.

§. XVI.

E legum complexu natum est ius Eccl.

Leges Ecclesiasticae, sive penitus, seu cum restrictione, aut cum cautelis observandae, *Canones* aliqvando dicebantur. d) Qvorum nomine intelligimus *regulas actionum, ab iis positarum, qvi, et qvatenus in Ecclesia Christi existunt.* Canonum, seu legum memoratarum bene ordinata complexio, *Ius Ecclesiasticum* audit, qvod aliter *Canonicum* nominatur.

§. XVII.

Divinum et humanum.

Istius iuris varia est divisio. Nam origine inspecta, aliud *Divinum* est, aliud *humanum.* Illud, Deum habet autorem, istud homines, potestate legislativa instructos. Porro cum duplex sit Divinae voluntatis cognoscendae via, nempe una rationis, altera revelationis: Divinum qvoqve ius, vel *naturale* est, vel *positivum.* Ius humanum, aut

d) Vide Gratian. distinct. 3. can. 1. 2. Bened. XIV. de Synodo Dioec. lib. I. cap. 3. num. 2. seq.

Apostolicum est, qvatenus leges complectitur ab Apostolis conditas, puta legem ieiunii qvadragesimalis, et si qvae praeterea sunt ab Apostolis profectae: aut *Ecclesiasticum*, qvod componitur e legibus Synodalibus, Pontificiis, Episcopalibus, atqve etiam civilibus, qvatenus illae respiciunt immediate bonum religionis, et Ecclesiae Christianae.

§. XVIII.
Publicum et privatum.

Ecclesiasticum ius, aliud *publicum* est, qvod leges complectitur determinantes iura et officia illorum, qvi Christianae societati cum potestate spirituali praesunt, qvatenus haec omnia, ipsam societatem concernunt; aliud *privatum*, qvod singulorum Ecclesiae membrorum actiones et causas privatas dirigit ad finem, cuius gratia haec societas condita fuit.

§. XIX.
Commune et particulare.

Utrumqve ius, tam publicum scilicet, qvam et privatum, vel *commune* est, vel *par-*

ticu-

ticulare. Illud per totam, aut ferme totam Christi Ecclesiam obtinet, istud vero nonnullis duntaxat Ecclesiis proprium est. Qvamvis enim una eademqve sit omnibus ad Ecclesiam Christi pertinentibus regula credendi: qvae tamen ad gubernationem externam, ritusve sacros pertinent, qvemadmodum pro circumstantiis locorum, temporum, rerum, ac personarum conditae sunt, ac etiam debent conditae esse: (§. XV.) ita his aliqvando mutatis, ipsae qvoqve leges immutari possunt, ac etiam immutantur. Hinc datur *ius publicum Ecclesiasticum particulare Ecclesiae Hungaricae*; de qvo praesentem opellam scripsi.

§. XX.

Illud ferendi non omnib. par potest.

Iurisdicundi, legesqve in Ecclesia ferendi, seu communes, sive particulares, non omnibus parem esse potestatem, Religionis Catholicae dogma est, idcirco hic pauculis duntaxat expediendum. Christus Dominus tantum XII. elegit Apostolos, e) qvibus adiun-

e) Matth. X. 1. seqq. Lucae VI. 13. seqq.

iungendo alios LXXII. f) his commisit praedicandi, illis etiam regendi munus. (§. VI.) Per singulas Ecclesias, Apostoli singulos tantum constituebant Rectores, g) et qvidem peculiari ordinatione ad munus rectorale destinatos. h) Paulus gentium Apostolus non omnibus, verum solis Ecclesiarum rectoribus dixit: *Attendite vobis et universo gregi, in qvo vos Sp. S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* i) Non istis vero, sed aliis dixit: *Obedite Praepositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, qvasi rationem pro animabus vestris reddituri*; k) atqve sic innuit distinctionem ordinis ac plebis. l) Totum vero dixit, cum aiebat: *Qvosdam qvidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, - - numqvid omnes Apostoli? numqvid omnes Prophetae? numqvid omnes doctores?* m) Recte S. Gregorius Nazianzenus:

Ordo

f) Lucae X. 1. g) Act. XIV. 22. Ad Titum I. 5. h) 1. Tim. IV. 14. item 2. Tim. II. 6. i) Act. XX. 28. k) Ad Hebr. XIII. 17. l) Lege Trident. Conc. sess. XXIII. de Sacram. Ord. cap. 4. m) 1. Cor. XII. 28. seqq.

Ordo in Ecclesiis qvoqve constituit, ut alii oves sint, alii pastores; alii praesint, alii subsint, ac pareant: alius velut caput sit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud qvoddam corporis membrum, ad totius Ecclesiae concinnitatem, ac utilitatem, vel inferius, vel praestantius. n)

§. XXI.

Nam datur Hierarchia Ministerii.

Nec vero illis duntaxat, qvi in sensu Ecclesiastico plebi adnumerantur, sed ne ceteris qvidem adscriptis licet Ordini, par est in Ecclesia Christi gradus, vel potestas; cum conservatio unitatis (§. VIII.) deposcat graduum varietatem ac subordinationem, qvae superiorem hunc, illum esse iubeat inferiorem. Atqve hic graduum, certa lege sibi mutuo subordinatorum concinnus ordo, *Hierarchia* seu principatus sacer compellatur. Cuius profecto duplex munus, puta *ministerii*, ac *regiminis* ab se distinctum est. Ad Hierarchiam ministerii, seu Ordinis pertinet Episcopatus, cui proprium est, conferre sacra-

n) Orat. 1. de sacerdotio.

cramentum Confirmationis, ac Ordinis. Item Presbyteratus, cui competit potestas consecrandi Corpus et sangvinem Domini, remittendi praeterea, retinendiqve peccata. Deniqve Diaconatus cum potestate ministrandi aliis Eucharistiam, baptisandi, atqve praedicandi. Haec omnia, cum demonstrentur in scholis Theologorum, suffecerit notasse hanc Patrum Tridentinorum sententiam: *si qvis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, qvae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.* o)

§. XXII.

Etiam ex institut. Eccl.

Ceteri Ordines in Ecclesia, et diversa Horum munia, sunt Ecclesiasticae institutionis. De qvibus ita Synodus Tridentina pronunciavit: *Ab ipso Ecclesiae initio seqventium Ordinum nomina, atqve uniuscuiusqve eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectores, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, qvamvis non pa-* ri

o) Sess. XXIII. de Sacram. Ord. can. 6.

ri gradu. Nam Subdiaconatus ad maiores Ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in qvibus et de aliis inferioribus freqventissime legimus. p)

§. XXIII.

Item Hier. externae gubern.

Nec vero solius ministerii, sed externae qvoqve gubernationis principatum, a Christo in Ecclesia sua constitutum fuisse, dicta superius plenissime probant. (VI. X. XI. XIII. XX.) Ut proinde sola definitio Hierarchiae, in toto suo complexu intellectae, sit a me depromenda hoc modo: *Sacra potestas iuxta diversos gradus officiorum et functionum inter ministros et rectores Ecclesiae, ad Divina Mysteria celebranda, dispensandaqve, et ad regendam Ecclesiam, instituta.*

§. XXIV.

Etiam Ecclesiastici iuris.

Reddita praesertim Ecclesiae Christianae plena pace, auctaqve Christianorum multitudine:

p) Sess. XXIII. de Sacram. Ord. cap. 2. Plura de his leges apud Selvagium in institut. Antiqvit. Christ. parte II. lib. 1. cap. 3.

dine: qvo felicius colligari posset totum Ecclesiae corpus vinculo fidei et caritatis, veluti praecipuo condendae societatis Christianae scopo: (§. VIII.) instituti sunt diversis temporibus, qvi praeter potestatem ex ordine Hierarchico profluentem, mutuatam sibi haberent, etiam externae gubernationis auctoritatem. Qvorum diversi gradus tunc enumerabuntur, cum de ipsis dicendum, ordo, qvem observandum decrevi, ita feret.

§. XXV.

Eminet in Illa P. Rom.

In Hierarchia gubernationis Divino iure instituta, primus est Pontifex Romanus. Qvod cum ceu dogma fidei Catholicae, multo argumentorum adparatu propugnent Theologi, qvorum imprimis gratia, hanc opellam scribo, paucula proferam, consectariorum duntaxat hinc profluentium causa. S. Petro primatum a Christo collatum in Ecclesia, probant Sacrae literae; q) Romanum Eius Episcopatum, ad mortem usqve retentum, vetusti Romanorum Praesulum catalogi, a Petri

q) Matth. XVI. 18. Ioann. XXI. 15. seqq.

tri Episcopatu semper inchoati; r) successionem vero ceterorum Urbis Romanae Praesulum, non tantum in Episcopatu Petri, sed etiam in primatu ac potestate respectu totius Ecclesiae, nubes Patrum; s) Synodi permultae; t) ipsaqve Pontificum facta confirmant. Damnabant qvippe illi pro suprema iurisdictione sua, permultas haereses, et illarum autores. u) Qvare hoc unum superest, ut cum Patribus Florentinae Synodi generalis, profiteamur *Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum, successorem esse B. Petri Principis*

Apo-

r) Tales sunt, qvos texuerunt, Irenaeus, Tertull. Euseb. Optatus Milevit. Hieron. Epiphanius, Augustinus. Qvorum loca videsis in meo opusc. in scripto: *Caussa Relig. contra Helvet. et Aug. Confess. cultores defensa.* §. XX. s) Vide ibid. enumeratos § XXXI. t) ibid. §. LXXXVI. u) Stephanus rebaptisantium doctrinam. Damasus Apollinaristarum. Helvidii ac Ioviniani Siricius. Pelagii Innocentius primus. Vide cit. op. LXXIX. Adde mei olim in Univ. Vindobonen. Professoris Petri Mariae Gazzaniga tract. de virtut. Theol. dissert. III. cap. 1. seqq.

Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusqve Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem, et Doctorem existere, ipsiqve in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo, plenam potestatem traditam esse; qvemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.

§. XXVI.

Conservandae unitatis causa.

Plenam hanc potestatem, Romano Praesuli, conservandae in Ecclesia unitatis causa fuisse collatam, et illa generalis causa evincit, qvod qvaevis Ecclesiastica potestas, memorati finis obtinendi gratia sit instituta: (§. VIII.) et haec specialis, qvod Antistes Romanus, fuerit semper velut unitatis istius *centrum* aestimatus. Qvod paucis evincam. S. Irenaeus Episcopus, et Martyr anno Christi 202. de Romana Ecclesia inqviebat: *Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam.* v) S. Cyprianus Episcopus, et anno Chri-

v) Lib. 3. adv, haer. cap. 3.

Christi 258. Martyr, sic aiebat: *Loqvitur Dominus ad Petrum: Tu es Petrus. - - Tibi dabo claves regni Coelorum. Et qvamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat: sicut misit me vivens Pater ita et ego mitto vos: - - tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem disposuit.* w) Ecqvis autem sit *unus* ille, his expressit verbis: *Una est Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis, et ratione fundata. Nam exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur.* x) S. Optatus Milevitanus Praesul, sub an. Christi 380. vita functus, dicebat Parmeniano homini Donatistae: *Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem collatam, in qva sedebat omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus, in qva una cathedra unitas ab omnibus servaretur.* y) Qvapropter S. Hieronymus Damaso Papae haec scribebat: *Ego nullum primum, nisi Christum seqvens,*

Bea-

w) Lib. de unit. Eccl. x) Epist. 70. y) Lib. 2. contra Parmen.

Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Qvicunqve extra hanc domum comederit, profanus est. Si qvis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. z)

§. XXVII.
Atqve post Apostolos.

Ad Hierarchiam institutam a Domino, tam ministerii, (§. XXI.) qvam externae gubernationis, (§. XXIII.) pertinuisse reliqvos etiam Apostolos, Catholica veritas est, hic paucis demonstranda. Ministerii potestatem, collatam eis, aut si mavis dicere, svave onus impositum fuisse, vidimus: (§. I.) alteram vero comprobemus. Exercuerunt illam Apostoli, qvando septem Diaconos non solum pro sacro ministerio, sed ad conservandum qvoqve externum inter fideles ordinem, constituerunt. a) Cum deinde praecipiebant Christianis Antiochiae, Syriae, et Ciliciae, *ut ab immolatis simulacrorum, et sangvine, et suffocato, et fornicatione* penitus ab-

z) Epist. parte I. edit. Tirnav. pag. 61. a) Act. VI.

abstinerent. b) Paulus, specialiter a Domino vocatus ad Apostolatum: c) alias qvidem cum Syla perambulabat Syriam et Ciliciam, *confirmans Ecclesias: praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum;* d) alias vero usus potestate Hierarchica, Corinthium incestuosum eiecit e fidelium gremio, e) moxqve recepit, *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* f) Praeceptum dedit, qvaliter donis extraordinariis utendum sit in conventu sacro; g) qvalitates praescripsit viduae in Diaconissam eligendae; h) Corinthiis poenam est comminatus, suamet autoritate Apostolica serio infligendam. i) Atqve sic sensit tota retro antiqvitas sacra. Nam Cyprianus aiebat: *Apostolis omnibus parem potestatem tribuit post resurrectionem; hoc erant utiqve et ceteri Apostoli, qvod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris, et potestatis.* k) S. Hieronymus: *At dicis, super Petrum*

b) Act. XV. 29. c) Act. IX. item ad Gal. I. d) Act. XV. 41. e) 1. Cor. V. 5. f) 2. Cor. II. 6. g) 1. Cor. XIV. 23. seqq. h) 1. Tim. V. 9. i) 1. Cor. IV. 21. et 2. Cor. XIII. 1. k) S. Cypr. lib. de unit. Eccl.

trum fundatur Ecclesia, licet hoc ipsum alio in loco, super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni Coelorum accipiant, et ex aeqvo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur. l) S. Ambrosius: *Nec Paulus inferior Petro, qvamvis ille Ecclesiae fundamentum, et hic sapiens architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum: nec Paulus inqvam, indignus Apostolorum collegio, cum primo qvoqve facile conferendus, et nulli secundus; nam qvi se imparem nescit, facit aeqvalem.* m) S. Gaudentius Episcopus Brixinensis, sub ann. Christi 427. mortuus, aiebat: *Omnes Apostoli Christo resurgente, in Petro claves accipiunt, qvin imo cum Petro coelestis regni claves a Domino accipiunt, qvando ait illis: Accipite Sp. S. qvorum remiseretis peccata, remittuntur eis, et qvorum retinueritis, retenta sunt.* n)

§. XXVIII.

l) Lib. 1. adv. Iovin. m) Lib. 2. de Sp. S. n) Orat. 16. in die suae ordinat.

§. XXVIII.

Ceteri Episcopi.

Qvum porro haec fuerit voluntas Divini Fundatoris, ut societas Christiana per eum condita, semper maneat: (§. V.) id seqvebatur, ne potestatem Hierarchicam alligaret Apostolis, paucum post tempus morituris, sed ut in alios qvoqve transferret. Sane transferendam esse, tunc innuit Servator, qvando se cum Apostolis usqve ad consumationem seculi permansurum, spopondit. o) Translatam vero esse, non ad qvoslibet Christianos, verum ad illos, qvi passim *Episcopi* coeperunt adpellari, p) ex alias dictis constat. (§. XX.) Agnoverunt istud vetustissimi in Ecclesia scriptores, et sancti Ecclesiae Patres. Nam Tertullianus, necdum ipse haereticus, hoc pacto haereticis illudebat: *Edant haeretici origines Ecclesiarum suarum. Evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille*

 Epi-

o) Matth. XXVIII. 19. p) Originem huius nominis expressit S. Hier. ep. ad Evagrium. Qvae legitur ap. Gratian. dist. XCIII. can. 24.

Episcopus aliqvem ex Apostolis, vel Apostolicis viris; qvi tamen cum Apostolis perseveraverint; habuerit auctorem, et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum a Ioanne collatum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit. Perinde utiqve, ut ceterae exhibent, qvos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habent. q) S. Hieronymus autem ita loqvutus fuit: *Ubicunqve fuerit Episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, - - - eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotii. - - Ceterum omnes Apostolorum successores sunt.* r) Qvot praeterea numeramus Episcoporum Concilia, totidem habemus argumenta, exercitae perpetuis temporibus per illos, velut successores legitimos Apostolorum, Hierarchicae potestatis. Plura relinqvens Theologis, solam adiicio Concilii Tridentini definitionem: *Episcopos, qvi in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordi-*

q) De praescript. adv. haer. cap. 32. r) Ep. ad Evagr.

Ordinem pertinere, et positos - - a Sp. S. regere Ecclesiam Dei. s)

§. XXIX.

Regimen ergo Eccl. non est Monarchicum.

Qvamvis porro in Ecclesia Christi sit Hierarchia, sed non videtur esse *pura Monarchia.* Haec enim penes unam solamqve personam residet. Qvalem in Ecclesia Christiana qvaerimus incassum, ut primum firma sunt, qvae nuper adduxeramus. (§. XXVII. seq.) t)

§. XXX.

Nec democraticum.

Democratici autem regiminis, ne umbra qvidem esse potest in Ecclesia Christi. Nam viget illud, qvando imperium ad omnes Cives collective sumtos ita pertinet, ut simul omnes imperent, singuli obseqvantur; et constituti Magistratus non iure suo; verum po-

 puli

s) Sess. XXIII. de Sacram. Ord. cap. 4. t) Lege Magnifici D. Consiliarii Georg. Sigism. Lakics Iuris publ. Eccl. partis general. §. LXXXV. seqq.

puli totius voluntate regant. At vero Ecclesiam a Christo constitutam, esse societatem inaeqvalem, ubi nimirum alii sunt, qvi regant, Divinaqve dispensent Mysteria: alii, qvi regantur, et qveis bona spiritualia dispensentur, patet evidenter ex assertis. (§§. VI. XIII. XX. XXV. XXVIII.)

§. XXXI.
Neqve aristocraticum.

Aristocratici regiminis forma in Ecclesia Christi locum perinde non habet. Eius enim haec est natura, ut minor Civium pars, *Optimatum*, *Procerum*, *Ordinumve* titulo insignita, ceu corpus morale, summam teneat imperii. At vero in Ecclesia Christi unus est, qvi honore, ac iurisdictione reliqvis antecellit. (§. XXV.)

§. XXXII.
Sed Monarchico-aristocrat.

Qvia tamen haud solus est iurisdictione spirituali praeditus: (§. XXVIII.) seqvitur, formam regiminis Ecclesiastici, monarchico-aristocraticae similiorem esse.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

In Hier. iuris Eccl. sunt Cardinales.

Primi inter Aristocratas Ecclesiae, secundum ordinem Hierarchicum constitutione humana institutum, (§. XXII.) post Romanum Pontificem, sunt sacrae R. Ecclesiae Cardinales; qvorum adpellatio sumta a rebus, qvae suo in genere ceteris eminent, et in qvibus illae, velut in cardine vertuntur, ad qvaslibet subinde personas Ecclesiasticas translatum est, qvae cuipiam Ecclesiae adscriptae fuerunt. u) Verum illud tandem obtinuit, ut *Cardinalis* nomen, ad solum Ecclesiae Romanae Senatum, Pontifici Romano constanter assistentem revocaretur. Varius fuit olim Cardinalium numerus, donec Sixtus V. decrevisset, ut non plures creari possint, qvam septuaginta; sex videlicet Episcopi, qvinqvaginta Presbyteri, Diaconi vero qvatuordecim; assumendi ex cunctis orbis Christiani nationibus; legitimis, honestisqve natalibus orti; vitae probitate, morum candore, doctri-

u) Espen Iuris Eccl. parte 1. tit. 22. cap. 1. Ant. Schmidt institut. Iuris Eccl. Germaniae adcommodatae T. 1.

ctrinaqve conspicui; et qvos praeterea studium salutis animarum commendet; qvibus deniqve nullus Cardinalium superstitum, in primo vel secundo cognationis gradu sit conjunctus. v)

§. XXXIV.

Qvorum tituli enumerantur.

Horum titulos isthic depromam eo prorsus modo, qvo ipsos in catalogo Romano typis vulgato legi. Sunt igitur *Cardinales Episcopi:* Ostiensis, simulqve Velitrensis, Collegii sacri Decanus. Portuensis, qvi et S. Rufinae, sacri Collegii Pro-Decanus. Albanensis. Praenestinus. Sabinensis. Tusculanus. *Cardinales Presbyteri:* Tit. SS. Laurentii et Damasi. Sancti Marci. S. Laurentii in Lucina. Sanctae Praxedis. SS. Marcellini et Petri. S. Pudentianae. SS. duodecim Apostolorum. S. Thomae in Parione. S. Agnetis extra muros. S. Mariae de populo.

v) Natalis Alex. hist. Eccl. saec. XVI. cap. I. art. 22. Dominici Macri Hierolexicon, verbo: *Cardinalis.* Nec praetermittendum silentio Conc. Trid. sess. XXIV. decr. de ref. cap. 1. sub finem.

pulo. S. Silvestri in capite. S. Caeciliae. S. Balbinae. S. Alexii. S. Petri in vinculis. S. Mariae de pace. S. Matthaei in Merulana. S. Laurentii in pane et perna. S. Eusebii. S. Ioannis ante portam Latinam. S. Mariae Angelorum ad thermas. SS. Ioannis et Pauli. S. Stephani in monte Coelio. S. Mariae in via. S. Nerei et Achillei. S. Mariae de ara Coeli. S. Mariae in Trastevere (seu transtyberim). S. Calisti. S. Augustini. S. Mariae supra minervam. SS. Trinitatis in monte Pincio. S. Bernardi ad thermas. S. Clementis. S. Martini in montibus. S. Onuphrii. S. Bartholomaei in Insula. S. Mariae in Dominica. S. Priscae et S. Sixti. S. Sabinae. S. Susannae. S. Petri in Montorio. S. Hieronymi Illyricorum. SS. Qvirici et Iulittae. S. Pancratii et S. Marcelli. S. Mariae Transpontinae. SS. qvatuor Coronatorum. S. Crucis in Ierusalem. S. Chrysogoni. S. Anastasiae. *Cardinales Diaconi*: S. Mariae in Cosmedin. S. Mariae in via lata. S. Mariae ad Martyres. S. Agathae ad suburram. S. Eustachii. SS. Viti et Modesti. SS. Cosmae et Damiani. S. Nicolai in

car-

carcere Tulliano, S. Georgii in Velabro. S. Angeli in foro piscario. S. Mariae in Aqviro. S. Adriani. S. Caesarii. S. Mariae in porticu Campitelli. S. Mariae ad scalas. Praeter istos honorarii sunt, qvi titulum Ecclesiae nondum habent.

§. XXXV.

Patriarchae.

Secundum Cardinales, eminent *Patriarchae*, qvi provinciis pluribus, et earum qvibuslibet Antistibus praesunt. Horum nomen, *Principem patrum* significat, usurpaturqve in veteris Testamenti scripturis non raro; w) a Sanctis qvoqve Patribus in Ecclesia Christiana saepicule, verum diverso sensu. x) Attributum est tandem Praesulibus: Romano, Alexandrino, Antiocheno, Ierosolimitano, et Constantinopolitano; partim ob Petri honorem, et reverentiam, cum Romanam atqve Antiochenam Ecclesiam ipse rexerit, Alexandrinam vero instituerit per discipulum Marcum: partim ob excellentiam Urbium,

w) Protulit haec Scripturae loca Dupin de antiqva Eccl. disciplina diss. I. §. 5. x) Ibidem.

bium, quae tunc in Imperio Romano ceteras anteibant. Varia illis fuerant suis temporibus iura, y) hodie vero magni nominis umbra superest; potestas autem haud amplior, qvam sit Primatum. Numerantur seqventes Patriarchae in Ecclesia Catholica: Antiochenus, Alexandrinus, Constantinopolitanus, Hierosolimitanus, Aqvileiensis, Venetus, Indiarum, Ulissiponensis, Babiloniae, Nationis Chaldaicae in Mesopotamia, Ciliciae Armenorum, Antiochiae Graecorum Melchitarum, Antiochiae itidem Maronitarum, et Syriorum.

§. XXXVI.
Primates.

Succedant Patriarchis Primates, qvorum adpellatio primis Ecclesiae Christianae saeculis, promiscue Praesulibus Metropolitanis, ac Patriarchis competebat; in Numidia vero, ac Mauritania Praesulibus ordinatione senioribus data fuit; donec fieret propria paucarum

y) Lege Selvagii antiq. Christ. institut. cap. XVII. proposit. 3. partes. 1. lib. 1.

rum Urbium Episcopis, qvi unius Provinciae Metropolitanis hoc modo antecellunt. z)

§ XXXVII.
Primas Regni Hung.

In Ecclesia Hungarica *Primas* idem est, qvi strigoniensis Ecclesiae Praesul, non tam institutus primum, qvam confirmatus anno 1452. per Nicolaum V. Pontificem, cui referebat Rex Ladislaus V. *qvod olim, postqvam Ecclesia Strigoniensis per B. Stephanum Hungariae primum Regem fundata est, - - - tam ad ipsius B. Regis, qvam aliorum post ipsum in eodem regno successorum instantiam per diversos Romanos Pontifices - - prae aliis eiusdem Regni Ecclesiis, Primatiae illius Praesul pro tempore existens - - officio et honore insignitus exstiterit.* a) Uni hoc titulo praeest Metropolitano Colocensi, et cunctis Praesulibus Catholicis, qvi sub sacra Regni Hungariae Corona degunt.

§. XXXVIII.

z) Dupin cit. diss. §. 2. Selvag. cit. op. et parte, cap. 18. a) Ex literis Nicolai PP. ap. Pray in specim. Hier. Hung. parte 1. pag. 86.

§. XXXVIII.
Metropolitani.

Metropolis, spectata vocis origine Graeca, est civitas mater. Hinc dicti Praesules *Metropolitani.* Qvemadmodum enim civitas, qvae Metropolis erat cuiusqve regionis, ceterarum eiusdem provinciae mater salutabatur, ac praecipuum tenebat magistratum: sic pedetentim, liberisqve moribus effectum est, ut, qvi Praesul Urbis Metropolitanae fuerat, ceterorum in eadem Provincia caput evaderet, praesesqve, dictus Metropolites. Hodie Metropolitani, dicuntur etiam *Archiepiscopi*; qvamvis hic titulus, primum Romano soli, et Patriarchis datus fuerit; postmodum illis etiam, qvi pluribus praeerant Metropolitanis; tandem Episcopis nulli Metropolitano subiectis. Qvales hodieqve in Italia esse dicuntur. b)

§. XXXIX.
Metropolitanus Strig.

Strigoniensis Antistes, *Metropolitanus* est, a primaeva institutione Ecclesiarum, per S. Re-

b) Selvag. cit superius op. Lib. I. parte 1. cap. 20.

S. Regem Stephanum facta. Qvippe teste Carthuitio, *is provincias in decem partitus Episcopatus, Strigoniensem Ecclesiam metropolim, et magistram ceterarum fore constituit.* Tum rogabat Silvestrum II. Pontificem, misso Romam Astrico, *ut Strigoniensem Ecclesiam in Metropolim, suae subscriptionis auctoritate sanciret.* Id qvod revera conseqvutus fuit. c) Insuper Nicolaus V. Pont. datis anno Christi 1452. in favorem Archiepiscopi Strigoniensis, ac Metropolitani literis, referebat, expositum sibi per Regem Ladislaum V. fuisse, *qvod olim, postqvam Ecclesia Strigoniensis per B. Stephanum Hungariae primum Regem fundata, et velut omnium aliarum ipsius Regni Ecclesiarum prima, et magistra in Metropolim auctoritate Apostolica erecta, et decorata* existit, Primatiae non minus honore fuerit insignita. d) Ad provinciam Strigoniensem, ceu Metropolitanam pertinent Episcopi: Agriensis, Albaregalensis, Iaurinensis, Munkacsiensis, Neosoliensis, Nitriensis, Qvinqveeccle-

c) Carthuit. ex edit. Pray. p. 130. 132. d) Ap. Pray in specim. Hier. Hung. parte I. pag. 87.

clesiensis, Rosnaviensis, Sabariensis, Scepusiensis, Vaciensis, et Vesprimiensis. e)

§. XL.

Metropolitanus Colocen.

Seqvitur in Ecclesia Hungarica Praesul Colocensis, cuius Metropolitica dignitas, qvandonam coeperit, adhuc qvaeritur. Astricus qvidem in diplomate S. Regis Stephani, anno 1015. in favorem Abbatiae Péchvaradiensis dato, nominatur *Archiepiscopus:* f) at vero cum Astrici vita, desiit hic titulus, eam ob rem ipsi a Pontifice Romano concessus, qvod Sebastianum Strigoniensem Archimystam, caecitate percussum, in munere per triennium sublevasset. g) Successorum eius in

e) Ipso momento, qvo istud scribebam, tristis adfertur nuncius, Veszprimiensem 24. Febr. inter 11. et 12. noctis horam expirasse; cum annum aetatis 82. complesset, Episcopatus annum 25. compleret. f) Ap. Péterffy in Concil. Hung. T. I. p. 4. Kollar hist. diplom. p. 81. Ign. C. de Batthyán in legib. Eccles. R. H. p. 375. aliosqve Scriptores rer. Hung. g) Carthuit. pag. 137. edit. Prayanae. Bonfin. rer. Hung. dec. 2. lib. 1. In-

in Praesulatu si revolvatur series, Stephanus Colocensis etiam anno Christi 1144. duntaxat *Episcopus* nominatur. Sed Fabianus Antistes Bachiensis, iam anno 1085. *Archiepiscopi* titulo honoratus fuit. Unde licebit fortassis eruere: Bachiensem Cathedram sub S. Ladislao Rege, Colocensem vero duntaxat circa annum 1149. sub Geysa II. in Metropolitanas fuisse evectas, qvando duas hasce Cathedras Canonice (ut aiunt) iunctas fuisse, domestici Scriptores evincere sunt adnisi. h) Dudum profecto Antistes, de qvo hic sermo est, *Metropolitanae Colocensis, et Bachiensis Ecclesiarum canonice unitarum Archiepiscopus* nominatur. i) Sunt Eius provinciae Episcopi, qvos dicimus *Suffraganeos*: Bosnensis, seu Diakovariensis, unaqve Syrmiensis canonice unitarum Ecclesiarum Episcopus; Crisiensis Graeci Ritus Catholicorum; Csanadiensis; Fogarassiensis Graeci Ritus Catholico-

lico-

choffer annal. Eccles. R. H. T. I. vol. 3. edit. Poson. pag. 315. h) Vide Pray spec. Hier. H. parte 2. pag. 4. 6. 19. 20. Schmitth in Epp. Agr. T. I. pag. 82. i) In conclus. articulor. anni 1435.

licorum; Magno-Varadinensis Latini Ritus; et alter Varadinensis Graeci Ritus Catholicorum; Segniensis, k) unaqve Modrussiensis, seu Corbaviensis; Transsilvaniensis; deniqve Zagrabiensis.

§. XLI.

k) Cum iuxta dispositionem Augusti Iosephi II. Segniensis, recens instituto Archiepiscopatui Labacensi, qva suffraganeus datus fuisset anno 1785. virtute mandati, qvod legitur in collectione B. Norm. Resolut. editar. iussu Exc. Consilii T. 1. pag. 151. Status et OO. Regnor. Dalm. Croat. et Sclav. in Comitiis R. anno 1790. seqventia depromserunt: „Episcopatus Segniensis, perhiben„tibus tam vetustis, qvam recentissimis Diplo„matum per Serenissimos Hungariae Reges elar„gitorum, conclusionibus, aliisqve monumentis, „ad S. Regni Coronam pertinens, recenter ta„men nuper erecto A. Episcopatui Labacensi „subiectus, qvemadmodum per id a S. Corona „avulsus esse comperitur, ita postliminio A. Epi„scopatui Colocensi, cuius semper Suffraganeus „fuerat, restituendus tanto magis censetur, qvod „Bullae Pontificiae pro moderno Domino Episco„po ita expeditae habeantur, ut in illis palam „recognoscatur, Episcopatus Segniensis Archiepi„scopatus Colocensis suffraganeus esse" Legitur inter Acta publica Comitior. huius anni pag. 312.

§. XLI.
Pontificis Legati de Latere.

Ex iis, qvos hactenus enumeravi, puta, Cardinalibus, Archiepiscopis, et Episcopis, deliguntur varii Pontificum Legati. Cura etenim universalis Ecclesiae, non modo Cardinales Romae necessarios effecit, verum alibi qvoqve terrarum ac gentium viros idoneos: qvi repentina Ecclesiae mala vel incommoda facilius cognoscant, atqve corrigant etiam ipsi, vel corrigenda, sedi Apostolicae referant. Qvem in finem, iam antiqvis Ecclesiae temporibus, Legatos in provincias mittendi, consvetudo fuit. 1) Iuxta modernam Ecclesiae disciplinam, nonnulli sunt *Legati de latere*, sic dicti, qvod e Collegio Cardinalium, cuius est, perpetuo lateri Pontificis adsistere, deligantur. Qvamobrem, ad summos duntaxat Principes, gravissimisqve de causis, mitti consveverunt. Tales fuerunt e nostratibus, Dionysius de Széch, et Thomas Bakách ab Erdőd, Archiepiscopi Strigonienses.

1) Thomassinus de vet. et nova Eccl. discipl. parte I. lib. 2. cap. 1. Espen iuris Eccl. parte 1. tit. 21.

ses. m) Mittuntur nonnumqvam personae Ecclesiasticae Cardinalibus inferiores, *cum potestate Legati de latere.* Qvalis fuerat apud nos, Dominicus, Episcopus Torcellanensis, a Pio II. missus anno 1463. ut inter Fridericum Imperatorem, et Regem Hungariae Mathiam, pacis conciliator esset. n) Hos inter, atqve priores illos Papae Legatos, talem esse aiunt distinctionem, qvalis inter Dominum est, ac eius procuratorem; inter Episcopum, et vices eius in Dioecesi obeuntem.

§. XLII.
Legati Nati.

Alii sunt e Praesulibus *Legati Nati;* qvidam scilicet Archiepiscopi, qvorum Cathedrae munus Legationis, per speciale Pontificis indultum, sic adnexum est, ut transeat in successores. Usqve ad hanc aetatem iure hoc gavisi sunt: In Germania Elector, et Archiepiscopus Coloniensis; Archiepiscopus Salisburgensis. In Gallia Rhemensis. In Hi-

m) Lege meas Hist. Eccl. R. Hung. amoenitates fasciculo IV. pag. 57. et 85. n) Ibid. pag. 68.

spania Toletanus. In Italia Pisanus. In Polonia Gnesnensis. In Bohemia Pragensis.

§. XLIII.

Apud nos Strigoniensis.

In Ecclesia Hungarica, Bonifacius IX. Pontifex anno Christi 1395 ad preces Sigismundi Regis, Archiepiscopum Strigoniensem, Ioannem de Kanysa, Primatem, *et Legatum sedis Apostolicae natum* pronunciavit, qvamdiu ipsum *Ecclesiae Strigoniensi duntaxat praesidere continget.* Verum ad novam Ladislai V. Regis petitionem, Nicolaus V. anno 1452. Dionysio de Széch, *suisqve Successoribus*, *eiusdem Strigoniensis Ecclèsiae Archiepiscopis*, *qvi erunt pro tempore*, honorem istum, et iura eidem adnexa, semel, atqve iterum confirmavit. o) Qvo titulo, mox anno 1457. Dionysius, p) et successor Ioannes Vitéz anno 1468. q) decorati leguntur.

§. XLIV.

o) Ap. Pray in specim. Hier. H. parte 1. pag. 83. p) Ap. Kaprinai Hung. diplomat. parte 1. pag. 213. q) Ap. Belium in notit. Hung. novae T. 1. pag. 165. Batthyán in legib. Ecc. R. H. pag. 508.

§. XLIV.

Nuncii Apostolici.

Inferiores ceteris, qvos modo enarravi; sunt *Nuncii Apostolici*, qvi iurisdictione pollent vel delegata ad certum tempus, certumqve genus negotiorum, aut ordinaria, qvum eis in qvapiam Regione stabilis legatio demandatur. Ad primam Nunciorum classem pertinebat Antonius Pullerini, Baro del Burgio siculus, per Clementem VII. anno 1524. ad aulam Ludovici II. Regis destinatus. r) Item Vincentius Pimpinellus Archiepiscopus Rossanensis, qvem anno 1529. ad Ungariae Status idem Pontifex mittebat. s) Ad alteram classem Nunciorum referantur; qvi iam inde ab anno Christi 1513. Viennae Austriae, negotia Curiae Romanae procurant; t) qviqve in vicem Legatorum ac Nunciorum, olim ad Ungariam freqventer venientium, res Eccle-

r) In meis amoenit. Hist. Eccl. Hung. fasciculo IV. pag. 90. s) Ibid. pag. 91. t) Legitur eorum series, in tract. ad Metropolitanos Germ. nomine Pii VI. Pont. directo et typis Romanis an. 1789. edito. pag. 258.

siae Hungaricae, dum eis a Papa specialiter committuntur, procurare solent. u)

§. XLV.
Vicarii Apostolici.

Enumeratis hucusqve Romani Papae subsidiariis, adnumerandi sunt *Vicarii Apostolici*, non veteres illi, qvorum vestigia duntaxat in historiis existunt; v) verum illi, qvi iuxta hodiernum Ecclesiae morem, a summis Pontificibus deputantur, sine caractere Episcopali, vel cum illo, semper autem cum titulo alicuius Ecclesiae, in partibus infidelium vel haereticorum sitae, ut in ea regimen spirituale exerceant eam ob rem, qvod proprius Antistes, vel non existat, vel a gubernatione plebis a Domino sibi creditae, qvapiam ratione praepediatur. Hinc Episcopi *in partibus* nomen illis adhaesit. Aliter etiam *Regionarii* Episcopi nominantur. Talem miserat Alexander VII. Pont. in Malabariam ad-

sopien-

u) Exempla procurationis huiusmodi in cit. mea dissert. p. 97. v) De his consule Thomassin. de vet. et nova Eccl. discipl. parte I. lib. 1. cap. 18. et 30.

sopiendum schisma Nestorianum, excitatum a qvodam Archidiacono, Iosephum a S. Maria, Carmelitanum; Innocentius XII. plures, ad Episcopatus Nankinensem, ac Pekinensem, in vasto sinarum Imperio existentes; w) cumqve Paulus Bornemiſza Transylvaniensium Praesul ab anno 1553. iussu Isabellae Ioanni de Zápolya nuptae, Patria exul, gregi suo haud intendere posset: mox Roma, huiusmodi Regionarios Episcopos, Vincentium Ricosantium, et post hunc, Basilium Sidonei, Transylvaniensibus Catholicis dedit. x)

§. XLVI.
Coadiutores Episcoporum.

Postqvam de illis actum fuit, qvi Praesuli Romano, ex lege duntaxat Ecclesiastica subsidio esse consveverunt, de illis iam nunc sermo erit, qvi secundum eandem legem, ceteris Ecclesiarum Antistitibus auxiliari solent. Hos inter numerantur *Coadiutores*, qvi Episcopis ob senium, aegritudinem diuturnam,

w) Lege plura exempla ap. Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. II, cap. 10. x) Meae amoenit. hist. Eccl. Hung. fascic. VI. §. 10. pag. 80.

nam, aliamve ob causam in iure expressam, impeditis, pro regenda Dioecesi, per legitimam potestatem adiunguntur; alias cum iure, alias vero sine iure succedendi in eodem Episcopatu. Illi *perpetui*, at hi *temporanei* vocantur. Perpetuorum, in Ecclesia Hungarica non desunt exempla. Nam anno 1743. Adolpho Groll Episcopo Iaurinensi, datus fuit Coadiutor, Franciscus Comes Zichy de Vásonkő, Episcopus Noviensis, Praepositus B. M. V. de Vág-Újhely, et Exc. Consilii H. L. Regii Consiliarius, dein consecratus cum titulo Episcopi Botryensis. Anno 1760. Ignatius Koller N. Mánya, datus Coadiutor Martino Biró de Padány, Episcopo Weſzprimiensi, et cum titulo Episcopi Targensis consecratus. Anno 1762. Ioannes Guſztini, Cantor et Canonicus Ecclesiae Agriensis, Archidiaconus Cathedralis, Abbas SS. Petri et Pauli de Sáár, ac Tabulae Regiae Praelatus, Coadiutor datus est Comiti Emerico Eſzterházi de Galantha, Episcopo Nitriensi. Qvamvis enim Concilium Nicaenum I. institutioni huiusmodi Coadiutorum obstitisset: y) attamen illos adpro-

y) Conc. Nicaenum can. 8. cavet, *ne in* una Civi-

probavit Synodus Tridentina, tali cum cautela: Ut *si qvando Ecclesiae Cathedralis - - urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Praelato dari Coadiutorem, is non alias cum futura successione detur, qvam haec causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qvalitates omnes in illo concurrere certum sit, qvae a iure, et decretis huius Sanctae Synodi in Episcopis, et Praelatis reqviruntur; alias concessiones super his factae, subreptitiae esse censeantur.* z)

§. XLVII.
Archidiaconi.

Cum augeretur in dies multitudo Christianorum, Episcopi pluribus continuò adiutoribus indigebant. Hos inter fuerunt *Archidiaconi*, seu principes Diaconorum, iam qvarto Ecclesiae Christianae saeculo noti. a) Crevit

tate, duo Episcopi probentur existere. Vide in hunc Can. Scholion Espenii opp. T. VI. edit. Venetae anni 1781. z) Sess. XXV. decr. de reform. cap. 7. a) Optat. Milev. de Schism. Donatist. lib. 1. cap. 16.

vit eorum sensim autoritas, ut subinde numero Praelatorum adscripti sint, munusqve ipsorum in Presbyteros translatum. Idcirco tam antiqviora, qvam et recentiora iura, peculiares in iis dotes reqvirunt. b)

§. XLVIII.

Vic. Gen. et Offic. Epp.

Cum aucta nimium potestas Archidiaconalis coërceri vix posset, malebant Episcopi *Vicarios generales* eligere, seu *Officiales*; nimirum *Personas ecclesiasticas qvae vices Episcopi per universam Dioecesim, vel in magna eius parte: et in Consistorio, seu tribunali sacro exercent.* Nominis utriusqve promiscua primitus acceptio, c) desiit eam ob rem, qvod Vicarius iurisdictionem *voluntariam*, Officialis vero *contentiosam* exercere iuberetur. Cuius distinctionis vestigium reperio in Lege Hungarica, qvae decernens, ut iudex Ecclesiasticus causas ad forum civile spectantes

b) Lege Espen iuris Eccl. univ. parte I. tit. 12. cap. 1. Adde Trident. sess. XXIV. decr. de ref. cap. 12. c) Cap. 66. de appell. Cap. 3. de institut. Cap. 3. de temp. ordin. in 6.

tes ne tractet, subdebat: Iudices autem Ecclesiastici in hoc casu, intelligantur Vicarius, et Officiales Praelatorum. d) Sed iuxta recentiorem apud nos morem, alter hic vocatur *Causarum Auditor Generalis.* Qvamvis duo haec officia, hodie apud nos, uni eidemqve committantur. e)

§. XLIX.
Capit. Cath. et Colleg.

In gubernanda Dioecesi Praesulem adiuvare insuper debet Capitulum, ceu Senatus Ecclesiasticus, qvi est *Universitas Canonicorum unius Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae.* Qvod in Ecclesia Episcopali, Deo famulatur, *Cathedrale* audit; qvod est in Ecclesia qvapiam sub immediata praepositi sui directione, *Collegiatum* vocatur. Eius membra *Canonici* nominantur; et illi qvidem, qvibus est locus in stallo, vox in Capitulo, atqve proventus, nominantur Canonici *Capitulares;* ceteri, qvi sola Canonicorum adpellatione fruuntur, *titulares*, item *honorarii*, vel

d) Art. 46. 1492. e) Lege Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 12. cap. 4. et 5.

vel *domicellares* adpellari solent. e) Cum sit igitur Capitulum qvodlibet, *Universitas:* e pluribus constare debet. Sunt in Capitulis Dignitates, Officia, et Personatus. *Dignitas*, praerogativa est, cum externa iurisdictione, vel administratione. *Officium*, est administratio, cui nulla iurisdictio est adnexa. *Personatus*, eminentia est, absqve administratione, vel iurisdictione. f) Postqvam nihilominus Pontifex Bonifacius VIII. absqve ulla distinctione sic praecepit, ut Cathedralium Ecclesiarum Canonici, possint esse Delegati Apostolicae Sedis, id qvod Dignitatibus est proprium: g) seqvitur, omnes Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, Dignitatibus accenseri.

§. L.

Capit. Cath. Eccl. Hung.

In Ecclesia Hungarica totidem sunt Capitula Cathedralia, qvot Episcopatus, demtis Foga-

e) Plura eor. nomina ap. Ant. Schmidt in Instit. Iuris Eccl. Germaniae adcommodatae, T. I. §. 166.
f) Vide Bened. XIV. de Synodo D. Lib. III. cap. 3. g) Cap. 11. de rescript. in 6.

Fogarassiensi, et Crisiensi. Habent suas Dignitates: Praepositum, Lectorem, Cantorem, et Custodem, qvi omnes Columnae Capituli nominantur. Hi tamen alio qvoqve nomine veniunt in Capitulis, Munkatsiensi, et Graeci Ritus Varadinensi, ubi Dignitates hoc pacto enumerantur: Archi-Presbyter, seu Praepositus; h) Archidiaconus, seu Lector; Primicerius, seu Cantor; i) Ecclesiarcha, seu Custos; k) Scholasticus; Cartophilax, seu Cancellarius. l) Est qvoqve in iisdem Ecclesiae Hungaricae Capitulis *Officium*, scilicet *Decani*, cúius est curare, ut iusta, et Statutis Capituli conformis proventuum communium distributio, in singulos, fiat. Hinc alicubi *Divisor* nominatur potius; cum de lege communi, et extero more, Decanus alteram in Capitulo teneat sedem. m) Adde *Sol-*

h) Haec adpellatio legitur in decretal. Greg. IX. lib. 1. tit. 24. i) Ibid. tit. 25. k) Ibid. tit. 26. et seq. l) Vox graecae originis, chartarum custodem significat. Munus in Eccl. Constantinop. olim perhonorificum. De qvo Macri in Hierolexico, voce: *Chartophilax.* m) Vide Espen Iuris Eccl. parte I. tit. 7. cap. 5.

Sollicitatorem, cuius est, pias fundationes Capituli curae commissas, diligenter curare. Sunt praeterea, in pluribus Ecclesiae Hungaricae Capitulis, in sensu memoratu, (§. praec.) Personatus. Videlicet in Strigoniensi post Columnas, Praepositura S. Georgii de viridi campo Strigoniensi; altera S. Stephani de Castro Strigoniensi; tertia S. Thomae de monte Strigoniensi. In Capitulo Agriensi, Praepositura B. M. V. de Castro Agriensi; altera S. Petri de Castro Agriensi; tertia S. Stephani de Castro Agriensi. In Capitulo Iaurinensi Praepositura SS. Salvatoris de Pápocz. Altera S. Adalberti Episcopi et Martyris de Iaurino. In Capitulo Qvinqveecclesiensi Praepositura S. Ioannis Bapt. de Castro Qvinqveeccl. In Sabariensi, Prioratus B. M. V. de Pápocz. n) In Capitulo Vaciensi, Praepositura B. M. V. de fonte Vaciensi. In Capitulo M. Varadinensi Ritus Latini, Praepositura Minor, olim B. M. V. de Castro Varadinensi. In Capitulo Weſzprimiensi, Praepositura S. Michaelis de Hanta,

n) Vide diploma erectionis Episcopatus Sabarien. in Hist. sabarien. pag. 367.

ta, sine tamen crucis pectoralis, et Infularum ornamento. o) In Capitulo Zagrabiensi, Praepositura Collegiatae Ecclesiae S. Spiritus de Chasma. p) Non refero huc Archidiaconatus. Nam etsi hae Dignitates, plerumqve Capitularibus conferantur, non tamen ubiqve. Nam in Ecclesia Agriensi, Hevesiensis, Pathensis, Zabolcsensis, et Bereghiensis Archidiaconatus, Viris in spirituali animarum cura desudantibus, conferri solent. Iisdem in Ecclesia qvoqve Transylvana, praeter Cathedralem, conceduntur.

§. LI.

o) Olim Dignitates erant huius Capituli insuper, Praepositura Omnium Sanctorum de Castro Vesprimiensi, et S. Magdalenae de Örs, hodie Felsö-Örs. Vide Synodum Wesprim. anni 1515. ap. Péterffy Tom. I. pag. 236. Qvamvis inter eos Ecclesiae eiusdem Canonicos, qvorum viginti et unus convenerant anno 1417. pro electione Episcopi, nullus inveniatur, alterutrius Praepositurae titulo insignitus. Lege Schmitth in Epp. Agriensibus T. II. pag. 5. p) Enumerati isthic Praepositi, ferme omnes, sua olim habuerant Capitula Collegiata. Qvod docebit mearum Amoenit. Hist. Eccl. Hung. fasciculus qvintus.

§. LI.

Capit. Colleg. Eccl. Hung.

Collegiata Ecclesiae Hungaricae Capitula, dudum, qvatenus mihi sunt nota, fuerunt XXI. q) hodie tria duntaxat numeramus. Vetustissimum est Posoniense S. Salvatoris, qvod nunc dicitur ad S. Martinum, ante annum Christi 1096. erectum. r) Seqvitur Capitulum S. Spiritus de Chasma, qvod sede sua depulsum olim a Turcis, nunc Zagrabiae residet, fundatum primitus per Stephanum II. Episcopum Zagrabiensem, anno Dominicae Incarnationis 1232. qvi haec peculiaria suis inseruerat literis: *Illud tamen Universitati omnium innotescere volumus, qvod licet auctoritatem instituendi Praepositum, nobis et nostris successoribus - - pleno iure reservaverimus, tamen ius et voluntatem eligendi Praeposi-*

q) Consulatur Amoenitatum Hist. Eccl. Hung. fasc. V. r) Nam in Colomani Regis decr. lib. 1. cap. 22. iudicium ferri candentis et aqvae, fieri iubetur in Capitulo Poson. decretum vero dicatur Seraphino Archiepiscopo, qvi hoc anno tenebat Archiep. sedem. Qvod Pray notavit in Spec. Hier. H. parte 1. pag. 159.

positum suum supradicto Capitulo Chasmensi pleno iure concessimus. s) Tertium est Sopproniense, qvod anno 1779. Maria Theresia Regina Apostolica, cum annutu Pii VI. Pontificis erexit, assignando primum summam capitalem centum millium fl. qvae ex divenditis, septemdecim Beneficiorum simplicium Sopronii existentium domibus, ac vineis consurrexit: moxqve donando pagum *Sebes* dictum, qvi antehac ad Prioratum Papoczensem spectabat. t) Reguntur Capitula haec immediate per suum Praepositum, demto Chasmensi, qvod Praepositum, sibi pro antiqvo more ab solo Episcopo datum, atqve nominatum, usqve adeo non recipit, ut is in documentis, nomine huius Capituli, subqve illius sigillo expeditis, numqvam nominetur.

Po-

s) Leguntur integrae literae fundationales ap. Katona hist. crit. R. H. tom. V. p. 619. t) Haec ex MS. copia Diplomatis Regii, Bullaeqve Papalis, qvam dudum beneficio RR. D. Michaelis Paintner Praepositi B. M. V. de Rátóth obtinui, qvi me huiuscemodi literariis donis non modo oneravit, sed etiam mactavit. Pro qvibus actas Ei publice gratias, denuo hic repeto.

Posoniensis Capituli Praeposito, illud est peculiare, qvod una sit Archidiaconus Posoniensis. u)

§. LII.
Vicarii Capitulares.

Qvamvis Episcopali sede vacante, ne populus fidelis cura pastorali non sit forsitan satis provisus, Dioecesis totius administratio subsidiaria, ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis devolvatur, v) praecipit nihilominus Concilium Tridentinum, ut *Capitulum sede vacante - - Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qvi saltem in Iure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, qvantum fieri poterit, idoneus; si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur. Et, si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumqve, ut praefertur,* negli-

u) Patet ex Synodo Tirnav. anni 1629. cap. 4. ap. Péterffy Conc. T. II. pag. 257. et ex praxi. v) Ex cap. 14 de maiorit. et obed. Item cap. unic. eod. in 6. Cap. 3. de suppl. negl. Praelator. in 6.

negligens fuerit, tunc antiqvior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinqvior Episcopus in Exempta Oeconomum, et Vicarium idoneos possit constituere. w) Qvod si autem contingat vacare Suffraganeam Ecclesiam Capitulo carentem, eo prorsus tempore, dum Ecclesia qvoqve Metropolitana, Pastore viduata luget: Vicarii electionem ad Metropolitanum Capitulum pertinere, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, anno 1683. moxqve post biennium declaravit. x)

§. LIII.
Vicarii foranei.

Episcopali sede tam plena, qvam vacante, constitui possunt, et qvandoqve solent Vicarii speciales, seu *Foranei* in qvapiam Dioecesis parte; qvi Generalibus Vicariis subordinati, de mandato speciali ius dicant in qvibusdam levioris momenti negotiis, at salvo recursu ad altius Tribunal. y) Tales

 sunt,

w) Sess. XXIV. decr. de ref. cap. 16. x) Ap. Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 2. cap. 9. num. 2.
y) Cap. 1. de offic. Ord. in 6.

sunt; cum ista scribo, in Ecclesia Transylvaniensi: Vicarius tit. S. Leonis M., item S. Caroli Borromaei; deniqve S. Francisci Salesii; qvi simul animarum spiritualem curam gerunt. z)

§. LIV.

Decani rurales.

Aucto Fidelium numero, Dioecesibusqve constitutis, Archi-presbyteri alii in urbe Episcopali, qvidam ruri constituebantur. Hinc manavit distinctio Decanorum *Urbicariorum*, qvi Clero urbis Episcopalis praefuerunt, et *Ruralium*, qvi ruri degentem curabant. Tam de illis, qvam de his loqvuntur iura; qvae decernunt, ut Ruralium electio per Episcopum, et Archidiaconum fiat. a) Hodie passim vocantur Vicearchidiaconi, et eorum nominatio soli est Episcopo reservata.

§. LV.

z) In Schematismo I. R. Hung. qvotannis typis edi solito. a) Lege Thomassin. de vet. et nova Eccl. discipl. parte 1. lib. 2. cap. 5. Espen Iuris Eccl. univ. parte 1. tit. 5. cap. 1. et 2. Ben. XIV. de Syn. Dioec. lib. 3. cap. 3. num. 5. seq. Adde Cap. 2. et 3. de off. Archipresb. et cap. 7. de off. Archid.

§. LV.

Parochi.

Aucta in dies Christianae plebis multitudo tam in urbibus, qvam et extra urbes, deposcebat insuper ampliorem Presbyterorum numerum, qvi scilicet *ad curam animarum in certo fidelium coetu ex officio exercendam, Superioris Ecclesiastici iussu constituerentur;* dicti *Parochi*, a graeca voce, qvae domorum coadunationem significat, b) et a plebe, cui praesunt, etiam *Plebani*; qvamvis iuxta scriptam legem, Plebanus esset tantum is dicendus, qvi cum Ecclesia principali plures Capellas gubernat. c) Hi, qvatenus

E 2 Pres-

b) Vide Dominici Macri Hierolexicon voce: *Parochia.* c) Cap. 1. ne clerici v. mon. in 6. Id qvod lex Hungarica supponit, an. 1439. art. 39. decernens, *ut pro funeribus hominum, per aliqvem, vel aliqvos interemptorum, Archidiaconi, seu Plebani parochiales - - nullam solutionem pecuniariam recipere valeant, neqve possint.* Imo iam Andreas III. Rex Ung. declarabat in diplom. an. 1293. dato, relatum sibi fuisse, *qvod Ecclesia B. Jacobi de Saaros, non Plebania, sed simplex esset Ecclesia Parochiali; - - ac sacerdos dictae Ecclesiae decimas intra territorium ipsius Ecclesiae existentes non de iure, cum secun-*

Presbyteri sunt, ad Hierarchiam dispositione Divina constitutam pertinent: (§. XXI.) Qvatenus vero sunt Parochi, num ex Divina ordinatione potestatem habere dicendi sint *immediate*, vel potius *mediate*, disceptatur. d) Nihil sane debitae subordinationi detraxeris, qvodsi dicas: Parochos, cum Presbyteri sint Divina ordinatione constituti, non delegatam, ceu Episcopi *vicarios*, verum ordinariam, intra limites caracteri suo congruos, et salva immediata Episcoporum in ipsos, plebemqve Illis subiectam auctoritate, potestatem habere. Qvia vero de lege Ecclesiastica insuper, qvaedam ipsis iura tribui et possunt, et solent, ad externam Ecclesiae gubernationem pertinentia, suum hic et ipsi habent locum.

§. LVI.

dum approbatam consvetudinem Regni - - non ad Parocihales Presbyteros, sed tantum ad Plebanos pertineat perceptio decimarum. Vide ap. Wagner in diplomatario Sárosiensi pag. 462. et ap. Batthyán in legib. Eccl. R. H. pag. 485. d) Ludov-Habert Theol. dogm. T. 7. de Hier. cap. 6. qvaest. 2. Van Espen tract. de recursu ad Princ. cap. 2.

§. LVI.
Parochiarum Administratores.

Qvi vices obit Parochi, legitime ab animarum cura impediti, *Vicarius Parochialis* dicitur, apud nos vero *Administratoris* obtinet nomen. Potest esse *perpetuus*, si in qvapiam Ecclesia assignatam habeat portionem in perpetuum, ut adeo extra casus in iure expressos neqveat amoveri. e) Potest *amovibilis* esse, nimirum si ad tempus constituatur, amovendus ad nutum constituentis. Qvalem dari iubet ab Episcopo Synodus Tridentina vacanti Ecclesiae, cum congrua portionis fructuum assignatione. f) Utrosqve merito collocaverim in eorum numero, qvi Praesulibus adiutorio sunt in regenda plebe Christiana; tum qvod vere in classem eandem cum Parochis veniant certis in rebus, ut suo loco docebitur: tum qvod exempla domestica praesto sint, huiusmodi Administratorum, in communem consultationem ab Episcopis nostratibus vocatorum. Leguntur enim subscripti Synodo Dioecesanae Tirnaviae anno 1630.

e) Conc. Trid. sess. 7. decr. de ref. cap. 5. et 7.
f) Sess. XIV. de reform. cap. 18.

1630. celebratae, ex Archidiaconatu Nitriensi, Lucas Deitti Vicesgerens in Pereſzlény. Ex Archidiaconatu Hontensi Georgius Gretsmerus Vicegerens Parochus Szebelébiensis. Ex Archidiaconatu Barsiensi, Georgius Kopchány Vicegerens in Szölös. g)

§. LVII.

Praelati Regulares.

Completurus tractationem de illis, penes qvos est externum Ecclesiae regimen, ad conservandam in Ecclesia Christi unitatem fidei, et caritatis, institutum: addo Regulares Praelatos, utpote Abbates, ac Praepositos; non qvatenus illi Religiosorum qvibusdam Ordinibus praesunt, nam hoc nomine tractatio de illis ad *ius privatum* transfertur: sed qvatenus etiam hi symbolam conferre possunt ad constitutionem earum legum, qvae huius unitatis gratia feruntur; cum iuxta receptam consvetudinem, ius habeant ferendi suffragii in Concilio oecumenico, ac intersint tam Synodo provinciali, h) qvam Dioe-

g) Ap. Péterff. Concil. T. 2. p. 317. seq. h) Lege Bened. XIV. de Syn. Diocc. lib. XIII. cap. 14 num. 14.

Dioecesanae; i) Domi praeterea nostrae, Statui Praelatorum adnumerentur. Horum alii vocantur *Abbates*, ita dicti a voce hebraica, seu syriaca, *Abba*, qvae patrem significat, et qva usi fuerant vetustissimi qvoqve Monachi, eum, a qvo gubernabantur, ita compellantes; ut eumdem scilicet ipsa compellatione, de suis erga inferiores officiis admonerent, innuerentqve, ipsius esse muneris, ut, qvorum spiritualis est pater, eosdem ceu filios, amore proseqvatur. k) Talis est in Patria nostra, primus omnium, Ordinis S. Benedicti Archi-Abbas de S. Monte Pannoniae, qvi his propemodum diebus ab Rege Apostolico Francisco, honori pristino restitutus fuit. Cui subordinantur: Abbas S. Aniani Episcopi et Confessoris de Tihany; Abbas S. Mauritii de Bakon-Bél; et Abbas Beatae M. Virginis de Dömölk. Praeter qvos, eiusdem Ordinis Abbas est, S. Adriani de Szalavár, idem, qvi Gottwicensis in Austria. Abbas S. Crucis de Telki infra Budam,

i) Qvem citato op. lib. III. cap. 1. num. 16. k) Macri Hierolexicon, voce *Abbas*, Richard analysis Concil. T. III. edit. Augustanae, voce *Abbas*.

dam, qvi Praelatus ad Scotos Viennae. Ex Ordine Cisterciensi sunt apud nos Abbates: Ad S. Gotthardum, qvi simul Abbas est ad S. Crucem in Austria. Abbas B. M. V. de Zircz, qvi Abbas una est Henrichovii in Silesia, olim Austriaca, nunc subiecta Borussorum Regi. Abbas de Bors-Monostra prope Ginsium, idem, qvi Campililiorum in Austria. Abbas B. M. V. de Pilis et Páſztó. Porro, qvemadmodum antiqvioris instituti sunt illi, qvorum Praelati veniunt sub nomine Abbatum, qvam ceteri, qvi leges vivendi ab iis commodarunt: ita etiam Praelatos istorum, post Abbates collocamus, sub nomine *Praepositorum.* Etsi namqve hanc adpellationem S. Cyprianus tribuerit Episcopis; l) atqve omnes, qvi praesunt, rite vocenter praepositi: usus tamen obtinuit, eos vocari praepositos, qvi qvamdam prioratus curam, super alios gerunt. m) Cuiusmodi Praepositos habent in Ecclesia Hungarica postliminio, Canonici Regulares de monte Praemonstrato,

seu

l) Libro de lapsis. Item in epist. ad Iubaianum edit. Tirnav. pag. m) Cap. 9. tit. de verb. significatione.

seu Praemonstratenses dicti. Siqvidem nuper admodum, restituta sit Praepositura S. Michaelis de Csorna. Item B. M. Virginis de Türje. Deniqve S. Ioannis de ponte, seu Iánoshida. Qvae tres uni eidemqve Praelato fuerunt collatae. n) Non minus Praepositura S. Ioannis Bapt. de Iáſzov, suo vigori est restituta.

§. LVIII.
Abb. Commendatarii.

Cum Commendatarii qvoqve Praelaturarum Regularium, in Synodis Ecclesiasticis locum, o) partem proinde in legislatione habere possint, ipsi qvoqve hoc loco sunt commemorandi. Sumit adpellatio horum, a voce *commendo*, originem suam, qvae, alterius curae qvippiam creditum, significat. Illi vero, qvibus nomen hoc tribuitur, sunt viri ex Ordine Clericali, qvi Praelaturae cuiuspiam Regularis parte redituum fruuntur, non

sine

n) Ita derogatum est capiti 9. de relig. domibus.

o) Caerominiale Epp. lib. 1. cap. 31. num. 15. Item Bened. XIV. de Syn. D. lib. 3. cap. 10. num. 5.

sine qvadam honoris praerogativa, nihilominus absqve iurisdictione in Religiosos exercenda, qvibusdam casibus exceptis, iuxta Pontificis indultum. p) Revocaverat qvidem anno 1306. Clemens V. provisiones sub titulo Commendarum factas; q) neqve tamen abolitas fuisse, probant tot exempla Commendatariorum, deinceps in Patria nostra per Pontifices, ac Reges, partim ex Ecclesiasticis, partim vero ex Religiosis qvidem, sed alterius Instituti, creatis. r) Id qvod Leges Hungaricae magnopere improbabant; s) Sacra vero Synodus Tridentina inqviebat: Confidere se, *Sanctissimum Rom. Pontificem pro sua pietate, et prudentia curaturum, qvantum haec tempora ferre posse viderit, ut iis, qvae nunc commendata reperiuntur, et qvae suos conventus habent, Regulares personae, eiusdem Ordinis expresse professae, et qvae gregi praeire, et praeesse possint, praeficiantur.*

p) Richard analysis Concil. T. 3. edit. cit. verbo: *Abb.* q) Cap. 2. de praeb. et dignit. in extrav. comm. r) Vide meas Amoenit. Hist. Eccl. H. fasc. VI. num. II. §. 3. seq. s) Ibid. §. 6.

antur. t) Ceterum Commendatarii pro veris *Titularibus* habentur. Cum tamen lex sit, ne Beneficium Regulare saecularis Clericus habere possit, Commenda hodierna est dispensatoria, fieriqve debet Pontificis autoritate. u)

§. LIX.
Abb. et Praep. titulares.

Si mos Ecclesiae, v) Hungaricae item Synodi consulantur: w) adparebit, *Titulares* qvoqve Abbates ac Praepositos, merito recenseri inter eos, qvi ad condendam legem Ecclesiasticam conferunt, Eosqve hic locum habere. Talium in Patria nostra perqvam tristis est origo. Scilicet ab infelici clade Mohacsensi, qvae anno Christi 1526. con-

t) Sess. XXV. decr. de Regular. et Monial. cap. 21. u) Espen Iuris Eccl. parte I. tit. 31. cap. 7. v) Lege Bened. XIV. de Syn. D. lib. 3. cap. 10. num. 5. w) Syn. Dioec. Tirnav. 1562. Synodus Provinc. Tirnav. 1611. Synodus Dioeces. Tirnav. 1629. Synodus provincial. Tirnav. 1638. Synodus national. 1648. omnes legendas apud Pétertfy T. II. Concilior.

contigit, Religiosi viri metu irruentis Turcae dilapsi sunt; monasteria cum Bonis ad illa spectantibus, inter dissidia duorum Regum, pro Corona Hungariae decertantium, a potentioribus nullo iure occupata, qvaedam, ceu carentia iam possessore, pro more, ac secundum patriam legem, x) ad Regias delapsa manus: utqve sustineri facilius belli onera possent, ab Administris aerarii, vel arcium Capitaneis, non semel in pignus data. y) Obsistebatur qvidem huic malo, tam per leges Regni, decernentes, ut Abbatiae, cunctaqve Beneficia Ecclesiastica pristinis possessoribus reddantur: z) qvam et per Ferdinandum I. Regem anno 1560. qvi peculiari decreto, Ecclesias atqve domicilia Regularibus, ad qvos pertinuerant, qvatenus id fieri posset, reddita voluit, illis duntaxat exceptis, qvae pro statuum desiderio, a) ad intertentionem Scholarum adplicata iam erant. b)

Sed

x) Tripart. parte 1. tit. 13. y) Art. 31. 1567. et Martinus Szentiványi dissert. paralipom. rer. memorab. Hung. catal. LVIII. z) 1548. art. 8. a) Ibid. art. 12. b) Legitur hoc Decretum ap. Péterffy T. 2. pag. 40.

Sed qvantum sive hoc decretum, seu nova denuo lex, anno 1567. condita, huiusmodi restitutionem adurgens c) profecerit, discutere non vacat. Certum vero est, qvemadmodum ante hanc legem, ita deinceps qvoqve, Regularia Beneficia, collata fuisse Episcopis eam ob rem, qvod Episcopatus fere omnes, inter disturbia Regni, adeo proventibus fuerint spoliati, ut vix qvotidiani sumptus eorum possessoribus residui essent. d) Nonnullae qvidem Abbatiae, atqve Praepositurae huiusmodi, pacatis denuo Hungariae rebus, ad pristinos possessores postliminio redierunt; e) qvaedam tamen piis locis in perpetuum adplicatae sunt; f) Nonnullae permanserunt in manibus Regiis, et viris Ecclesiasticis, de Religione, Patriaqve bene meritis: aliae qvidem cum proventibus, g) aliae sine proventu, atqve in titulum duntaxat conferuntur. h) Imo sic fuerunt liberales

qvi-

c) 1567. art. 31. d) Testis est art. 9. 1548. e) Vide meas amoenit. Hist. Eccl. H. fascic. VI. num. II. §. 9. f) Ibid. §. 10. g) Ibid. §. 11. h) Consule schematismum Dignitatum I. R. Hung. qvotannis edi solitum.

qvidam Reges Apostolici, ut non tantum Praesulibus, huiusmodi titularium Abbatiarum ac Praepositurarum, qvibus vellent, conferendarum potestatem dederint, i) sed splendidioribus etiam qvibusdam Hungariae familiis; k) qvarum tamen Patronati, seu Clientes, ad Regni Comitia per Literas Regales haud evocantur. l)

§. LX.

Generales Ordd.

Non sum nescius, octo Generales variorum Ordinum Religiosorum, interfuisse Tridentinae Synodo, etsi non cum decisivo, ut aiunt, voto, nihilominus cum consultivo. Qvare, vel uno hoc nomine digni sunt, ut in eorum classem veniant, qvi ad conservandam in Ecclesia Christi, fidei et caritatis unitatem, diversis temporibus fuerunt instituti. *Generalis* nomine, in ordine Religioso is decoratur, *qvi cunctis instituti sui Religiosis praeest.* Nomen hoc, atqve munus, usqve ad decimum Ecclesiae saeculum, penitus ignotum,

i) Cit. meo op. §. 18. k) Ibid. §. 14. l) Fundam. vide in art. 16. 1715.

tum, apud Cluniacenses in Gallia Monachos coepit; ll) adoptatum deinceps a novis ordinibus Religiosis, qvi post Cluniacensium reformationem, sensim innotescebant. S. Pauli I. eremitae coenobiticus ordo, cum in Ungaria sumserit originem a Bartholomaeo Qvinqv. Episcopo ad annum Christi 1225. m) eius qvoqve Generalis isthic degebat, in Regni Comitiis Praelatos inter collocatus; n) imo cum Praeposito Capituli Zagrabiensis, o) Iter-

ll) Espen iuris Eccl. parte 1. tit. 31. cap. 1. num. 19. Richard analysis Concil. tomo 4. edit. August. voce: *Generalis*. m) Contra priores Annalistas evicit RR. Koller in hist. Epp. Qvinq. tom. 2. in Episc. Bartholomaeo. n) 1608. art. 1. post coronat. o) Documentum non passim obvium, ex Nicolai Berger annalib. Eremi-Coenobiticis Ord. FF. Erem. S. Pauli I. Eremitae, pag. 19. sic habe: *Nos Comes Franciscus Vesselény de Hadad, perp. in Murány, R. H. Palatinus etc. Memoriae commendamus tenore praes. significantes, qvibus expedit univ. Qvod nobis una cum DD. Prael. Baron. ceterisqve Magnatibus, circa festum B. Mich. Archangeli proxime praeteritum, sub gen. Regni Diaeta, in anno modo currenti infrascripto, hic Posonii celebrata, in solito Congregationis eorum DD. Praelator. Baronum,*

iterumqve cum Archi-Abbate S. Montis Pa
noniae, lis ei de praecedentia fuit. p) C
finem imposuit Ordinis apud nos sublatic
at-

et ceteror. Magnatum loco constitutis; ibiqve inter
R. D. Nicolaum Dianesevich, Praepositum Mai. Cap
tuli Zagrab. ab una, et RR. D. fratrem Martinu
Borkovich, Ord. S. Pauli I. Erem. Priorem Gener
lem partibus ab altera, circa praerogativas Eorum e
orta certa qvaestione in eo, qvisnam videlicet eoru
praecedere, et priorem locum in Gen. Congr. dictoru
DD. Regnicolar. obtinere, et conseqventer immedia
post DD. Praelatos subseqvi haberet. Qva qvaestion
modo praevio inter Eos exorta, ac per nos, et pe
Ill. ac RR. D. A. Episcopum Strigon. ceterosqve DD
Praelatos, et Magnates intellecta, posteaqvam ex di
gnis fide testimoniis compertum fuisset, Priores Gene
rales dicti Ord. ab antiqvo semper, immediate pos
DD. Praelatos locum habuisse; Praepositos vero Ma-
iores Zagrabienses primo in anno 1625. inter DD
Magnates locum adeptos esse: Idcirco unanimi vot
constitutum est, ut futuris semper temporibus, memo-
ratus Prior Gen. dicti Ord. S. Pauli I. Erem. aliiqv
subseqventes, et pro tempore eiusd. Ord. Generales
constituti, immediate post DD. Praelatos in Gen. Re-
gni Conventibus subseqvantur, et locum habeant, di-
ctumqve D. Praepositum M. Zagrab. et reliqvos futu-
ros in consessu praecedant, illi vero seqvantur. Su-

atqve totum de Generalibus Ordinum institutum sermonem abrumpit dispositio altissima, hactenus non revocata: Ut omnis deinceps nexus

Super qvo praesentes litteras testimoniales, secreto sigillo nostro authentico, et manus propriae subscriptione communitas, eidem D. Patri Generali, et dicto Ordini, iurium suorum futuram ad cautelam necessariam, extradandas duximus, et concedendas, communi svadente iustitia. Datum Posonii 16. *mensis decembris* 1659. C. *Franc. Vesselény. m. p.* p) Docum. ex eod. op. pag. 419. tale est: *Nos D. G. Christ. Augustus S. R. E. Presb. Cardinalis A. E. Strigon. etc. Memoriae commend. ten. praes. signif. qvibus exped. univ. Qvod posteaqvam in anno* 1708. *Posonii incoepta, et servata Diaeta, inter RR. P. Ludov. Barilovics Ord. S. Pauli I. Erem. Priorem Generalem ex una, et RR. P. Coelestinum Goner A. Abbatem S. montis Pan. ex altera parte, ratione sessionis, et praecedentiae in praedicta Diaeta, nonnulla controversia exorta, et mota fuit, eodem partes in personam nostram, uti Arbitrum compromiserint. Hinc nos hanc totam controversiam, cum consilio totius Ven. Cleri hic existentis maturius deliberantes, et considerantes, invenimus, et deprehendimus, qvod sicuti praedictus RR. P. Generalis in Diaetis praeteritis RR. Patrem A. Abbatem praecessit semper, ita qvoqve modo in mo-*

xus Religiosorum cum Generalibus suis, excepta precum, et suffragiorum communione, penitus cesset. q)

derna Diaeta praefato RR. Patri Generali eandem praecedentiam dandam, et concedendam esse iudicavimus, et decernimus per praesentes. Cum ea tamen expressa, et apposita clausula: si praefatus RR. A. Abbas privilegia sua, quae ad praecedentiam allegat, debite produxerit, aut ulterioribus relevantibus rationibus legaliter probaverit in futura Diaeta, eidem A. Abbati aperta sit, et maneat via. In quor. fidem praes. in duplo expeditas, manu propria subscriptas, sigilloque nostro munitas extradedimus Posonii 6. aug. 1709

q) Resol. Iosephi II. de 24. martii 1781. legitur in collect. Eius resolut. Viennae edita 1784. parte 1. pag. 122. Repetitur in latina collect. edita iussu Exel. Cons. T. 1. pag. 128.

CA-

CAPUT II.

De fontibus propriis Eccles. Iuris.

§. LXI.

Fontes cum Theol. communes.

Ecclesia Christiana, uti Christum habet auctorem, ita Ius, qvo regitur, ex iisdem fontibus debet summi, e qvibus hauriuntur leges, Christiano more credendi atqve agendi: et ex qvibus Theologia qvoqve sua desumere principia consvevit; illa nimirum scientia, qvae de Deo, rebusqve Divinis tractat. Enim vero, ut olim observavit Ioannes Gerson: *Theologus descendit ad inspiciendum Canones, tanqvam ad conclusiones ex suis principiis Theologicis elicitas, et sic fit ambidexter Theologus Canonista, et Canonista Theologizans.* r) Qvum igitur, de propriis Theologiae fontibus agant prolixe, velut de re

r) In recommend. licentiandor. in Decretis.

sua Theologi: de his ego paucissima dicam, ad proprios Iuris Ecclesiastici fontes mox transiturus.

§. LXII.
Religio naturalis.

Primus fons qvum Theologiae, tum Iuris Ecclesiastici, *Religio naturalis* est, per dictamen scilicet rationis, acqvisita Divinitatis notio, et cognitus Deum colendi modus. Haec Religio, cum digito Dei scripta sit in cordibus hominum, ideoqve immutabilis, per legem Evangelicam non modo sublata non fuit, sed confirmata potius, et a sinistris Pharisaeorum interpretationibus purgata. s) Legem hanc probe tam nosse, qvam a reliqvis legibus discernere, perqvam necessarium est Iuris Ecclesiastici tractatori, exeqvutori, ipsiqve Legislatori; qvoniam, ut dicebat S. Leo M. Pontifex, *sicut qvaedam sunt, qvae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, qvae aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione aetatum, oporteat temperari: illa consideratione semper servata, ut in iis,* *qvae*

s) Lege Matth. cap. V.

qvae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus seqvendum, qvod nec praeceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum. t)

§. LXIII.

Revelata, contenta in Script. S.

Alter fons Iuris Ecclesiastici *Religio revelata* est, qvam partim e Scripturis Sanctis utriusqve Testamenti, partim e Traditionibus discendam habemus. u) Ut ne aberret Iuris Ecclesiastici tractator in intelligendo Sacrarum literarum sensu, istam Sacrae Synodi Tridentinae praeceptionem, alta mente repositam habeat: *Ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei, et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorqvens, contra eum sensum, qvem tenuit, et tenet S. mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem con-*

t) Epist. ad Rustic. Ep. Narbon. ap. Gratian. can. 2. dist. 14. u) Conc. Trid. sess. IV. decr. de Canonicis Script.

consensum PP. ipsam Scripturam S. interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unqvam tempore in lucem edendae forent v) Enimvero fuit tempus, cum ob non recte intellecta qvaedam Sacrarum Scripturarum loca, w) in exercitio potestatis abusus, hinc vero grandis inter utramqve Rempublicam collisio seqvuta fuit. x)

§. LXIV.
Et in SS. Patribus.

Sanctorum Ecclesiae Patrum nomine veniunt, qvi externa vitae Sanctitate, ac scriptis pro Religione editis Ecclesiam illustrarunt. Hi nobis in rebus fidei ac morum duo praestant. Interpretantur videlicet Scripturas Divinas, depromendo sensum, qvem intendisse Divinum Spiritum, ab Ecclesia erroris nescia didicerunt, et veritates orthodoxas,

in

v) Ibid. decr. de edit. et usu sacror. libror. w) Exemplo sit Constitutio Bonifacii VIII. qvae legitur cap. 1. de maiorit. et obed. in extrav. commun. x) Lege Dupin de antiqva Eccl. disciplina dissert. VII. cap. 3. Obstraet de loc. Theol. diss. V. qvaest. 3.

in S. Bibliis minime contentas, prout didicerunt a Maioribus, ita posteris notas reddunt. y) In rebus fidei, ac morum, plenissimam Eos mereri fidem, intelleximus, (§. praec.) dummodo consentiant. At singulorum autoritas ponderanda erit, cum et ipsi homines, humanum aliqvid in intelligenda Scriptura sacra, qvandoqve sint passi. Sane Bernardus Claraevallensis, Sanctorum Ecclesiae Patrum numero et ipse adlectus, ex qvibusdam Sacrae Scripturae verbis, z) non recte intulit: *Gladium Pontificis esse, licet non eius manu evaginandus sit. Utrumqve gladium, materialem scilicet et spiritualem esse Ecclesiae; sed hunc qvidem pro Ecclesia, illum ab Ecclesia exercendum; illum Sacerdotis, hunc militis, sed sane ad nutum Sacerdotis, et iussu Imperatoris.* a) Eadem

tenen-

y) Legito prae aliis, qvos adducere possem, Bonaventurae Carthusiani opus aureum, qvod sub nomine Natalis Argonnensis edidit, *de optima methodo legendorum Ecclesiae PP.* Versum e Gallico, et impressum Augustae Vindel. a. 1756. z) Ex Matth. XXVI. 52. et Lucae XXII. 38. a) Lib. IV. de consider. ad Eug. IV. Pont. cap. 3.

tenenda est regula, cum veritates, ceu e Traditione haustas proferunt memorati Patres; modo Augustinum excipias, cum loqvitur de gratia Dei, libero arbitrio, ac praedestinatione; Leonem item Magnum, de duabus in Christo naturis loqventem. Hic enim tanta est istorum autoritas, qvanta omnium foret, si istis de rebus scripsissent. b) Res disciplinares cum referunt, ut historicis credendum, modo de scientia rei, qvam testantur, neqveat dubitari; cum vero has adducunt decretorie, ad proprias eorum Ecclesias, qvibus praefuerant, pertinuisse censeantur. Verba proinde Sanctorum Ecclesiae Patrum, corpori Iuris Canonici dudum inserta, habent autoritatem, qvatenus a legum Ecclesiasticarum conditoribus, adoptata fuerunt.

§. LXV.
Concilia.

Necdum fuerant noti Patres Ecclesiae, in hodierno Theologorum sensu, c) cum exortis

b) De Augustino vide Natal. Alex. Hist. Eccl. saec. V. cap. 4. art. 3. §. 11. De Leone ibid. dissert. XII. c) Lege RR. D. Francisci Nagy dissert.

ortis in Ecclesia Dei controversiis, imo litibus, refrigescenteqve sensim primaeva Christianorum caritate, Ecclesiasticos Conventus celebrari oportebat. Saluberrimae consvetudini dederunt initium Apostoli, cum eligendus erat Apostolus in locum Iudae; d) dum instituendi septem Diaconi; e) dum sopienda deniqve fuit gravis qvaestio, de necessitate legem Mosaicam, suscepto qvoqve baptismo sancte custodiendi, Ierosolimis, et Antiochiae suscitata. Fuit hic sacer Conventus, norma ceterorum. Videas enim ibi praesidentiam Petri, primamqve illius vocem. Necessitatem sedulo perqvirendae veritatis; suam cuivis promendae sententiae libertatem; tractationis synodicae obiecta; inevitabilem nonnunqvam, celebrandi Concilii necessitatem; decisorum vero illic, non eandem perpetuitatem; et communis duntaxat sententiae vim, firmumqve robur. f) Sacri huiusmodi Conventus, subinde dicti sunt more Graeco *Synodi*, latine *Concilia*. g) Qvae rectissime dici

patrolog. *de notione Patris Ecclesiae.* d) Act. I. e) Act. VI. f) Act. XV. g) Plures huius vocis signif. vide ap. Bened. XIV. de Syn. Dioec. L.

dici possunt: *Personarum Ecclesiasticarum legitimi coetus, ab illo, qvi iuris id habet, vel de consensu eius convocati, ad Ecclesiastica negotia, collatis suffragiis in ordinem redigenda.* Haec definitio qvam congruat celebri Apostolorum Synodo, satis elucet; congruere autem debere illi qvaslibet Synodos, dicenda docebunt.

§. LXVI.
Generalia.

Primum in Ecclesia Christi locum obtinent *Concilia Generalia;* non eo sensu dicta, qvo etiam unius nationis Episcoporum Conventus hoc pacto nominantur, h) verum illa, ad qvae vocantur Episcopi totius orbis, qvi debent iis interesse, nisi legitime sint impediti, praesidente Romano Pontifice, vel per se, vel per suos Legatos. i) Qvamvis, ut definitio complectatur omnia, hanc alii de-

pro-

L. I. cap. I. num. I. Vocem autem: Concilium explicat Gratian. can. 1. dist. XV. h) Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. I. cap. 1. num. 2. Richard analys. Concil. T. 1. i) Bened. XIV. cit. lib. et cap.

promere malint: *Conventus Episcoporum, ex universo orbe Catholico congregatorum, Pontifice per se, vel per alios praesidente, ad definienda Ecclesiae universae negotia, legitime institutus;* qvem Graeci *Oecumenicum* adpellant. k)

§. LXVII.

Utilia sunt.

Divini Spiritus effatum est: *Ubi non est gubernator, populus corruet, salus autem, ubi multa consilia.* l) Qvapropter Moyses, consilium seqvutus Iethro soceri, Senatum constituit in plebe Hebraeorum, qvam ducebat, qvo eandem regere felicius posset. m) Unde Conciliorum utilitatem videas. n) Qvam confirmat Apostolorum, (§. LXV.) et perpetua deinceps Antistitum sollicitudo, difficillimis nonnumqvam Ecclesiae temporibus, Concilia celebrandi.

§. LXVIII.

k) Vide Macri Hierolexicon, in voce: *Oecumenicus*.

l) Proverb. XI. 14. m) Exodi XVIII. Deut. I.

n) Lege Nicasii Ellebodii orat. dictam in Syn. Tirn. an. 1561. ap. Péterffy Conc. H. T. II. pag. 135. Richard analys. Conc. T. I. in praevio tract. de Concil. cap. 4. §. 2.

§. XLVIII.

Et qvandoqve necessaria.

Necessitas vero Conciliorum tametsi non sit prorsus absoluta, cum Deus, qvi portas inferi Ecclesiae suae non praevalituras promisit, nn) etiam sine hoc adminiculo, Illam possit sartam, tectamqve servare: multiplex tamen rerum, temporumqve vicissitudo, eorum celebrationem exegit. Id qvod facto suo Apostoli comprobarunt. (§. LXV.) Homines Christianos, experientia hactenus edocuit, sex numerari posse causas, qvarum gratia Synodi convocari debent. Prima est, Haeresis nova, scilicet antehac numqvam damnata, qvalium causa, prima septem Concilia sunt celebrata; et Tridentinum celebrari, vel potius continuari petebant an. MDXLVIII. Ordines Regni Hung. seqventibus verbis: *Suplicant Ordines et Status Regiae Maiestati, domino eorum clementissimo, ut tam sua, qvam sacrae Maiestatis Caesareae authoritate, agat apud SS. Dominum nostrum, qvo Sanctitas sua Generale Concilium, pro complanandis omnibus differentiis, variisqve opinio-*

nn) Matth. XVI. 18.

nionibus de religione, sine diuturniori mora celebrare dignetur. Qvod si Sanctitas sua id differret, Maiestas Caesarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur. o) Altera causa est, scissio Ecclesiarum nata ob plures de Tiara Papali decertantes. Nam docuit experientia, medium hactenus tollendi huiusmodi schismatis, fuisse Concilium, qvod de utroqve decernebat. Tertia causa est, deliberatio de modis, qvibus communi Christianae Reipublicae hosti, obviandum esset. Qvo pertinent Concilia, in qvibus de cruciatis expeditionibus actum erat. p) Qvarta foret, haereseos in Romano Pontifice suspicio, vel morum eius nimia depravatio; propter qvarum alterutram, vel utramqve, per Concilium Generale monendus: pervicax autem, deponendus esset. Qvinta causa, si Cardinales ad electionem Ponti-

o) An. 1548. art. 13. p) Talia fuerunt: Lugdun. I. an. 1245. Lugdun. II. an. 1274. Viennense, in qvo post alia de recuperanda terra sancta actum est an. 1311. Deniqve Lateran. V. inchoatum an. 1512. in qvo cetera inter, de recuperanda terra sancta deliberabant.

tificis procedere nollent, aut non possent. Nam tunc Generalis Concilii munus foret, de supremo Pastore prospiciendi. Sexta causà, vitiorum irradicatorum sublatio, et reformatio generalis. Qvamqvam enim iure hoc usi legantur Pontifices, attamen longe svavius res agitur, cum adprobante Concilio generali, summus Pontifex legem dicit. Hinc novimus, omnia fere Concilia Generalia leges scripsisse, morum reformationem inculcantes. q)

§. LXIX.

Illuc iure Div. pertinent Episcopi.

In Concilio generali, iure ferendi suffragii gaudere Praesules, brevi prorsus argumentatione potest evinci. Nam disponente Domino, datur in Ecclesia Christi potestas decernendi, praecipiendiqve; (§. VI.) non par omnibus, (§. XX.) verum illis propria, qvi ad Hierarchiam Divina ordinatione constitu-

tam

q) Bellarmin. de Conciliis lib. 1. cap. 9. seqq. Obstraet de locis Theol. dissert IV. qv. 3. Richard analys. Concil. in tract. praevio de Conciliis, cap. IV. §. 1.

tam pertinent, videlicet Romano Pontifici, (§. XXV.) deinde post Apostolos hoc munere functos, (§. XXVII.) illorum successoribus Episcopis. (§. XXVIII.) Qvo igitur iure usos legimus Apostolos: idem ab eorum successoribus, avelli tanto minus potest, qvod celebratio Concilii, sit modus qvidam exercendae illius sacrae potestatis, qvam Episcopi a Christo acceperunt.

§. LXX.

De Presbyteris qvaeritur.

Qvi Presbyteros qvoqve habere locum in Concilio Generali, dicunt, non sic volunt assertum intelligi, qvasi vero istud debita cum subordinatione erga Praesules fieri non debeat; vel qvasi hi, Presbyterorum suffragio penitus excluso, sententiam in Conciliis, robur suum habituram, neqveant ferre. Hoc tantum dicitur: Fundamentum esse in Lege Divina huius, qvod in Concilio generali, ordinis secundi Sacerdotes, ferre suffragium possint. Leguntur enim in Scripturis Sanctis convenisse *Apostoli et Seniores*, qvaestionem examinaturi ad se delatam: Num Christiani

de-

debeant more Iudaico circumcidi? Placuit *Apostolis et senioribus* adornari literas ad Ecclesias Antiochiae, Syriae, et Ciliciae mittendas; et in his *Apostoli et Seniores fratres* decernebant, qvid agendum fidelibus, et a qvibus abstinendum esset. r) Paulus praeterea et Timotheus, *cum pertransirent Civitates, tradebant eis custodire dogmata, qvae erant decreta ab Apostolis, et Senioribus, qvi erant Ierosolimis.* s) Idem Paulus post multas navigationes Ierosolimam veniens, intravit ad Iacobum, *omnesqve collecti sunt seniores;* ac voce una declarabant: *De his autem, qvi crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, iudicantes ut abstineant se ab idolis, immolato, et sangvine, et suffocato, et fornicatione.* t) Cuiusmodi expressiones docere videntur: Ad Presbyteros Ierosolimam aeqve ac ad Apostolos ventum fuisse; Illos perinde iudicavisse, praecepisse, ac iis aeqve obtemperatum. Decisivam eos proinde vocem una cum Apostolis habuisse. Profecto Apostolicus pater, qvoniam Ioannis Apostoli discipulus,

r) Act. XV. s) Act. XVI. 4. t) Act. XXI. 18. 25.

lus, S. Ignatius Martyr, necessarium esse inqviebat subiici, non modo Episcopis, verum *et Presbyteris, ut Apostolis Iesu Christi.* u) S. Cyprianus adpellavit corpus Presbyterii, *Sacrum venerandumqve consessum.* v) S. Ioannes Chrysostomus, communia esse inqvit omnia Presbyteris cum Episcopo: *solaqve ordinatione superiorem hunc esse.* w) Neqve mirere istud: Nam etiam S. Hieronymus interrogabat: *Qvid facit excepta ordinatione Episcopus, qvod non faciat Presbyter?* x) Tantum scilicet tribuit vetustas Christiana Presbyteris. Hinc in Synodo Antiochena anno Christi 264. contra Paulum Samosatenum celebrata, epistolae Synodicae legitur subscriptus Presbyter Malchus. y) Vocem habuere Presbyteri in Romana Synodo contra Iovinianum anno Christi 390. celebrata. z) Reliqvis hic praetermissis, a) addatur Synodus

G Ro-

u) Epist. ad Trallianos. v) Epist. ad Cornel. PP. pag. 237. edit. Tirn. w) Homilia in ep. 1. ad Timoth. x) Epist. ad Evagrium. y) Euseb. Hist. Eccl. Lib. VII. cap. 29. et 30. z) Natal. Alex. hist. Eccl. saec. IV. cap. 3. art. 19. a) Plura lege apud Richard ad Concilia praev. tract. de Conciliis cap. VII. §. 2.

Romana, mortuo Pontifice Fabiano, ante Cornelii electionem, a Presbyteris celebrata. b)

§. LXXI.

Sententiae negantis motiva.

Qvi non favent Presbyteris, talia proferunt: In Synodo Chalcedonensi Praesules Aegyptii clamabant semel ac iterum: *Petimus superfluos foras mitti: Synodus Episcoporum est, non Clericorum.* Praecipiunt Concilia generalia praesentiam Episcoporum, at Presbyteris haud imponunt. Aliter subscripti leguntur actis Conciliorum hi, qvam illi. Nam in Constantinopolitano, qvod anno Christi 381. celebratum fuit, sic legitur: *Flavianus Episcopus Constantinopolis, definiens, seu iudicans, subscripsi. - - Andreas Presbyter et Archimandrita, subscripsi in depositionem Eutychis.* Aiunt praeterea: si Presbyteris qvoqve ius esset assidendi Conciliis generalibus, seqveretur, ad haec saltem unum

e

b) Celebrata est haec Synodus circa ann. Christi 250. Videatur Richard analysis Concil. T. I. Epistola item S. Cypriani ad Antonian. edit. Tirn. pag. 187.

e qvalibet Dioecesi vocandum esse. Qvo posito, tantus fieri posset numerus Presbyterorum, ut superarent suffragia Episcoporum. c)

§. LXXII.

Qvidam Clerici de more vocandi.

Altera haec assertio si locum habet; qvicunqve non sunt Episcopi, non *decisivam* in oecumenica Synodo, sed *doctrinalem* duntaxat sententiam pronunciandi habent potestatem, liberaliter sibi per Episcopos indultam. Sunt vero: Cardinales, nondum Episcopi. Titulares Episcopi. Imo Dioecesani nondum consecrati. Abbates iurisdictione pollentes. Generales Ordinum Religiosorum. Doctores Legum. Theologi per Pontificem, Regesve, aut per Scientiarum Universitates delecti. Procuratores absentium Praesulum. Ordinum Religiosorum Theologi, et Procuratores. Qvos consvevisse ad Synodos oecumenicas evocari, docuit exemplo suo Tridentina Synodus; et tam Paulus III. Pont. anno 1542. qvam et Iulius III. anno 1552. gravissima prae-

c) Richard dissert. de Conciliis cap. 7. §. 2.

praeceptione, nimirum *in virtute obedientiae, aliisqve sub poenis, iure, aut consvetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri, et proponi solitis.* d)

§. LXXIII.
Episcopi omnes vocandi.

Cum omnes illi, qvos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, de Lege Divina pertineant ad Synodorum Oecumenicarum celebrationem: (§. LXiX.) debent utiqve per eum, cuius id muneris est, ad illas, nemine prorsus excluso, more solito vocari.

§. LXXIV.
Ordinarie per Papam.

Qvodsi Iustinum Febronium demas, e) ceteri omnes Catholici, Synodos universales convocandi potestatem habere Pontificem Roma-

d) Leguntur insertae Bullae hae decretis Conc. Trid. e) Hic in *lib. singulari de statu Ecclesiae* cap. VI. §. 2. scripsit: *Nulla lege Divina, aut humana convocationem universalium Conciliorum summo Pontifici reservari.*

manum, eam ob rem affirmant, qvod, cum Primatus a Christo sit institutus conservandae unitatis causa, (§. XXVI.) sponte seqvatur ius Pontifici media oportuna procurandi, qvae hanc unitatem conservent, sublatamve restituant, id, qvod Febronius ipse docuit; f) at vero Concilium oecumenicum, ad hunc finem obtinendum, usqve adeo est oportunum, ut eius nonnumqvam celebratio prorsus necessaria evadat. (§. LXVIII.)

§. LXXV.

Demtis fors casib. qvibusd.

Aiunt tamen, posse Concilium generale convocari per S. R. E. Cardinales; aut his renuentibus, per Primates; qvi si perinde nollent, a ceteris Ecclesiarum Dei Praesulibus, in uno e casibus nunc referendis. Primo, si plures decertent pro dignitate Pontificia, qvorum nullus est in eius possessione: neqve lis terminari secus possit. Secundo, si ille, qvi e pluribus aemulis, est in posses-

f) Cit. capitis §. 6. scripsit: *Omnia, et sola esse primigenia, et essentialia iura Primatus, sine qvibus unitas non potest servari.*

sessione dignitatis supremae, convocare nolit Synodum litis decidendae causa. Tertio, si Pontifex, fieret notorius haereticus, vel apostata, cuius causa deberet Synodus oecumenica celebrari. Qvarto, si occulte haereticus, vel apostata, rogatusqve, ut Concilium Generale convocet ob urgentem Ecclesiae necessitatem, id facere nollet. Qvinto, si Pontifex aut mortuus esset, aut captivus: necessitas autem celebrandae Synodi oecumenicae, inevitabilis redderetur. Sextum ponunt, si Pontifex Orthodoxus licet, malus adeo esset, ut, ne praesenti qvidem, urgentissimaeqve necessitati Ecclesiae, per convocationem Synodi vellet occurrere. Qvo casu, reclamante licet Eo, congregatam, non dubitant validam esse, dummodo Pontifex, atqve ceteri Praesules, fuerint illuc invitati. g)

§. LXXVI.

Non sine Princip. assensu.

Non id ago, ut Imperatori ius convocandae Synodi generalis asseram, qvo diviso

in

g) Lege Ioann. Obstract de loc. Theol. diss. IV. qv. 2. §. 1. num. 2.

in partes Imperio, exerceri nullatenus potest. Convocaverant utiqve prima octo Concilia Imperatores: h) sed omnes ferme tunc Episcopi, Romanorum Imperatori subdebantur. Cum praeterea convocatio Praesulum, actus *per se* spiritualis non sit, eum ut indulgerent Pontifices Imperatoribus, graves non defuerunt causae; puta: Consensio Principum et Pontificum in idem Ecclesiae bonum. Sumtus ab Imperatoribus, et publica vehicula, euntibus ad Synodum demandata. Lex Imperatoria superstes, ne freqventes hominum conventus fierent absqve Caesaris annutu. Necessitas deniqve celebrandi Synodum in Imperiali qvapiam Urbe, qvam Imperator designasset. i) Id, qvod cogit me palam affirmare, Concilium qvamvis Oecumenicum, sine Principum assensu convocari haud debere. Accedit ratio, qvod nemo Episcoporum possit invito Principe, a regno abesse, qvum id spectet ad Reipublicae gubernandae potestatem, ne Cives invito Principe patriam relinqvant; atqve illi cumprimis,

qvi

h) Lege Obstract. cit. diss. et qv. §. 1. num 1.
i) Ibid.



qvi suam in curanda felicitate etiam civili, partem habent: Neve Principes, se prorsus inconsultis acta in Synodo, vel vigorem habere non admittant, vel adurgere nolint. k) Qvod tamen qvam necessarium sit, Beatus Leo Pontifex expressit, affirmando, *res aliqvas tutas esse non posse, nisi, qvae ad Divinam confessionem pertinent, et Regia, et Sacerdotalis defendat autoritas.* l) Qvamobrem Paulus III. indicendo celebrationem Concilii Tridentini, professus est: Cum animum ad Generale habendum Concilium adiecisset, *exqvisitisqve Principum sententiis, qvorum* sibi *videbatur utilis in primis, et oportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere* invenisset, *oecumenicum Concilium - - in civitate Mantuana* indictum ab se anno 1537. Denegata vero hanc in rem Civitate Mantuana, nisi aliqvas conditiones subire vellet, ab institutis Maiorum suorum, et Sanctae Sedis dignitate, libertateqve prorsus alienas: Se

non

k) Consule Petr. de Marca de concord. Sac. et Imp. lib. II. cap. 10. Lib. IV. cap. 22. l) Ap. Gratian. can. 21 caus. 23. qv. 5.

non destitisse ait, *consulere*, *et hortari Christ. Principes*, *ut de idoneo ad habendum Concilium loco qvid sentirent*, ei *exponerent*, et cum eorum *essent incertae*, *variaeqve sententiae*, *tempusqve diutius*, *qvam erat opus*, *videretur extrahi*, se optimo animo, Vincentiam elegisse. At eo neqve Carolum Imperatorem, neqve Franciscum Galliae Regem, Praelatos dimisisse, rogatos licet, verum Concilii prorogationem in aliud tempus, postulavisse. Qvod et factum est a Pontifice. Qvi tandem videns, frustra exspectari Principis alicuius consensum, decrevit Synodum in Civitate Tridentina, inchoandam; conversis precibus, ad Imperatorem, Reges, Duces, ac Principes: curare id vellent, *ut ex suis cuiusqve regnis*, *ac provinciis Episcopi*, *et Praelati sine tergiversatione*, *et mora ad Concilium proficiscantur.* Qvae omnia docent, qvantum intersit, ne Concilium absqve consensu Principum convocetur. Hinc Iulius qvoqve tertius, resumens celebrationem concilii, benevolentiam Principum implorare haud neglexit, sperare se professus, *per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum*,

ut

ut Reges omnes ac Principes Christiani, iustis piisqve Eius in hac re votis annuant, faveant, atqve assistant. Deniqve Pius qvartus, in Bulla, qva resumtionem Concilii Tridentini decernebat, professus est, *factis etiam consilii* sui *certioribus, Ferdinando Rom. Imperatore electo, et aliis Regibus, atqve Principibus,* - - cum eos *paratissimos ad ipsius Concilii celebrationem adiuvandam* invenisset, Concilium Tridentinum, sublata suspensione qvacunqve, decrevisse. m)

§. LXXVII.

Praesidere Pontificis est.

Ipsius naturae, atqve societatum humanarum bonus ordo illud deposcit, ut qvi primus est in societate, primum qvoqve in eiusdem societatis conventibus locum habeat, ac votum. At vero Pontifex Romanus, utiqve primus est in Societate Christiana. (§. XXV.) Ille praeterea centrum est unitatis, (§. XXVI.) cuius conservandae, vel si rupta iam esset, restituendae causa, Synodi celebrantur. (Confer. §§. VIII. LXVII. et LXVIII.) Ille deniqve

m) Leguntur hae Bullae adnexae Concilio Trident.

niqve successor est B. Petri, qvem, uti S. Ioannes Chrysostomus animadvertit, *videre est, ubiqve circumcursare, et primum inveniri. Qvando eligendus Apostolus, hic primus; qvando loqvendum Iudaeis, non esse ebrios Apostolos; qvando curandus claudus; qvando concionandum, hic prae aliis est; qvando contra Ananiam, umbra qvando sanationes fiebant, hic erat.* n)

§. LXXVIII.

Perinde est per Legatos.

Est autem perinde, seu praesideat Romanus Pontifex per seipsum, sive per Legatos. Ecclesia namqve, hominum societas est, proinde in rebus qvoqve sacris, modo duntaxat humano agit, ac pro more societatis civilis. At vero in altera hac, qvod qvis facit per alium, facere censetur per seipsum. Id qvod Pontifices Romani factis confirmarunt. Praesedit enim Concilio Nicaeno I. Silvester Pontifex, per Osium Cordubensem Episcopum; Vitum, Vincentiumqve Presbyteros. Ephesino Coelestinus per Cyrillum A-

le-

n) Homilia 21. in Acta Apostolorum.

lexandrinum Praesulem. Uti et Leo Magnus, per Paschasinum ac Lucentium Episcopos, atqve Bonifacium Presbyterum; atqve deinceps alii Pontifices non una vice, o) usqve ad ultimam Synodum Tridentinam, qvae inchoata sub Paulo III. resumta sub Iulio III. et sub Pio IV. terminata, Praesidibus Apostolicae Sedis Legatis, cuncta et definivit, et decrevit. p)

§. LXXIX.

Etiam Principum civili cum potest.

Orthodoxi qvoqve Principes iisdem Conciliis, non qvidem ut iudices, ob vetantem id Catholicorum doctrinam, (§. XX. et XXVIII.) sed ut turbarum fortassis nasciturarum vindices, et moderatores externi ordinis, adesse, aut si mavis, praeesse possunt. Id qvod ex iure gubernandi, tuendiqve Rempublicam fluit. Qvare Constantinus M. praesedisse scribitur Concilio Nicaeno I.

Ad

o) Lege Petr. de Marca de concord. lib. V. cap. 3. seqq. Ludov. Thomassini in Concilia gen. et part. dissert. X. num. 1. seqq. p) Richard tract. de Concil. saec. XVI. tom. II. edit. Augustanae.

Ad Ephesinum Impp. Theodosius iunior, et Valentinianus loco sui mittebant Comitem Candidianum, ea cum circumscriptione, *ut cum qvaestionibus, et controversiis, qvae circa fidei dogmata incident, nihil qvidqvam commune habeat, verum ut monachos et saeculares, qvi huius spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum confluent, ab eadem illa civitate modis omnibus submoveant, qvandoqvidem non licet illos, qvi omnino necessarii non sunt ad sacrorum dogmatum examen, tumultus excitare; - - - tum rursum, ut diligenter prospiciat, ne qvae dissensio ex mutuo repugnandi studio contra increbrescat, et saevae tempestatis instar debachata, Synodi consultationem, exactioremqve veritatis indagationem forte obturbet.* Addebant plura, qvae hic brevitatis causa praetermisi. Chalcedonensi Concilio interfuerunt Valentianus et Marcianus. Constantinopolitano III. et inter oecumenica sexto, Constantinus Pogonatus; verum qvi in Patrum alloqvutione, haec aiebat: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliqvam exercendam, exemplo religiosissimi*

Prin-

Principis Constantini, *Synodo interesse voluimus*, *ne vel ulterius populi pravis svasionibus separetur.* Praefuit qvoqve Concilio septimo Irene Imperatrix cum filio; et Basilius Imperator octavo. q) Cuius praeclari moris bene memor Paulus III. in Bulla indictionis Concilii Tridentini, Imperatorem Carolum, Regem Christianissimum Franciscum, ceterosqve Reges, Duces, ac Principes obsecrabat, *ut*, *si salvam volunt Christianam esse Rempublicam*, - - *ipsimet ad Sacri Concilii celebrationem veniant*, *in qvo ipsorum pietas*, *atqve virtus*, *communi utilitatis salutiqve suae*, *ac ceterorum*, *et temporali*, *et aeternae*, *plurimum est profutura. Sin autem* - - *accedere ipsi non poterunt*, *graves saltem viros Legatos cum auctoritate mittant*, *qvi personam Principis sui qvisqve*, *et cum prudentia*, *et cum dignitate possint in Concilio referre.* Rursum Pius IV. postqvam diu interruptam Synodi celebrationem resumere decrevisset, hortatus est Romanum Imperatorem, ceterosqve Reges ac Principes, *ut*, *si ipsi Concilio non poterunt interesse*, *at Oratores*

q) Lege Obstraet de loc. Theol. diss. IV. §. 2. num. 3.

tores suos, prudentes, graves, et pios viros utiqve mittant, qvi ipsorum nomine illi intersint. Obseqvuti sunt revera huic Pontificis cohortationi, tum alii Principes Orthodoxi, mittendo Legatos Tridentum: r) tum etiam Ferdinandus I. Nam ut Caesar, misit Antonium de Muglitio Archiepiscopum Pragensem, atqve Sigismundum a Thuun: qva Rex vero Hungariae, Georgium Draskovith, tunc Episcopum Qvinqveecclesiensem, cuius literis, qvas vocant *Credentionales*, die 1. Ianuarii anno 1562. datis, haec inseruit: *Nolentes sane propter absentiam nostram, tam pio, et praeclaro instituto qvidqvam impedimenti, aut difficultatis iniici, aut qvidqvam a nobis desiderari, qvod ad rem iuvandam pertinere qveat; confisi de singulari pietate, fide, probitate, eruditione, iudicio, ac multarum rerum usu, et experientia, Reverendi, devoti Episcopi Draskovithii, Ecclesiae Q. Ecclesiensis Episcopi, et Consiliarii nostri fidelis nobis dilecti, eundem in solidum, solenniter - - Commissarium, Oratorem, Nuncium, Procuratorem, et Mandatarium nostrum*

r) Leguntur ad calcem Conc. Trident.

strum facimus, constituimus, et ordinamus. s)

§. LXXX.

Plenus esto numerus.

Attamen sive Pontifex, seu Princeps, suo qvisqve iure Synodo oecumenicae praesederit, sua ut stet Concilio autoritas, tot ei praeterea interesse oportet Episcopos, ut universam Christi Ecclesiam repraesentare, dici ex vero possint. Haec enim est Synodi generalis natura. (LXVI.) Huius autem ipsius ratio est, qvod, licet nomine *praecipientis* Ecclesiae, sint Episcopi, de lege Divina intelligendi: (§. XXVIII.) ceteri autem fideles, nomine Ecclesiae *obseqventis;* (§. XIII. XX.) qvia tamen singuli Episcopi, singulae duntaxat plebi Christianae cum potestate praesunt, ut praecipiant toti Ecclesiae obseqven-

s) Legitur hoc fragmentum ap. Péterffy Conc. Hung. parte II. pag. 134. Oratio autem dicta in Concilio ibid. pag. 426. alteram eius orat. vulgavit Godefrid. Schwarz, sub ficto nomine Lorandi Samuelffi an. 1743 in comentar. de vita et scriptis Andreae Dudithii Sbardellati.

qventi, e toto illos orbe Christiano conveni-re, necessum erit. Neqve tamen omnes atqve singulos adesse oportebit; cum id nec sine detrimento Ecclesiarum fieri posset, nec sine maxima qvorumdam Praesulum molestia, qvos nimirum, vel aegritudo corporis, vel aetas nimium gravis, vel penus domesticae tenuitas ab itinere, aut a diuturna extra Ecclesiam suam commoratione, prohiberet. Profecto, si omnium Praesulum in Concilio generali, postuletur praesentia, nullum hactenus habebimus Concilium universale. Qvamvis igitur necessum sit vocari omnes orthodoxos Ecclesiarum Praesules: (§. LXIX.) sufficiet nihilominus tot adesse numero, e plerisqve Catholicis regionibus, ut dici possint *moraliter* totam Ecclesiam repraesentare. Ceteri, qvi cum vocati fuerint, nec ipsi, neqve per legatos, ac ne per literas qvidem comparuerint, praesentium in Synodo definitionibus, atqve decretis se conformaturos, tacite declarant. Imo suffecerit, si provinciae singulae, coactis antea particularibus Synodis, unum vel paucos ad Synodum oecumenicam dimittant, probe instructos, qvi

ceterorum ibi nomine consultent. t) Hoc egit Synodus Tirnaviensis anno 1561. celebrata praeside Nicolao Olaho Strigoniensi Metropolitano, cum duos nomine totius Cleri Hungarici, ad sacram Tridentinam Synodum, a Pio IV. mox anno seqvente resumendam, dimisit, Ioannem Silvestrum Colosvarinum Chanadiensem Episcopum, et Andream Dudithium Tinniniensem. Cumqve Dudithius die VI. aprilis, anno 1562. in medio Patrum, culta oratione excusavisset Praelatorum Hungariae absentiam, ob Turcarum partim, partim haereticorum grassationem; ob senilem plerorumqve aetatem, vel adversam valetudinem; tum ob rem domi angustam: u) fecit Patribus satis, qvorum nomine responsum fuit: *Reverendi Patres! Persvasum est Sanctae Synodo, eam laetitiam, qvae communis fuit omnibus Christiani populi nationibus, pro generali huius Sacrosancti Concilii celebratione, ad Praelatos qvoqve Ecclesiae vestrae Hungariae pervenisse, cuius singulare*

sem-

t) Ioann. Obstraet de loc. Theol. diss. IV. qv. 1. num. 4. u) Legitur ap. Péterffy Conc. H. T. 2. p. 432. adde ibi pag. 130. seqq.

semper exstitit studium in tuenda, et conservanda vera Christi Religione. Hinc rogandus est Deus immortalis, ut, qvae tanto bonorum omnium consensu inchoata sunt, ad optatos etiam exitus pro sua benignitate perducat. Optabilius qvidem S. Synodo fuisset, ut Regni Hungariae Praelati ad hoc Sacrum Concilium personaliter accessissent, sed qvando iustis, et legitimis de causis, cum gravissimo testimonio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Hosii Cardinalis Varmiensis coniunctis, v) *coguntur abesse, libenter illorum excusationem Sancta Synodus accipit, cum praesertim confidat, fore, ut non multo minorem utilitatem Christiana Religio perceptura sit ex opera, qvam ipsi suis Ec-*

v) Nemo miretur provocari ad testim. Hosii. Erat enim is ann. 1559. Vindobonam missus Nuncius ad Ferdinandum I. ut patet ex serie Nuncior. Apost. Vindob. inserta ei operi, qvod inscribitur: *SS. D. N. Pii PP. VI. responsio ad Metrop. Mogunt. Trevir. Colon. et Salisburg. super Nunciatur's Apost. Romae* 1789. Ad hunc praeterea Hosium provocavit Pius IV. Pont. in ep. ad Nic. Olahum an. 1560. data. Qvae legitur ap. Péterffy T. II. pag. 131.

clesiis, his turbulentis temporibus pie, et diligenter praestare poterunt, atqve eo magis, qvod res, et negotia sua vobis optimis, et religiosissimis Patribus committenda existimarunt. Qvod reliqvum est, vos et mandata vestra, prout iuris fuerit, laeto animo complectitur, atqve admittit. w)

§. LXXXI.
Seria verit. indagatio.

Congregati Praesules in Concilio, necesse est, ut omnia adhibeant humana, et ordinaria media industriae, studii, collationis. Neqve enim Concilia, autoritatem ideo duntaxat habent, qvod multorum suffragiis res illic fuerint pertractatae: verum, qvod Praesulum multitudo, Sacras Literas, sinceramqve Traditionem, ea, qva par est diligentia, fuerit perscrutata. x) Qvia scilicet, eadem est qvidem, (§. XXVIII.) sed non maior Praesulum potestas, qvam fuerit potestas Aposto-

w) Legitur ap. Péterffy cit. tom. pag. 432. item ap. Batthyán in serie Epp. Chanad p. 153. ubi plura de Episcopo Kolosvarino leges. x) Consule Murator. de moderat. ingenior. lib. 1. c. 14.

postolorum. At vero, qvemadmodum oecumenica Synodus V. dudum adverterat, *licet Spiritus Sancti gratia et circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, qvae agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, qvod movebatur, si oporteret gentes circumcidi? definire, priusqvam communiter congregati, Divinarum Scripturarum testimoniis unusqvisqve dicta sua confirmaverunt.* y) Profecto Episcopi non sunt extra ordinem inspirati a Deo, nec novas nanciscuntur Revelationes; qvaerendae sunt itaqve ipsis etiam veritates ex iis fontibus, e qvibus ab exordio Ecclesiae Christianae hauriri consveverunt. (§. LXII. et seq.)

§. LXXXII.

Dicendi libertas.

Qvodsi Praesules Ecclesiarum, sedent in Conciliis oecumenicis cum potestate propria: (§. LXIX.) si decernendum ibi est e legibus iam scriptis: (§. praec.) debet illic regnare plenissima libertas illud proferendi, qvod

y) Videatur a me scripta *Caussa Relig. contra Helv. et Aug. Confessioni add.* §. 72.

qvod qvisqve legitimorum iudicum in Sacris illis legibus praesentem in rem, inventum ab se, bona fide arbitratur. Hinc sacra vetustas et Mediolanensem anno Christi 355. et Ariminensem anno 359. celebratas, veluti *Pseudo-Synodos* reiecit semper; qvamqvam in illa, praeter qvosdam Orientales tercentum Occidentales Episcopi adessent: in ista qvadringenti. Qvia nimirum utrobiqve vi et potentia Constantii Imperatoris, fraudeqve Arianorum cuncta gerebantur. Illic, Orientalibus Athanasium urgentibus damnari, ceteri qvoqve *partim metu, partim fraude, et ignoratione rerum inducti, consensum praebuerunt*; paucis duntaxat clamantibus, non alio consilio Imperatorem et Arianos ista moliri, qvam ut Nicaenam fidem subvertant. z) Hic vero, partim Tauro Praefecto Episcopos ex Urbe dimittere nolente, donec porrectae sibi formulae credendi subscriberent, partim fraudulentis Arianorum Episcoporum argutiis eo res adducta fuit, ut consentirent deniqve omnes formulae credendi *Semi-Arianae.* a)

Qvam-

z) Sozom. hist. Eccl. Lib. IV. cap. 9. a) Sulpit. Sever. hist. lib. 2. Obstraet de loc. Theol. diss.

Qvamobrem, cum in sessione XVII. Concilii Tridentini qvaesitum esset: Placeretne sacrum celebrari Concilium, *et in eo ea, debito servato ordine tractari, qvae proponentibus Legatis, ac Praesidentibus, ad horum temporum levandas calamitates - - apta, et idonea ipsi Sanctae Synodo videbuntur?* b) Usqve adeo graviter expressionem illam, ceu libertati suae adversam, tulerunt Episcopi, ut necesse fuerit seqventem fieri sessione XXIV. declarationem: *Cupiens sancta Synodus, ut ex decretis ab ea editis nulla unqvam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in decreto, publicato sessione prima sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. videlicet (qvae proponentibus Legatis, ac Praesidentibus, ad horum temporum levandas calamitates - - apta et idonea ipsi Sanctae Synodo videbuntur) explicando declarat, mentis suae non fuisse, ut ex praedictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, nec novi qvidqvam praeter id, qvod a Sacris Canonibus, vel generalium Synodo-*

IV. qv. 1. num. 5. b) Decr. de celebrando Concil.

nodorum forma hactenus statutum est, cuiqvam adderetur, vel detraheretur. c)

§. LXXXIII.

Ut sit autoritas plena.

Concilium oecumenicum omnibus reqvisitis plene vestitum, si puncta demas, qvae iuribus aliqvorum possent nocere, (§. XV.) plenissimam habet autoritatem, qvae obseqvendi necessitatem Christifidelibus imponit. Namqve singulis plebibus praecipiunt singuli Praesules. Cunctis igitur fidelibus, omnes, aut ferme omnes, in Spiritu S. legitime congregati, potestatem praecipiendi, hi autem obseqvendi habent necessitatem. Id, qvod perpetuis temporibus agnitum est in Ecclesia Christi. Nam si demas qvintam oecumenicam Synodum, qvae est Constantinopolitana II. anno 553. acta, et sextam, perinde Constantinopolitanam III. anno 680. celebratam, reliqvae omnes usqve ad postremam Synodum Tridentinam, non dogmaticas modo,

sed

c) Decr. de reform. cap. 21. Videatur Pallavicin. hist. Conc. Trid. libro XXIII. cap. 2. num. 1. Cap. 5. num. 7. et 14. item Cap. 6.

sed disciplinares qvoqve tulerunt leges, eo prorsus fine, ut hisce omnes Christifideles obstringerentur.

§. LXXXIV.
Et obliget post promulg.

Obstringuntur tamen, postqvam leges illae sufficienter promulgatae fuerunt. Haec est enim cuiuscunqve legis Ecclesiasticae natura. (§. XIV.) Non tamen est necessum, ut in singulis cuiuslibet Regionis Dioecesibus, Concilii decreta promulgentur solemni qvadam forma, cum non desint viae, qvibus haec certissime aliter etiam innotescere possint. Praesentes qvi adsunt Episcopi, suis audiunt auribus. Absentes e relatione non unius, alteriusve, sed e multiplici, continuata, dubio carente. Nullum utiqve Concilium, inde a Nicaeno I. usqve ad Tridentinum, dici potest solemniter ubiqve promulgatum fuisse. At ne postremum qvidem istud, singulis in Dioecesibus Ecclesiae Hungaricae solemni via promulgatum est. Unicam enim novimus convocatam Synodum Tirnaviae a Nicolao Olaho anno 1564. eum in finem, ut ibi

ibi decreta Concilii Tridentini nota reddi possent. Sed haec Dioecesana tantummodo fuit. d) Ut ad summum, intra Strigoniensem Dioecesim, solenniter promulgata Tridentinae Synodi decreta, dici possint; in aliis vero (ut dicimus) aeqvivalenter. Miserat enim suum Oratorem Ferdinandus Rex Hungariae Tridentum; suos miserunt Ecclesiae Hungaricae Antistites. Qvi reduces inde, plenam utiqve relationem de omnibus, ipsaqve Decreta retulerunt; etsi modus factae relationis, cum ab illa aetate multum distemus, nobis minime constet. Certe Praesules Ecclesiae Hungaricae, cognita sibi adprime fuisse decreta illa, toties contestantur, qvoties illorum observantiam in suis constitutionibus Synodalibus inculcant; id qvod Synodos Hungaricas legenti, videre licebit. e)

§. LXXXV.

d) Indictio Synodi legitur ap. Péterffy Conc. T. II. pag. 151. e) Plura hanc in rem leges ap. Mart. Szentiványi Rerum Hung. dissert. paralipomen. catalogo 77. Item ap. Szegedi in rubricis Iuris Ung. parte II. ad artic. 13. anni 1548.

§. LXXXV.

Sed num ante Papae confirm.?

Odiosam, imo permultis exosam ingredior qvaestionem: Utrum Synodus oecumenica Pontificis indigeat confirmatione, ut vim obtineat in tota Ecclesia, plenumqve robur? Qvam ego placidissime tractabo. Confirmationis Pontificiae necessitas, triplici sensu potest intelligi: Ut, qvae rata iam sunt, suam illis consensionem praebeat; vel, qvae condita sunt, inculcet fidelibus, ceu habentia plenam autoritatem; vel, ut novum decretis Concilii robur addat, plenamqve auctoritatem. Qvodsi Pontifex ipse praesedit Concilio, velut in duobus Lugdunensibus, qvinqve Lateranensibus, Viennensi, atqve Florentino, nova Eiusdem confirmatione opus non erit; cum decreta illic omnia concepta sint nomine Pontificis, cum hac formula: *Sacro approbante Concilio.* f) Si adfuit per Legatos instructione peculiari munitos, extra qvam ipsi ne latum ungvem discesserint, idem prorsus dicendum. Qvod enim facit qvis per alium, facere censetur per seipsum. Qvodsi

f) Vide Petri de Marca lib. V. cap. 10. §. 3.

si autem illi mandatum sunt praetergressi: proculdubio negari haud potest obligatio substernendi acta Synodalia Pontifici, eumqve ius habere diligenter inqvirendi, num iuste ac aeqve fuerint omnia pertractata. Hoc sane, ex fine instituti Primatus, (§. XXVI.) et ex forma Regiminis sacri, (§. XXXII.) fluere mihi videtur. Altero qvoqve sensu intellecta confirmatio, competit Praesuli Romano. Cum enim ad Papam, velut Ecclesiasticae unitatis centrum, omnes Christifideles respiciant: nisi ipse annutu publice noto probaverit Acta Concilii, suumqve illa robur habere, significaverit, non tam facile constabit, Concilium fuisse legitimum, cui oporteat obediri. Si Pontifex ceteroqvin legitimus, nollet oecumenicae Synodo interesse: uti Vigilius anno Christi 553. praesens Constantinopoli, refugit Synodum V. seu Constantinopolitanam III. g) Acta Synodi reverenter Illi tradenda essent, qvo haec per Eum vi muneris promulgentur per orbem Christianum, inculcenturqve. Qvodsi is exeqvi nollet

g) Lege Natalis Alex. hist. Eccl. saec. VI. cap. 3. art. 1. §. 2.

let, eadem autoritas, qvae sine Pontificis annutu Synodum oecumenicam congregare potest, ac celebrare, (§. LXXV.) leges qvoqve ibi constitutas, promulgare posset. Dicendum istud perinde, si neqviret Pontifex adiri, petendae confirmationis causa. Vel si haereticus esset, schismaticus, aut suspectus. Alioqvin, si decreta Concilii oecumenici, numqvam promulgari possint, nisi fuerint a Pontifice confirmata: periculum est, ne desit aliqvando medium tollendi haeresin, vel schisma; id qvod cum promissione Christi facta Ecclesiae suae apud Mathaeum cap. XVI. non consentit. Qvodsi tertio sensu intellecta Papae confirmatio, putetur esse necessaria, qvo plenum robur obtineant Synodi generalis decreta; videntur aegre substiturae: par Apostolicae potestati, (§. XXVII.) Praesulum potestas; (§. XXVIII.) regiminis Ecclesiastici forma; (§. XXXII.) veraqve iurisdictio, qva Praesules in Conciliis gaudent. (§. LXIX.) Enimvero, si Concilium robur suum obtinet a Pontifice, ceteri Praesules, non ut iudices, verum ceu consultores duntaxat assident eidem, et qvaecunqve iactantur

ana-

anathemata in pervicaces, bruta fulmina suut ante confirmationem Papae. Qvapropter a Patribus Tridentinis sessione XXV. petita confirmatio, unum hoc volebat, ut Pius IV. Pontifex, illa, qvae iam certa, validaqve fuerant, omnibus declaret ceu legitima, tum observanda inculcet; h) si qvis aliam fuisse mentem Tridentinis Patribus, existimat, in suo, per me licet, sensu abundet.

§. LXXXVI.

Aut hoc supra Papam est?

Sua qvoqve stet cuivis libertas asserendi, vel negandi, Generale Concilium autoritate Romano Pontifici eminere. Qvod assertum et hoc significare potest, qvod qvaelibet Decreta Pontificis per Synodum oecumenicam valeant reformari; et istud: qvod Concilium oecumenicum sit iudex legitimus Papae, cuius autoritate, Hic etiam dignitate sua privari possit. Utrumqve magno verborum adparatu propugnabatur nuper. Qvamqvam, sensu praesertim altero sumtam assertio-

h) Bossuet defens. declar. Cleri Gall. parte 3. lib. 8. cap. 3. seq. Petri de Marca lib. VII. cap. 14.

tionem iam occasione magni schismatis occidentalis propugnaverint: Parisiensis Academia anno 1393. Constantiense Concilium anno 1415. sessione IV. et V. Basileense anno 1432. sessione II. et XVIII. Qvorum sententiis adhaerent ea de causa non pauci, qvod velint, sententiam hanc congruere traditioni Sanctorum Ecclesiae Patrum; atqve Synodos, Constantiensem qvidem absqve exceptione semper, Basileensem usqve ad factam eius ab Eugenio translationem, oecumenicas fuisse. Verum alii haec omnia in qvaestionem, et olim vocarunt, et hodie vocant. i) Declaraverat Clerus Gallicanus in Conventu anno 1682. celebrato, qvasdam inter propositiones, etiam seqventia: *sic inesse Apostolicae Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atqve immota consistant Sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoqve Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atqve ab Ecclesia Gallica-*

na

i) Vide praecipuas obiectiones ap. Obstraet de loc. Theol. diss. V. qv. 2.

na perpetua religione custodita decreta, de autoritate Conciliorum generalium, qvae sessione IV. et V. continentur, nec probari a Gallicana Ecclesia, qvi eorum Decretorum qvasi dubiae sint authoritatis, ac minus approbata robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilia dicta detorqveant. k) Verum aliter sensit Georgius Szelepchényi de Pohroncz Archiepiscopus Strigoniensis, qvi eodem anno praemissa consultatione cum Episcopis, Abbatibus, Praepositis, Capitulis, aliisqve compluribus Theologiae Professoribus, et Sacrorum Canonum scientia praestantibus viris, propositionem nunc recitatam; cum tribus aliis eiusdem Cleri Gallicani propositionibus proscripsit, vetuitqve legi, retineri, vel doceri, usqve ad futuram sedis Apostolicae definitionem. l) Docuit Claudius Fleuri Abbas Gallus, omnes Ecclesiae Gallicanae libertates hisce veluti cardinibus verti: I. *Qvod potestatem a Christo Ecclesiae concessam mere spiritualem, nec ullo modo directo, sive per obliqvum ad res huius saeculi tra-*

k) Ap. Bossuet in Defensione declar. Cleri Gall.
l) Apud Péterffy T. II. concil. pag. 447.

trahendam constet. II. *Qvod plenitudo potestatis, qvae Pontificem tanqvam caput Ecclesiae est praescripto Canonum ab universa Ecclesia receptorum exercenda, ipseqve Pontifex iudicio Concilii universalis, in casibus a Concilio Constantiensi expressis, obnoxius est.* m) Sed volunt alii, hoc neutiqvam fluere ex idea regiminis Ecclesiastici, utut per aristocratiam temperati; neqve ex ullo Scripturae loco probari, vel ex traditione, Ecclesiae potestatem illam in caput suum concessam fuisse. n) Ecqvis igitur ausit sententiam velut e tripode proferre, qvasi videat tandem solus, qvod milleni necdum vident. Neutram licet ex oppositis hic sententiis impugnes, aut defendas, salva manet Respublica tam sacra, qvam profana. Verum dicta hactenus omnia, de certo Pontifice intelligantur, oportet. Nam ubi duo pluresve Pontifices dubii sunt, omnes exautorari posse, suffecto, qvi legitimus sit, exemplum docet Synodi Constantiensis, qvae deiecto Bene-

I

m) In institut. Iuris Eccl. parte 3. cap. 25. n) Ant. Schmidt institut. Iuris Eccl. Germ. T. 1. Cap. 1. sect. 2. §. 34.

Benedicto XIII. Martinum V. elegit, universa Christi Ecclesia consentiente. Hoc ipsum intelligatur de Pontifice in haeresim prolapso. Tunc enim desinens esse membrum Ecclesiae, iam sua qvoqve potestate penitus excidisset.

§. LXXXVII.
Concilia Nationalia.

Alterum post oecumenica locum in Ecclesia Christiana, tenent Concilia *nationalia*, ad qvae conveniunt Archiepiscopi, et Episcopi totius Nationis, praesidente Primate. o) Idmodi Synodus in Africa celebrata post Christum natum anno 418. ab Augustino adpellata fuit *plenaria;* Toleti vero apud Hispanos anno Christi 589. congregata, *sanctam* semet, ac *universalem* nominavit. p) Unde tam antiqvitas, qvam et pondus eiusmodi Synodorum patet. Ius novissimum, tempus celebrandae Synodi Nationalis, minime defixit. In Ecclesia Hungarica, primum hactenus

o) Bened. XIV. de Syn. D. lib. I. cap. 1. §. 2.
p) Ibid. item Petri de Marca concordia etc. lib. VI. cap. 16. et 20.

nus Concilium nationale novimus illud, qvod Strigonii celebravit Laurentius Archiepiscopus anno Christi 1114. cum Antistitibus, illa tractando, qvae ad Statum Ecclesiasticum, et Monasticum, rectamqve vivendi normam esse oportuna videbantur. q) Istiusmodi Synodis praeter Episcopos, etiam alios interesse congruum est; viros nimirum Ecclesiasticos, qvorum scientia, experientiaqve Praesulum consilia iuvet. Qvapropter nationali Synodo Budensi, qvae anno Christi 1263. celebrata est, praeter Metropolitanum Strigoniensem, ac Praesules: Agriensem, Vaciensem, Vesprimiensem, et Nitriensem; dein Procuratores Episcopornm, Qvinqveecclesiensis, Syrmiensis, et Transylvaniensis; aderant Abbates Ordinis S. Benedicti: de sacro monte Pannoniae, de Pétsvárad, de Sexárd, ac de Simighio; praeter aliorum Ordinum Praelatos, Praepositosqve, Archidiaconos item, et

q) Ap. Péterffy Concil. T. I. pag. 55. Item e codice MSS. seculi XII. ap. Pray in diatribe in dissert. Ganoczianam de S. Ladislao. pag. 211. correctius apud R.R. Koller in hist. Episc. Qvinqv. T. I. pag. 382.

Plebanos. r) Emericus Losi Archiepiscopus Strigoniensis, nationalem Synodum anno 1638. celebrandam, s) indixit Episcopis, Abbatibus, Praepositis, et Capitulis; qvemadmodum revera decretis huius Synodi leguntur subscripti. Huiusmodi Synodorum potestas iisdem fulcitur argumentis, qvibus innitebatur autoritas Concilii Generalis, (§. LXXXIII.) ea cum differentia, qvod sicut Episcopi singulae plebi: sic Collegio Episcoporum, unius Nationis praecipientem Ecclesiam repraesentanti, universa eiusdem Nationis plebs orthodoxa morem gerere teneatur. Id qvod praxis Ecclesiae confirmat, in qva multae hu-

ius-

r) E docum. ap. Pray in specim. Hier. H. parte I. pag. 238. et ap. RR. Koller cit. op. Tomo II. pag. 172. s) Ap. Péterffy cit. Tomo, pag. 374. Nemo me coarguat erroris, cum a Péterffio nominatam Synodum *Provincialem*, ego *Nationalem* dixi. Qvomodo enim Provincialis, in qva Zagrabiensis Episcopus absentiam excusavit, aegre admissam? In qva praesens fuit Capituli Zagrabiensis Nuncius, contra constitutionem cap. 2. factam, protestatus; et in qva Colocensi, ac Zagrabiensi Praesuli mandatur, ut Ritum Romanum seqvantur?

iusmodi Synodi Nationales celebratae memorantur; et vel in una Ecclesia Hungarica, undecim hactenus numeravi. t)

§. LXXXVIII.

t) Ne sua exspectatione fraudetur domesticus lector, en illas! Citata Strigonien. anni 1114. Celebrata an. 1134. Varadini praeside Feliciano A. Episcopo ap. Kercselich in hist. Epp. Zagrab. pag. 1. et ap. Koller cit. op. tom. 1. pag. 159. Si fides Péterffio, tertia est Strigonii per Benedictum A. Ep an. 1256. celebrata. ap. Péterffy T. 1. pag. 86. Koller cit. op. T. II. p. 152. Qvarta est anni 1263. per Angelum Papae nuncium Budae celebrata, cuius memini ante. Qvinta Budensis an. 1279. per Philippum Apostol. sedis legatum celebrata ap. Péterffy T. I. pag. 107. Sexta Posoniensis per Cardinalem Gentilem an. 1309. celebrata, et tandem a Clem. VI. an. 1346. confirmata. ap. Péterffy cit. Tom. pag. 143. et 148. Septima Tirnaviensis, qvam Petrus Pázmány A. Ep. an. 1630. celebravit. ap. Péterffy cit. op. T. II. 308. seq. Octava per eundem ibidem an. 1633. congregata. ap. eund. cit. Tomo pag. 326. Nona, qvam in textu nominavi, an. 1638. convocatam Tirnaviae. Decima per Georg. Lippai A. Ep. an. 1648. congregata. Cuius decreta nulla, sed tantum propositiones legimus, apud Péterffy cit. tom. pag. 377. Undecima, qvam Georg. Sze-

§. LXXVIII.

Provincialia.

Inferior est Nationali Synodo *Provincialis*, ad qvam conveniunt Episcopi eiusdem provinciae Ecclesiasticae, sub suo Archiepiscopo, sive Metropolitano. u) Haec iuxta Tridentini Concilii mandata, qvolibet saltem triennio, per Metropolitanum convocanda esset. v) Id qvod Synodi qvoqve nostrates, utpote anno 1611. et altera anno 1638. celebratae, fieri volunt. w) Vicarius Ecclesiae Metropolitanae vacantis, eam convocare neqvit. x) Cum rite convocata fuit, iuxta praeceptum Concilii Tridentini, *Episcopi omnes, et alii, qvi de iure, vel consvetudine interesse debent, exceptis iis, qvibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur.* y) Qvinam vero illi

lepchényi an. 1682. Tirnaviae congregavit. De qva Péterffy cit. op. pag. 439. u) Ben. XIV. de Syn. D. L. 1. cap. 1. §. 2. v) Sess. XXIV. decr. de reform. cap. 2. w) Illa cap. 1. haec cap. 5. ap. Péterffy. x) Vide Bened. XIV. cit. op. lib. II. cap. 9. num. 8. y) Conc. Trid. cit superius capite.

illi sint, docent Synodi nostrates. Etenim Synodo provinciali, qvam Lodomerius Archiepiscopus anno 1292. Strigonii celebravit, praeter Episcopos, Agriensem, Iaurinensem, Vaciensem, et Vesprimiensem, intervenere: Capitulum Strigoniense, Praepositi, atqve Abbates; z) et Franciscus Forgách Metropolitanus Strigoniensis, anno Christi 1611. *omnibus ac singulis Episcopis, Abbatibus, Praepositis, Archi-diaconis, ac ceteris, qvi de iure, vel consvetudine interesse Concilio Provinciali Strigoniensis Ecclesiae solent, ac debent*, iniungebat, *ut ad diem 1. Mensis Augusti Tirnaviam convenire debeant, ac teneantur, noverintqve secus facientes, se poenas sacris Canonibus sancitas incursuros.* a) Autoritas Concilii provincialis, et huic obseqvendi necessitas, ex iisdem sumitur fontibus, e qvibus, custodiendi decreta maiorum qvarumlibet Synodorum, obligatio fluit; cum restrictione tamen ad eam duntaxat provinciam Ecclesiasticam, cui praeest Metropolitanus, qvi Synodum indixit. Qvemad-

z) E docum. ap. Péterffy cit. alias op. T. I, pag. 130. a) Ap. eund. T. II. pag. 196.

admodum nempe singuli Praesules, plebi singulae a Domino sibi creditae praecipiunt, ita omnes Episcopi, unius Metropoleos Suffraganei simul collecti, cunctis Fidelibus ad eam Provinciam spectantibus, obseqvendi necessitatem imponunt. Id, qvod usus Ecclesiae confirmat. Iam enim Nicaena Synodus I. decreverat, *ut singulis annis in unaqvaqve provincia, bis in anno Synodi fiant*; b) atqve Chalcedonensis iterum ursit. c) Reipsa celebratae sunt diversis temporibus, ac locis; d) nec in Patria hac nostra penitus ignotae. Qvarum ego certis vestigiis primam hactenus reperi, qvam Lucas e familia Bánffiorum Strigoniensis Archiepus, celebravit anno Christi 1169. postremam vero, qvam Franciscus Forgách anno 1611. indixit. e)

§. LXXXIX.

b) Can. V. c) Can. X. Consule Espen Iuris Eccl. parte 1. tit. 20. d) Consule Petri de Marca de concord. Lib. VI. cap. 13. seqq. e) Ut volentis nosse cuncta Ecclesiae Hung. Concilia provincialia, desiderio faciam satis, en illorum seriem mihi notam! Prima est, qvam novi, et commemoravi, Bánffiana celebrata anno 1169. Altera per Lodomerium A. Epp. Strigonii ann. 1292. cele-

§. LXXXIX.

Dioecesana.

Postremum inter Concilia locum tenent *Dioecesana*, illa videlicet, qvae qvilibet Episco-

brata. De qva Péterffy T. 1. p. 128. seqq. Tertia eiusd. Lodomerii perinde Strigon. anni 1294. de qva Andr. Eggerer in annal. Ord. S. Pauli pag. 89. Péterffy T. I. pag. 132. Qvarta Thomae A. Episcopi anno 1309. in Udvard celebrata. Cuius brevis extractus ap. Péterffy T. I. pag. 167. Decretum mutilum ap. Schmitth in Epp. Agr. T. I. pag. 242. integrum vero ap. Pray in specim. Hier. H. parte I. pag. 165. et ap. Koller in hist. Epp. Qvinq. T. II. p. 236. Quinta per Demetrium A. Ep. Strigonii an. 1382. acta. De qva paucula ap. Péterffy T. I. p. 180. Koller cit. op. T. III. pag. 189. Pray cit. op. et parte, pag. 66. Sexta Strigoniensis, anno 1449. per Dionysium de Zeech celebrata. De qva Péterffy cit. op. T. I. p. 189. seq. Schmitth in A. Episcopis parte I. p. 254. Septima est, qvam idem A. Ep. Strigonii ann. 1450. celebrandam convocavit. Cuius acta non habemus. Literae vero convocatoriae leguntur ap. Schmitth. in Epp. Agr. T. II. pag. 37. Octavam convocavit Strigonium anno 1493. Thomas de Ibafalva, Praepositus S. Georgii de viridi campo Strigon. et Hypoliti Estensis, ac

scopus congregat e Parochis, Presbyteris, aliisqve Clericis propriae Dioeceseos, qvibus ipse praeest. f) Vetustissimis Ecclesiae temporibus, freqventes erant; qvando scilicet Episcopi Presbyteros, ceu laboris Evangelici consortes; velut sacrum, venerandumqve consessum, imo Senatum Apostolicum suspexere: id aeqvissimum fore arbitrati, qvod horum consilio peractum esset. Ipsorum iccirco in causis fidei, morum, ac disciplinae, sententias rogabant. g) Proprie vero dictam Syno-

Ducis Ferrarien. Administratorisqve Eccl. Strig. in Italia commorantis, Vicarius Generalis. De qva Péterffy T. I. pag. 212. seqq. Schmitth in A. Episcopis Strig. parte 2. pag. 12. et in Epp. Agr. T. II. pag. 193 seqq. Octava est, convocata anno 1561. per Nicolaum Olahum Tirnaviae, ac per Antistitum concursum effecta provincialis. Vide Péterffy T. II. pag. 131. seqq. et p. 431. Nona est, qvam Franc. Forgách an. 1611. Tirnaviae celebravit, de qva dictum est. Decimam indixerat Pazmannus pro octava Martii anni 1632. Qvam cum propter iter Romanum agere non posset, eius loco anno seqv. nationalis fuit celebrata. f) Bened. XIV. de Syn. D. loco superius citato. g) Vide meam Hist. Relig. et Eccl. Christ. periodo I. §. 39.

nodum Dioecesanam, primam in monumentis Ecclesiasticis, occurrere putat Benedictus XIV. Pontifex eam, qvae ab Siricio Papa, sub annum Christi 398. e Presbyteris, Diaconis, totoqve Urbis Romanae Clero, in causa Ioviniani haeretici congregata fuit. h) Labentibus seculis, duae qvovis anno celebrari consveverunt. Concilium vero Tridentinum fixa lege statuit, ut *qvotannis celebrentur. - - Qvodsi in his tam Metropolitani, qvam Episcopi - - negligentes fuerint, poenas sacris Canonibus sancitas incurrant.* i) In Ecclesia Hungarica utiles adeo reputatae sunt, ut publica lex Regni decreverit anno Christi 1498. seqventia: *Praelati Ecclesiarum, Synodum, qvam in eorum Ecclesiis, pro exstirpandis vitiis, et plantandis moribus Plebanorum, in Dioecesibus suis constitutorum, ex institutione Canonica necessario celebrare habent, pro pecuniis - - relaxare, - - neqve Plebani qvipiam, seipsos ab ipsa Synodo, qvovis modo redimere praesumant;* k) rursumqve praeceperit anno 1559. ut *Domini Prae-*

h) Bened, XIV, cit, loco. i) Sess, XXIV. de reform. cap. 2. k) Art. 68.

Praelati Synodos celebrent, aliaqve ad eorum officia spectantia, in rebus Ecclesiasticis obire non omittant. l) Synodus qvoqve provincialis anno 1611. m) et altera nationalis anno 1638. utraqve Tirnaviae celebrata, decretum Tridentinae repetebat; imo addebat altera, ut si Episcopi legitima de causa, Dioecesanam Synodum cogere non possent, *saltem per procuratorem, vel Vicarium suum Generalem, cum mandato sufficienti perficere, nullo pacto intermittant.* n)

§. XC.

Praeter Episc. a qvo cogenda?

Qvod innuit nostra Synodus fieri posse per Vicarium, Antistite nihilominus annuente, illud Benedictus XIV. Pontifex, e decisione S. Congregationis Concilii Trid. Interpretum, anno 1655. die 4. decembris facta, velut indubium affirmavit. o) Qvae reverentia Praesulibus in Ecclesia Hungarica, etiam antehac praestita fuit. Nam anno 1510. die secunda Maii, iussu Thomae Archiepisco-

l) Art. 41. m) Cap. 1. n) Cap. 5. o) De Syn. D. lib. II. cap. 8.

scopi Strigoniensis, acta est Synodus Dioecesana Strigonii a Demetrio de Nyárs, eius Vicario Generali. p) Anno 1515. Wesprimii Synodum Dioecesanam egit Ioannes Statilius, Praepositus B. Magdalenae de Eörs, autoritate Petri Berislo de Graboria, Wesprimiensis Episcopi, tunc ob Banalem simul dignitatem, expeditione contra Turcam suscepta, penitus occupati. q) Petrus qvoqve Paulinus electus Episcopus Chanadiensis, qva Scepusiensis Collegiatae Ecclesiae Praepositus, voluntate Metropolitani Nicolai Olahi, Synodum indicebat anno 1560. feria III. Pentecostes celebrandam. r) Qvi non petito Ordinarii sui annutu, coegerunt huiusmodi Synodum, velut Ioannes Stock Praepositus Capituli Scepusiensis anno 1460. s) eiusqve post multum temporis intervallum successor Stanislaus. Várallyi, nimirum anno 1545. t) vetu-

p) Pray Hier. H. parte I. pag. 178. De eod. in meis amoenit. fascic. V. num. II. §. 15. q) Ap. Péterffy T. I. pag. 235. r) Literae convocatoriae ap. Wagner in analect. Scepus. parte I. pag. 384. s) Ap. Péterffy T. I. pag. 197. 202, t) Ap. Wagner cit. op. parte III. pag. 84.

tustam consvetudinem a Pio II. Pontifice anno 1459. confirmatam, fide optima allegabant. Vicarium Capitularem, qvamvis nullo ad id speciali mandato, per Capitulum fuerit instructus, posse convocare Synodum, memoratus antea Pontifex Benedictus XIV. asseruit, non minus, qvam possit rem aeqve arduam exeqvi, puta totius Dioecesis visitationem canonicam, dummodo annus effluxerit ab ultima visitatione, qvam Episcopus peregit. u)

§. XCI.
Per qvos habenda?

Iuxta Tridentinae Synodi praeceptionem, *exempti etiam omnes, qvi alias cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere* ad Synodum *tenentur.* Porro *ratione parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debent ii, qvi illarum curam gerunt, qvicunqve illi sint, Synodo interesse.* v) Benedictus vero XIV. Pontifex, enu-

u) De Syn. D. Lib. II. cap. 9. v) Sess. XXIV. decr. de reform. cap. 2.

numerat singillatim eos, qvi Synodum Dioecesanam subterfugere haudqvaqvam possunt. Itaqve memorantur Abbates ac Praepositi, regulares olim, nunc seculares; qvos eo tam antiqvior Lex, w) qvam et Tridentina compellit, qvae duntaxat Capitulo generali subiectos exemit. Regulares vero, tunc solum exemti sunt a Synodi accessu, cum praesunt Monasteriis, qvae cum aliis eiusdem Ordinis ac instituti, non sunt coniuncta; nec proinde recognoscunt Generalem, cuius generali Capitulo subiici deberent. Qvodsi autem Regulares, curam exerceant animarum, hoc nomine Synodo interesse debent. x) Vicarius Generalis Episcopi, iuxta declarationem Gregorii XIV. tam praesente, qvam absente Praesule, non modo locum in ea habet, *sed primum ante Capitulum, vel a Capitulo deputatos, nisi tamen ex consvetudine legitima, Capitulo ius in eadem Synodo Vicarium praecedendi constiterit esse acqvisitum;* y) id,

w) Cap. 9. de maioritate et obed. x) Bened. XIV. de Syn. D. Lib. III. cap. 1. y) Apud Eund. eod. op. et libro cap. 3. num. 3. Cap. 10. num. 2. et 3.

id, qvod etiam ex antiqviori lege deducunt. z) Vicarius foraneus, si ad coetum pertineat Parochorum, nemo dubitat, Synodo illum interesse cum ceteris debere; si vero Presbyter sit non beneficiatus, idem de ipso, qvod de Vicario, eademqve de causa pronunciandum. a) Canonicos Ecclesiae Cathedralis, invitandos ad Synodum esse, communiter docent; renuentes cogi non posse, nonnulli tradunt, nisi agendum foret in Synodo de negotiis ad Eos pertinentibus, vel de rebus, in qvibus ab Episcopo consilium Capituli est reqvirendum. At magis recepta est sententia, volens, obstringi Canonicos Cathedrales ad comparendum saltem per qvosdam e gremio sui deputatos. Alii Ecclesiae Cathedralis Beneficiarii non Canonici, ab Episcopo vocari possunt, ac debent interesse, verum ceu singuli, non tamqvam Collegium constituentes. b) Ratio, qvae Cathedrales Canonicos ad Synodum compellit, etiam Collegiatis imponit hanc necessitatem. Qvodsi

au-

z) Ap. Gratian. can. 26. dist. XCIII. a) Ben. XIV. cit. op. lib. III. cap. 3. num. 10. b) Idem eod. lib. cap. 4. num. 2. 4.

autem celebraretur Synodus extra locum, ubi Ecclesia Collegiata est, ne haec suo fraudetur servitio, sufficiet qvosdam a Capitulo deputari, ceterorum qvoqve ibi nomine adfuturos. c) Parochi adesse debent, aperte sic decernentibus Tridentinae Synodi verbis. Beneficia simplicia habentes, cogi non posse, S. Congregatio Concilii Trid. interpres anno 1593. declaravit, *nisi ex consvetudine aliud observatum fuerit.* d) De Parochiarum Administratoribus, idem qvod de Parochis dicendum. Generatim vero, posse ab Episcopo cogi Sacerdotes non beneficiatos, et Clericos in Sacris constitutos ordinibus, ad Synodum adeundam, decrevit S. Congregatio nunc memorata die 15. Dec. 1629. *qvando in Synodo agendum est de reformatione morum, sive de aliqva re, concernente totum Clerum, vel de intimandis decretis, factis in Synodo Provinciali: hoc autem casu, in ipsa Synodi convocatione, faciendam esse mentionem, qvod de praedictis erit tractandum.* e)

c) Ibid. cap. 5. num. 5. d) Ibid. cap. 6. num. 1.
e) Eod. lib. cap. 6. num. 2.

§. XCII.

Iuxta morem Eccl. Hung.

Ecclesia Hungarica, qvantum adiuncta concesserunt, semper imitatrix Romanae, laudatum hunc morem seqvuta fuit. Nam Nicolaus Olahus Strig. Archipraesul, celebraturus Dioecesanam Synodum anno 1566. iubebat illic adesse Abbatem Ecclesiae Sancti Hyppoliti de Zobor. f) Petrus Pázmány, literas, qvibus convocabat Synodum Dioecesanam anno 1629. celebrandam, inscripsit *Abbatibus, Praepositis, Ecclesiarum tam Cathedralium, qvam Collegiatarum Canonicis, Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Altarium, et Hospitalium Rectoribus, ceterisqve personis Ecelesiasticis, in Dioecesi, vel extra Dioecesim Ecclesiae Metropolitanae constitutis*, g) *qvi de iure, vel consvetudine, Synodo Dioecesanae huius Ecclesiae interesse debent,* *etiám-*

f) Literae ap. Péterffy T. II. p. 186. g) Illi intelliguntur, qvorum Beneficia in aliis Dioecesibus constituta, eo tempore, ac ad nostram usqve aetatem, sub iurisdictione Strigoniensi erant, iuxta Bullas Bonifacii IX. et Pii II. qvas legito ap. Péterffy cit. op. T. II. pag. 288. seqq.

etiamsi alias exempti essent. Qvemadmodum revera Synodo nominatim subscripti leguntur: Qvos inter Stephanus Franyafi, *nomine Capituli Scepusiensis specialiter missus.* Postmodum haec addita leguntur: *Domini Canonici Venerabilis Capituli Strigoniensis, et Posoniensis, Parochi item permulti, hoc est, omnes, qvi praesentes fuere, syngraphis suis, omnia huius Synodi Dioec. decreta, et statuta, acceptarunt.* h) Alteri Synodo, qvae mox anno seqvente 1630. celebrata est; praeter Parochos, duo subscripti leguntur Canonici Ecclesiae Posoniensis, loco *Capituli missi;* et unus *pro Canonicis Scepusiensibus.* Additur vero: *Canonici Metropolitanae Strigoniensis Ecclesiae, personaliter interfuere.* i) Synodo Qvinqveecclesiis anno 1714. celebratae, praeter Dominos Capitulares, et Parochos, item Religiosos curam animarum exercentes, leguntur subscripti, Religiosarum domuum Qvinqveecclesiensium Superiores, utpote Soc. Iesu, Ord. S. Pauli I. eremitae, Franciscanorum, Paulinorum, Dominicanorum, et Capucinorum. k) Verum huiusmodi

 sub-

h) Ibid. pag. 234. i) Ibid. pag. 237. k) Ibid. 414.

subscriptio, robur Synodo Dioecesanae haudqvaqvam addit, qvod totum desumitur a Praesule, qvem posuit Spiritus Sanctus Episcopum regere Ecclesiam Dei. Adsunt igitur ceteri velut consultores, qviqve sanctae Synodi praecepta salutaria, tam ipsi audiant, atqve deinceps observent, qvam et plebi Christianae denuncient observanda. Qvod Synodus Tirnaviensis anno 1629. celebrata, innuere mihi videtur, cum ait: *Qvamvis Dioecesanae Synodo subscribere eos, qvi intersunt, necesse non sit, qvia tamen sacri Canones non prohibent eiusmodi subscriptionem visum est expedire, ut hanc primam Dioecesanam Synodum, syngraphis firmarent, qvi adfuere.* l) Unum hic addo pro coronide: Synodi Dioecesanae constitutionem eam esse oportere, ne iuri communi adversetur. m) n)

§. XCIII.

l) Ibid. p. 264. m) Apud Gratian. Can. 7. causa XXV. qv. 2. item Cap. 9. de maiorit. et obed. n) Expleturus desiderium cupientis nosse Dioecesanas Synodos, in Eccl. Hung. in hunc diem celebratas, breviter enumerabo, prout eas reperi, redactasqve in Synopsim, cum hactenus enumeratis typo paratas habeo. Complura Vaciensia Con-

§. XCIII.

Omissis collect. variis.

Fideles persvasi de necessitate custodiendi decreta Conciliorum, faciebant sensim eo-

rum-

cilia per Boleslaum Episc. intra annos 1188. et 1212. celebrata memorantur, sed Acta horum periere. Vide Péterffy T. I. pag. 84. Innoc. Descricii hist. Ep. et civit. Vacien. cap. 7. Tres dicuntur celebratae ab Augustino Gazotto Episc. Zagrab. utpote ann. 1307. 1308. et 1314. Vide Kercselich in hist. Cath. Eccl. Zagrab. p. 104. Egit Strigonii Synodum Nicolaus de Monoszló A. Ep. an. 1353. Vide Péterffy T. I. p. 176. Iterum vero anno 1359. Vide ibid. pag. 178. Ioannes de Kanysa A. Ep. Strigonii an. 1390. ap. Péterffy ibid. p. 186. Idem A. Ep. perinde Strigonii an. 1393. Vide ap. eund. eod. loco. Clemens Ep. Iaurin. egit Synodum Iaurini an. 1428. cuius vestigium ap. Xistum Schier in memoria Provinciae Hung. Augustinianae p. 15. Ioannes Stock Praep. Scepus. Leutschoviae an. 1460. ubi iam memoravi. Antonius Ep. Nitrien. an. 1494. Nitriae. Vide ap. Péterffy T. I. p. 265. Demetrius de Nyárs Vicarius Strigonii an. 1510. qvam superius memoravi. Hyppolitus Estensis dimissa Strig. Ecclesia, Episcopus Agrien. convocavit ibidem Synodum anno 1512. per Canonicum Agr. et

rum collectiones, ut ita, uno qvasi obtutu videre, legereqve possent saluberrima Praesulum

Vicarium suum Petrum de Kereſztúr. Cuius tamen acta nemo vulgavit. Vide Pray in specim. Hier. H. parte I. pag. 215. et Schmitth in Epp. Agr. T. II. pag. 210. Ioannes Statilius an. 1515. egit Synodum Vesprimii, ut iam dixi. Stanislaus Váralyi Scepus. Praepositus anno 1545. qvod perinde dictum iam est. Petrus Paulinus aeqve Scepus. Praep. anno 1560. de qva suo loco dictum. Nicolaus Olahus Strig. A. Ep. Tirnaviae an. 1560. Cuius acta ap. Péterffy T. II. p. 147. Rursus anno 1562. Item anno 1564. atqve 1566. De qvibus Péterffy ibid. pag. 151. 186. Georgius Draskovich qva Episc. Zagrab. Synodum egit an. 1570. de qva Kercselich in hist. Eccl. Zagrab. p. 244. Item anno 1574. qvae typis vulgata est Zagrabiae anno 1771. Idem Draskovich qva Coloc. A. Ep. et Administrator Iaurin. egit Synodum Sabariae anno 1579. typis vulgatam Pragae an. eod. mentionem eius fecere: Laur. Károlyi in speculo Eccl. Iaurin. pag. 88. Ribini in memorabil. Augustanae Confess. T. I. pag. 258. Inseruit eius decreta Stephanus Schönvisner Historiae Sabariensi pag. 299. Petrus Pázmány Synodum Dioec. egit Tirnaviae anno 1629. De qva dictum. Alteram anno 1630. ibidem. De qva perinde di-

sulum decreta. Habuit sane Graeca Ecclesia suos Canonum codices, habuit et Latina. Ne-

çtum. Ioannes Telegdy A. Ep. Coloc. qva simul Nitriensis, anno 1633. egit Synodum Nitriae, nondum editam. Vide Pray in Specim. Hier. H. parte I. pag. 373. Anno 1634. Franciscus Ergelius Episc. Zagrabi celebravit Synodum ibidem. Qvae cum pluribus, edita est typis Zagrabiensibus anno 1766. Emericus Losy Episc. Agriensis, Iafzoviae celebravit Synodum anno 1635. Apud Péterffy T. II. pag. 338. Benedictus Vinkovich Ep. Zagrab. Synodum celebravit 26. Aug. anno 1642. Qvod colligitur ex orat. Georgii Rattkay, qvam inseruit memoriae Regum etc. Dalm. Croat. et Slav. editae Viennae 1652. Item ex Synodo Borkovichiana III. cap. 7. de qva mox. Georgius Lippai Strig. A. Ep. Synodum Dioec. celebravit Tirnaviae anno 1658. ap. Péterffy T. II. pag. 388. Martinus Borkovich Episcopus Zagrab. Synodum unam egit anno 1669. ap. Péterffy T. II. p. 394. et inter Synodales constitut. Zagrabiae an. 1766. editos. Alteram anno 1672. cuius in posteriore mentio. Tertiam (vulgo II.) anno 1673. ap. Péterffy p. 395. et inter citatas Synodales Constitut. Zagrabienses. Qvartam anno, in chartis non adnotato, qvae vulgo tertia habetur ap. Péterffy T. II. p. 396 et inter citatas

Neqve Hungaricae Ecclesiae defuit propria Canonum collectio, cum Synodus nationalis an-

Constitut. Zagrab. Georgius Széchényi A. Ep. Coloc. qva Iaurin. Administrator, loco nobis ignoto anno 1679. Synodum egit. Vide Péterffy T. II. pag. 397. Rursus Martinus Borkovich Zagrab. Episcopus egit Synodum anno 1687. qvintam, vulgo qvartam ap. Péterffy T. II. pag. 398. et inter cit. Synodales Constitut. Item eius successor in Episcopatu Alexander Ignatius e Baronibus Mikulich anno 1690. ap. Péterffy cit. tom. pag. 404. et inter cit. Constitut. Ioannes de Camillis Ep. Munkatsien. Synodum habuit an. 1692. Vide Belii notit. Hung. T. I. pag. 531. Laur. Károlyi speculum Eccl. Iaur. pag. 113. Mich. Horváth natales. A. Ep. Coloc. pag. 171. Péterffy praefat. ad T. II. Concil. Hung. Theophylus Episcopus Valachorum Transylvaniensium e schismate conversus, egit Synodum Albae Iuliae anno 1697. Videatur Andr. Illia ortus et progressus variar. in Dacia gentium ac Relig. et Francisci Fasching nova Dacia. Item Samuelis Klein de Szád dissert. de matrim. iuxta disciplinam graecae orient. Eccl. Vindob. editam 1781. pag. 7. Rursum anno 1699. Athanasius Theophyli successor egit Albae Iuliae Synodum. Vide Andr. Illia cit. opus. Idem Athanasius egit Synodum anno seq.

anno 1114. Strigonii celebrata praecipiat, ut *omnes Archidiaconi Breviaturium Canonum habeant.* o) De isto nihilominus Codice, nemo, ut arbitror, referet qvicqvam.

De

1700. ap. Klein cit. dissert. p. 141. et 150. Georgius Patatich Episcopus Bosnensis, Synodum celebravit anno 1706. vide Péterffy T. II. pag. 410. Anno 1711. Athanasius Episcopus, qvem memoravi, novam habuit Synodum. Teste Samuele Klein cit. op. pag. 150. Ioannes Franc. a Nesselrode Qvinqv. Episcopus, egit Synodum ibidem anno 1714. vide Péterffy T. II. pag. 413. Emericus Eszterházi A. Ep. Strig. Provincialem Synodum meditatus, anno 1734. die 23. Maii consultationem praemisit cum Capitulo Metrop. V. Archidiaconis, et qvibusdam Parochis. ap. Péterffy T. II. pag. 423. Ioannes Innocentius Klein Episcopus Valachus Transylv. Synodum egit anno 1734. teste citato Samuele Klein, dictae dissertationis, pag. 141. 150. Paulus Aron Episcopus Fogarassien. ann. 1763. aeqve Synodum egit. Teste eod. Samuele Klein cit. diss. pag. 48. Qvi plures adhuc novit, ab illo edoceri, vehementer opto, publicasqve illi referam grates. o) Ap. Péterffy T. I. pag. 62. Pray in fine dissert. de S. Lad. contra Gánoczium editae. Ap. Koller in Epp. Qvinq. T. I. p. 382.

De reliqvis vero, cui vacat historiam veteris Ecclesiastici iuris perdiscere, hodiernos passim Iuris tractatores adeat; sed omnium loco suffecerit legere viri doctrina, et publico munere illustris, Georgii Sigismundi Lakics *Praecognita Iuris Ecclesiastici universi*, typis Viennensibus anno 1775. excusa. Mihi namqve perseqventi ea duntaxat, qvae solius Iuventutis Ecclesiasticae Hungaricae cuipiam usui futura sunt, paucas istiusmodi collectiones examinare licebit.

§. XCIV.
Trutinantur Canones Apost.

Prima omnium collectio est Canonum Apostolicorum, qvi ab Apostolis videlicet conditi, per Clementem vero Petri in Episcopatu successorem, collecti esse putantur; eamqve ob rem tantae olim autoritatis, ut et celebris Graecorum Synodus qvinisexta, Constantinopoli post natum Servatorem an. 692. celebrata, canone secundo, cum veneratione omnes susceperit, et Dionysius, qvem exiguum nominarunt, sexto Ecclesiae Christianae saeculo, qvinqvagenos ex iis in latium

con-

conversos, inseruerit codici ab se collecto, sensimqve in Ecclesia Romana magnam autoritatem conseqvuto; p) et Gratianus deniqve, his qvinqvaginta canonibus in Ecclesia Latina superesse autoritatem, nullatenus dubitavit. q) Qvamobrem eius collectioni, octoginta qvatuor Canones Apostolorum adnexi leguntur. Qvandocunqve autem fuerint, et per qvemcunqve collecti, r) post medium saeculi alterius a nato Christo, haud noti fuisse videntur; qvando nimirum orta qvaestione gravissima, de celebrandi paschatis die, neutra litigantium pars, novit canonem Apostolicum septimum, ita pronunciantem: *si qvis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum diem Paschae, ante vernum aeqvinoctium cum iudaeis celebraverit, deponitor.* Imo sub dimidium saeculi III. Cyprianus

p) Vide Illustris Lakics cit. superius opus §. 26. et seq. q) Ita enim dist. XVI. can. 3. *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, et Apostolorum canones numerant PP. inter apocrypha, exceptis qvinqvaginta capitulis, qvae decreverunt orthodoxae fidei adiungenda.* r) Vide Natal. Alex. hist. Eccl. sec. I. diss. 17.

nus Praesul Carthaginensium, reiiciendo haereticorum baptisma, qvamvis in nomine SS. Trinitatis collatum, ignorabat Canonem Apostolicum sexagesimum septimum, qvi hoc pacto decernebat: *Si qvis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus secundam ab aliqvo ordinationem susceperit, deponitor tam ipse, qvam qvi ipsum ordinavit: nisi forte constet, ordinationem eum habere ab haereticis. Qvi enim a talibus baptisati, aut ordinati sunt, hi neqve fideles, neqve Clerici esse possunt.* Atqve haec postrema praeceptio satis docet, Canones doctrinae Apostolicae repugnantes, ab Apostolis conditos non fuisse. Cum insuper, singillatim recensendo canon ultimus, sacros veteris noviqve Testamenti libros, sapientiae Libri, Tobiae, ac Iudith, haud meminerit, qvos tamen sacros esse, nonnisi ab Apostolis didicit Ecclesia Christi.

§. XCV.
Collectio Isidori.

Conclamatum est hodie contra veterem Iuris Ecclesiastici collectorem, qvi aliis *Isidorus mercator*, aliis *peccator* audit. Qvisnam

nam fuerit, et qvando protruserit opus, nemo hactenus definivit. Ex Hispaniis illud in Germaniam adtulit Riculphus, anno 786. factus Moguntiae Praesul. s) Obtinebat collectio illa mox, ut apparuit, magnam autoritatem in Germania, Gallia, et reliqvo occidente, apud alios qvidem, propter nomen *Isidori*, qvi esse putabatur Hispalensis Praesul sanctissimus, qviqve et ipse codicem ediderat Canonum septimo Ecclesiae saeculo, qvamvis non ab se collectum, nihilominus auctum; t) apud alios ob defectum artis criticae; deniqve industria qvorumdam, qvi Praesulum suorum, vel Metropolitanorum effugituri iudicia, sententiis Isidori sese tutabantur, eo, qvod ius adpellationum Romanarum, totis ille viribus adstruere conetur. u) Sunt autem Pontifices Romani, qvibus ille affinxit epistolas, numqvam per eos scriptas, attamen insertas codici, qvem terimus hodieqve

s) Lege Espen dissert. de collect. Isidori vulgo Mercatoris. opp. T. VII. edit. Venetae anni 1781. t) Vide Illustris Lakics op. alias citato §. 29. u) Lege meam Hist. Relig. et Eccl. Christ. periodo III. §. 37. Adde Ill. Lakics cit. op. §. 42.

qve: Primo Ecclesiae saeculo, Clemens I. Anacletus, et Evaristus. Altero, Alexander I. Sixtus I. Telesphorus, Higinus, Pius I. Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor. Saeculo tertio, Zephirinus, Callistus, Urbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Lucius, Stephanus, Sixtus II. Dionysius, Felix I. Eutichianus, Caius Marcellinus. Qvarto saeculo, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Iulius, Liberius, Felix II. Damasus, Anastasius, et Felix III. Sexto saeculo, Bonifacius II. Silverius, Vigilius, Pelagius, Ioannes III. Benedictus I. Pelagius II.

§. XCVI.
Non genuina continet.

His Pontificibus inscriptas ab Isidoro epistolas, et qvasdam praeterea aliis, de qvibus tamen hic solliciti minime sumus: neutiqvam ab iisdem conditas fuisse, demonstrarunt per singulas eundo, viri solertissimi, Zegerus Bernardus Van-Espen, v) et Carolus Sebastianus Berardus: w) Generalia vero con-

v) Dissert. de collect. Isidori antea cit. w) In op. inscripto: Gratiani Can. genuini ab apocryphis discr.

contra sinceritatem earum argumenta haec sunt: silentium totius antiqvitatis ad Isidorum usqve, qvamvis epistolae hae, gravia dogmatum, et disciplinae contineant momenta. Numqvid documenta Sanctissimorum Pontificum, ad diversas licet mundi partes dimissa, ferme per octo saecula penitus consepulta iacuissent? si nemo alius, certe Dionysius exiguus, adornaturus legum Ecclesiasticarum volumen, in earum nonnullas incidisset, qvi praeteritorum Sedis Apostolicae Praesulum decreta, qva valuit cura, diligentiaqve ab se collecta, in operis colloqvio fatetur. Qvis attribuat vetustissimis Pontificibus epistolas, in qvibus leguntur effata Scripturae Sacrae iuxta versionem sub Damaso post Siricium factam ab Hieronymo, qvi vitam anno Christi 420. cum morte commutavit? Styli praeterea barbaries, qvae primum saeculo Ecclesiae V. coepit invehi, in hisce epistolis redundans, vetustioribus illas Pontificibus abiudicat. Eumdem esse oportuit omnium autorem, cum sit omnium unus, idemqve stylus. Atqve haec eam ob rem adducta sunt, ut, qvae hisce Decretalibus innituntur, qvo-

nam

nam sint habenda loco, dignosci facile possit. Salva reliqvarum autoritate, qvas ab eis conditas fuisse, qvibus inscribuntur, sine dubitatione constat. x)

§. XCVII.
Gratiani collectio.

Diu non noverant homines, vera secernere monumenta literarum a suppositis, alienaqve mentitis nomina; qvos inter haud satis

x) Sincera enim est ep. Clementis ad Corinth. cuius meminere, S. Iren. lib. 3. adv. haer. cap. 3. Origenes libro 2. periarchon, seu de principiis cap. 3. Euseb. hist. Eccl. lib. 3. cap. 16. Sincerae qvoqve sunt duae epist. a Iulio scriptae, altera ad Orientales, altera ad Ecclesiam Alexandrinam, utraqve in causa S. Athanasii, qvas idem Sanctus refert in apologia II. Iulii Pont. illa tantum epistola est apocrypha, qvae fingitur responsoria ad epistolas S. Athanasii, et ad Episcopos Alexandriae congregatos, de oppressione Arianorum qverulantes. Sunt etiam Liberii Pontificis plures epistolae genuinae, ap. S. Hilarium in fragmentis, ap. S. Athanasium, aliosqve fide dignos autores. Ceterum consule Espenium et Berardum citatis opp.

tis felice temporum fato vixit Gratianus qvidam natione Hetruscus, Clusinus patria, y) et Bononiae in monasterio S. Felicis monachus, qvi, ut nonnulli volunt, z) S. Bernardi Abbatis hortatu, novam Iuris Ecclesiastici collectionem aggressus est facere, e legibus Conciliorum generalium et particularium; e Patrum sententiis; ex Imperatorum qvoqve decretis, et Regum Gallicanorum edictis coagmentatam, sub titulo *Concordiae discordantium Canonum.* Qvod opus perfectum ad annum Christi 1151. placuit Academicis Bononiensibus, apud qvos ille sacrorum Canonum publicus erat magister, et mox ab Eugenio III. Pont. non praeceptum qvidem, sed indultum, ut ibidem in schola praelegeretur. a) Et qvoniam additus est iis Acade-

L micus

y) Ex eius epitaphio, qvod legitur desumptum ex Mabillonio in dissert. Iusti Henningii Boehmer *de varia decreti Gratiani* fortuna, ad calcem §phi IX. qvae praefixa est Decreto Gratiani edito Halae Magd. anno 1747. z) Ita Fr. Angelus Mauriqvez in annal. Cisterc. tom. II. ad an. 1151. cap. 5. num. 6. et post illum Boehmer cit diss. §. X. a) Studiose id demonstrat idem Boehmerus ad calcem §phi XII. cit. dissert.

micus honor, qvi in huius voluminis studio egregie profecissent, b) sensim Gratianus ceterorum, qvi canones hactenus compilaverant, nomina penitus obscuravit, praesertim, qvod deinceps causae Ecclesiasticae, tam in Rota Romana, qvam etiam in rescriptis Pontificum, ex hoc volumine deciderentur. Opus divisum est in tres partes. Prima continet distinctiones centum et unam, hae vero suos canones. Dignoscitur a reliqvis partibus simili citatione; Can. 1. dist. 60. Altera pars complectitur triginta sex causas, istae dividuntur in qvaestiones, hae vero in canones. Dignoscitur per huiusmodi provocationem: Can. 1. caus. 14. qv. 2. Praeter exspectationem tamen, causae trigesimae tertiae, post qvaestionem secundam, insertus est tractatus *de poenitentia*, divisus in distinctiones septem, qvae in canones subdividuntur. Secerni debet ab allegatione partis primae hoc modo: Can. 1. dist. 1. *de poenit.* Hoc tractatu finito, reditur ad causam trigesimam tertiam, qvaestionem qvartam, et fit par continuatio, usqve ad finem causae trigesimae

b) Idem eod. §pho et duobus seqvent.

mae sextae; qvamobrem pristina redit provocatio ad canones, causas, et qvaestiones. Pars tertia voluminis agit de consecratione, divisa in distinctiones qvinqve, qvarum singulae rursum canones complectuntur. Fit partis huius talismodi citatio: Can. 1. *de consecr.* dist. 1.

§. CXVIII.

Correctio, et autoritas.

Haec sane totius operis divisio nihil commendandum habuit; sed nec ipse rerum delectus. Namqve vir ille deceptus autoritate compilatorum, qvi praecesserant, qvin ipse consuleret fontes, qvam plurimos canones adtribuit Synodis, a qvibus conditi non fuerant; verba Sanctis Ecclesiae Patribus, qvae non scripserant; epistolas Pontificibus, a qvibus dimissae numqvam erant. Stetit nihilominus inconcussa Gratiani autoritas apud Catholicos, donec sexto decimo Ecclesiae saeculo, Romanorum Pontificum, Pii IV. ac V. tum Gregorii XIII. iussu, correctio eius codicis, partim a S. R. E. delectis Cardinalibus, partim ab aliis, qvorum ista societas,

ultra numerum tricenarium aucta est sensim, c) suscepta esset. Postqvam viri solertes, nomine *Correctorum Romanorum*, in ipso volumine Gratianaeo insigniti, suum hunc laborem perfecerant, Gregorius XIII. anno 1580. praecipiebat, ut opus huiusmodi, prout Romae excusum fuit, semper et perpetuo integrum et incorruptum conservetur. Post biennium vero decrevit, ut qvae in Gratiani collectione emendata et reposita sunt, omnia qvam diligentissime retineantur, ita, ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur. d) Nemo tamen putaverit, nullum in Gratiano mendum superesse, cum plurima supersint. Qvae omnia, si qvis expendere aut poterit, aut volet, consulendam habebit editionem Gratiani ab Iusto Henningio Boehmero iurisconsulto adornatam. Legat postea Zegeri Bernardi Van-Espen commentarium in decretum Gratiani. Praeprimis vero Caroli Sebastiani Berardi librum, in qvo Gratiani canones genuinos ab apocryphis discrevit, spissum-

c) Enumerat eos Boehmerus cit. superius dissert. §. XVII. ad calcem. d) Utraqve constitutio legitur adnexa Gratiani decreto.

sumqve opus, qvatuor voluminibus conclusum, vel edidit ipse Venetiis anno 1777. vel edi permisit. Lectionem talium diuturnam, magna ex parte levarunt solertissimi, doctissimiqve Viri, Antonius Schmidt, Iosephus Ioannes Pehem, et domesticus noster, illustris vir Georgius Sigismundus Lakics, hodie ad Exc. Consilium R. Locumt. Hungaricum Consiliarius: Qvi omnes exhibuerunt seriem Canonum, e spuriis Isidori mercibus a Gratiano confectorum. Hanc igitur ob causam, et qvod praeterea, nec Eugenii III. neqve Gregorii XIII. constitutionibus, (§. praec.) autoritatem conseqvuta fuerit Gratiani collectio; tantam habere dicenda esset, qvantam habent fontes, e qvibus desumta fuit. e) Qvia tamen constat, maiores nostros, praetermissa hac de Gratiano crisi, desumtos ex illo canones, absqve discrimine solitos proferre, qvemadmodum e ceteris Ecclesiastici iuris partibus, fidenter proferri solent: Nescio, an temeritatis, vel iactantiae notam sit evasurus, qvi in proseqvutione litis, contra qvosdam Gratiani canones, exceptionem facere tentabit,

e) Espen diss. in Decr. Gratiani §. 11.

bit, postqvam illi usu ipso, et praxi forensi diuturna, apud nos sunt civitate donati. Tales nisi fuerint, qvi legitimis iuribus adversentur. f)

§. XCIX.
P a l e a e.

Interiecta sunt Gratianaeis Canonibus qvaedam capitula, qvae ibi *paleae* compellantur. Huius adpellationis non unam rationem adtulerunt Romani Correctores. g) A recentiore manu assutas fuisse, nemo dubitat. Parem cum nomine suo autoritatem habent. h)

§. C.
Collectio Greg. noni.

Iam strepebat in scholis, et in foro Gratianus, cum novae rursus prodibant collectiones Canonum, modo privata, nunc publica Ro-

f) Talis est canon 13. distinct. XXXI. repugnans Ecclesiae latinae universali disciplinae. Adde citatum hic §. XV. g) Legitur haec eorum animadversio adnexa Gratiani decreto. h) Vide Illustris viri Lakicsii cit. toties opus §. 65. Schmidt institut. Iuris Eccl. T. I. cap. II. epocha 2. §. 40.

Romanorum Pontificum autoritate. i) Sed cum illae qvamdam confusionem parerent, ob contrarietates sive adparentes, seu veras: k) Gregorius IX. iussit ex his fieri novam compilationem: per Raymundum de Pennaforti, suum ex Ordine Dominicano Poenitentiarium, adornatam. l) Divisa est in qvinqve libros. Qvorum primus post generalia iuris principia, de personarum Ecclesiasticarum constitutione, ac ordinatione tractat. De iudiciis alter, deqve toto processu iudiciali. Tertius de Clericorum saecularium, ac regularium vita, rebus, et obligatione. Qvartus de sponsalibus, ac matrimonio. Qvintus de delictis, eorumqve poenis. Qva occasione, de privilegiis et exemptionibus; deqve privilegiatorum ac exemtorum excessibus tractatur. Qvae omnia hoc exprimuntur versiculo: *Iudex, iu-*

di-

i) Lege Boehmeri dissert. praemissam alteri tomo corporis iuris Can. §. XII. et seqventes. k) Legatur Ep. Gregorii IX. ad Bonon. eius decretalibus praemitti solita. l) Vide Boehmeri cit. diss. §. XV. ubi in notula sub num. 99. ex bulla Clementis VII. animadvertit, eum originem duxisse ex nobili familia *de Penia fort.*

dicium, *Clerus*, *sponsalia*, *crimen*. Suos qvisqve liber habet titulos, in capita divisos. Eorum fit triplex allegatio: Cap. *super literis* de rescript. vel: Cap. 20. de rescript. aut deniqve: Cap. 20. x. de rescriptis; ac si diceres: titulo de rescriptis, extra decretum Gratiani, cap. 20. Huiusmodi nova collectio per Pontificem Gregorium Doctoribus et scholaribus Bononiensibus anno 1234. transmissa est cum mandato, ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis, et scholis. m) Ita reipsa factum est, ut collectio haec ubivis gentium, nacta fuerit autoritatem; usqve adeo apud Protestantes in causis Ecclesiasticis, imo civilibus, ubi deficit, vel obscurum est ius civile. n) Sed qvia persaepe mutila sunt collectionis istius capitula, dumqve profertur decisio, momenta reticentur: o) consulenda erit editio Boehmeria-

m) Ex epistola Decretalibus his praefixa. n) Lege Espen dissert. de decretal. Greg. IX. §. 5. opp. T. VIII. cit. alias editionis. Item Boehmeri praefationem ad Institutiones Iuris Canonici tum Ecclesiastici, tum Pontificii, §. 4. o) Espen cit. dissert. §. 4.

riana, in qva praetermissa Decretalium verba, suis locis reposita leguntur. p)

§. CI.

Sextus Decretalium.

Post memoratos, usuqve roboratos codices, puta Gratiani decretum, et Gregorii IX. iussu factam collectionem, novae prodibant rursum. Et altera qvidem Innocentii IV. e Lugdunensis I. Concilii decretis, altera vero Gregorii X. ex alterius Synodi Lugdunensis constitutionibus, compilata. Qvae tamen corpus Iuris Canonici numqvam ingressae fuerunt. q) Ex his igitur, et aliis Decessorum suorum decretalibus, atqve suismet, collectionem novam fieri iussit, electus anno 1294. Pontifex Bonifacius VIII. Qvod opus ad formam collectionis Gregorianae penitus exactum, et nomine *sexti libri Decretalium* venit, et eodem modo citatur, cum additione tantilla, uti: Cap. un. de bigamis in 6. Perfe-

p) De hoc labore suo Boehmerus in diss. qvam praemisit T. II. corporis Iuris Can. §. ult. q) Utramqve leges ad calcem corp. iuris Can. edit. Boehmerianae.

fectum hoc opus, transmisit Pontifex Doctoribus et scholaribus Bononiae commorantibus, praecipiens, ut eo utantur in iudiciis, et in scholis; neqve ullus alias, praeter illas, qvae huic sunt insertae constitutiones, a qvibuscunqve Romanis Pontificibus, post editionem dicti voluminis promulgatas, recipiat, et pro Decretalibus reputet. r) Ex qva constitutione, qvamqvam nullatenus inferri possit, dictam collectionem, robur legis fuisse conseqvutam, usus tamen, plenam ei vindicat autoritatem; qvamvis salvo semper iure alieno. Qvare cetera inter, non habet collectionis istius cap. 13. de elect. locum in Ecclesia Hungarica; dum in huius obversum, Rex Apostolicus, hoc ipso tempore, dum ista scribo, occupat Bona vacantis Episcopatus Weſzprimiensis, optimo, ac imperturbato iure. Neqve habet apud nos locum istius compilationis, cap. 1. et 4. de immunitate Ecclesiarum. Illud enim exactiones fieri vetat ab Ecclesiis, et Ecclesiasticis; istud excommunicat eos,

r) Praefixae sunt Pont. literae sexto Decretalium. Plura de hac collect. Espen opp. tom VIII. edit. Venetae ult.

eos, qvi qvemqvam impediunt, qvominus literas ab sede Apostolica impetrare possit. Qvis enim velit in hac patria tam esse ridiculus aetate nostra, s) ut arbitretur, Comitiorum anni 1791. articulum qvartum, qvo Regiae Maiestati recens coronatae honorarium offertur; anni deinde 1792. articulum sextum, et anni 1796. articulum secundum, in qvibus eidem Regiae Maiestati, pro necessitatibus flagrantis belli Gallici, a cunctis Regni Statibus subsidium promittitur, ad Clerum Hungaricum nihil adtinere? Aut qvis ita sit legum, ac rerum domesticarum ignarus, ut non legerit anni 1471. art. 19. item anni 1468. art. 65. praeterea anni 1492. art. 45. nec non anni 1495. art. 10. deniqve anni 1498. art. 63. qvi partim Romam, partim ad Legatos Papae, recursus immediatos fieri vetant? item continuata Regis Apostolici mandata, Placeti Regii necessitatem graviter inculcantia penitus ignoret?

§. CII.

s) Aliqvando fuisse apud nos cogitatum conformiter ad cap. 1. de immunit. in 6. illa docebunt, qvae a me dicta sunt in Amoenit. Hist. Eccl. Hung. fascic. IV. num. II. § 5.

§. CII.

Constit. Clement.

Clemens V. Pontifex anno 1305. electus, suasmet constitutiones, ante Viennense Concilium, atqve post illud, tum et in ipso editas, in volumen unum congeri iussit; qvod digestum instar Decretalium Gregorianarum in libros qvinqve, ac titulos, eodem qvoqve modo citari solet, cum additione tantilla. Velut: Cap. 3. de procuratorib. in Clem. Promulgatum in Consistorio Cardinalium, voluit *septimum Decretalium* adpellari. Attamen seu morte praeventus post triennium seu alia de causa, t) ad Bononiensem Academiam, aliasqve pro suscepto more illud minime transmisit. Qvod fecit demum anno 1317. successor Ioannes XXII. cuius Bulla ad Academicos Bononienses transmissa praecipiebat, dictas Constitutiones ita suscipi prompte et alacriter, ut his deinceps in scholis, et in iudiciis utantur. u) De huius collectionis autori-

t) Aliam reddit. Ioann. Aventinus lib. 7. annal. Boior. ap. Espen dissert. in collect. Clementinam. opp. T. VIII. u) Praefixae sunt hac literae constitution. Clement. in corpore iuris Canonici. Mis-

toritate nobis idem est tenendum, qvod de praecedentibus dictum fuit. Qvamobrem, cap. unicum de immunit. Eccl. in Clement. apud nos locum habere, salvis Patriae iuribus, neutiqvam potest.

§. CIII.
Extrav. Io. XXII. et comm.

Qvae constitutiones Pontificum enumeratis collectionibus inclusae non sunt, *Extravagantes* adpellari solent. Altera harum Ioannis XXII. nomen praefert, qvoniam eius viginti constitutiones continet, divisas in qvatuordecim titulos, et capita, incerto autore, nec Pontificis cuiusqvam iussu. Citatur, uti priores collectiones, cum addito, veluti: Cap. 3. de verb. signif. extrav. Io. XXII. Huius praeterea Pontificis, et aliorum usqve ad Sixtum IV. anno 1471. electum, Decretales collectae ab ignoto nobis homine, *Extravagantium communium* obtinuere nomen, distributae ad normam praecedentium in libros, ac titu-

sas praeterea ad Studium Aurelianense, patet ex docum. ap. Boehmer. dissert. praefixa corp. Iuris can. T, II. §. 17. ad calcem.

titulos, verum libro qvarto penitus carent, qvi de sponsalibus et matrimonio loqvuturus erat. Allegantur, uti praecedens collectio, cum tali mutatione: Cap. un. de consvet. extrav. comm. Neutra collectio publica autoritate, vel adprobata fuit, aut evulgata. v) Sensim tamen utraqve, incerto licet nobis tempore, corpus Iuris Ecclesiastici auxit, w) passimqve allegatur a Doctoribus, et in iudiciis profertur. Qvid igitur? Volent alii, publicam autoritatem usu conseqvutas; alii dicent: Tantum ponderare singulas, qvantum valent fontes, e qvibus illae desumtae fuerunt.

§. CIV.
Septimus Decretal.

Ne qvid dissimulem, qvod hodierno corpori Iuris Canonici insertum lego, memoranda est collectio, qvam Petrus Matthaei Iureconsultus Lugdunensis ad finem saeculi decimi

mi

v) Lege Espen dissert. in has extrav. opp. T. VIII.

w) Collectionem extrav. comm. ante finem saeculi decimi qvinti non exstitisse, id probat, qvod in illa occurrat *tit. de reliqv. et venerat. Sanctor.* cap. 2. constitutio Sixti IV. anno 1483. edita.

mi sexti, compilavit autoritate duntaxat privata, ex illis decretalibus epistolis, qvae post recitatas collectiones prodierant sensim, usqve ad Sixtum V. anno Christi 1585. electum. Divisa est perinde in libros qvinqve, titulos, et capitula. Septimi libri decretalium obtinuit nomen, et allegatur, qvemadmodum collectio Gregoriana, cum addito, veluti: Cap. 1. de haeret. et schism. in 7. Autoritatem suam à fontibus repetit, qvum aliunde legalem obtinuisse autoritatem, haud inveniatur. x)

§. CV.

Institut. Lancellotti.

Ioannes Paulus Lancellottus I. Consultus in Universitate Scientiarum Perusina, conscripsit anno 1553. principia Iuris Canonici, iussu Pauli Pontificis maximi; verum nec ab hoc, neqve ab eius post Pium IV. successore Pio

x) Recte monuit Boehmerus, ab hac compilatione distingvendum esse librum illum septimum, qvi Gregorii XIII. et Sixti V. cura compositus, imo typis editus, iterum est illico suppressus, dissert. praefixa corpori Iuris Can. T. II. ad calcem §. 17.

Pio V. cui opus hoc dicatum est, adprobationem tulit. Qvamvis id solatii loco ei datum a Paulo V. ut corpori Iuris Canonici adnecteretur, notitiae, vel illustrationis causa. y)

§. CVI.

Rubricae. Summ. Glossae.

Ut legentium Corpus Iuris Canonici commodo nonnihil consuleretur, singuli tituli, suas habent rubricas, et prolixiori Capitulo summarium est praefixum. *Rubricae*, titulorum inscriptiones sunt, ita dictae, qvod olim rubro colore pingerentur. *Summaria*, compendia sunt Capitulorum. Accesserunt *glossae*, margini videlicet adscriptae verborum dilucidationes. Rubricae, qvum sint eiusdem qvi leges adprobavit, parem cum his dicuntur habere autoritatem, qvoties integrum continent sensum. Qvale est in decretalibus Gregorii IX. lib. 3. tit. 9. *Ne sede vacante aliqvid innovetur.* Vel, eod. lib. tit. 12. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Summaria vero, et glossae, ceu pri-

y) Vide Boehmeri cit. diss. §. 17.

privatus labor, et qvi praeterea nonnunqvam a textu ipso abludit, vim legis non habent. z)

§. CVII.

Corpus iuris Can.

E Decreto Gratiani, et memoratis collectionibus, duo coaluerunt volumina, qvae *Corpus Iuris* nominantur. Prima omnium editio typis excusa, Romana est, anno 1580. iussu Gregorii XIII. Pontificis facta; cui ceterae deinceps editiones conformari iubentur. a) Seqvuta est Parisina Fratrum Pitheorum anno 1587. Plures in Germania ex editione Christ. Henrici Freiesleben. Splendidissima omnium est, a Iusto Henningio Boehmero adornata, et Halae Magd. anno Christi 1747. publici iuris facta. b) De codicis istius autoritate in complexo dici illud debet, qvod de singulis eius partibus dictum fuit.

z) Legatur Espen diss. de Interpretib. seu commentatoribus Canonum, et Decretalium §. 3. T. VIII. opp. Ant. Schmidt Institut. Iuris Eccl. T. I. cap. IV. epocha 4. §. 57. a) Praefixa est haec constit. corpori Iuris Can. b) Plures editiones enumerat Eybel in introduct. in ius Eccl. T. I. §. 80.

§. CVIII.

Eius apud nos autoritas.

Qvanta sit apud nos Iuris Canonici, qvod e partibus nunc enumeratis componitur, autoritas, qvaerere, haud superfluum erit. Qvamvis enim iubente Domino, legitimae potestati Ecclesiasticae sit obseqvendum: Attamen Haec non vult, nec velle potest ea praecipere, qvae patriis legibus, et libertati seu Regis nostri, sive Regni Hungariae, contrariantur. (§. XV.) Qvamobrem, sicuti numeramus leges in codice Iuris Hungarici, qvae erga legislativam potestatem in Ecclesia, maximam contestantur reverentiam: c) sic adducere possumus rursum alias, qvae ab eiusdem constitutionibus discedendum, serio edicunt. d) Ceteroqvin autem

c) Non piget hic praecipuas adferre: S. Steph. Decr. lib. II. cap. 2. 12. 14. 15. S. Ladisl. lib. I. cap. 3. 20. Item 1486. a. 63. 1492. a. 29. 1498. a. 69. 1504. a. 12. 1548. a. 9. et 13. 1550. a. 14 et 15. 1553. a. 8. 1567. a. 25. 1647. a. 102. et 119. 1649. a. 87. 1715. a. 60. 1741. a. 43. d) Ann. 1405. decr. I. art. 3. 1471. a. 19. 1486. a. 44. et 45. 1492. a. 45. 1495. a. 10. et 31. 1498. a. 56. 63. 1518. a. 17. 1514. a. 65.

tem in foro spirituali negotia secundum ius Canonicum esse pertractanda, Lex Regni pronunciavit. Nam in lege S. Stephani habetur: *Ut Episcopi habeant potestatem res Ecclesiasticas providere, regere, et gubernare, atqve dispensare secundum Canonum autoritatem: volumus, ut laici eorum ministerio obediant, ad regendas Ecclesias, viduas, et orphanos defensandum.* e) Speciatim vero decernitur anno 1553. art. 22. ut *Iudicia spiritualia continue secundum Canones, qvibus ab antiqvo Ecclesia usa est, continuentur, in omnibus causis forum Ecclesiasticum, concernentibus.* Rursumqve anno 1563. artic. 27. *Iudicia Ecclesiastica in suis de iure statutis terminis, secundum iura Canonica semper iudicentur.* Nihilominus, dudum advertente Ioanne Kittonichio, *in foro Ecclesiastico tamdiu solemus nos legibus Regni firmare, qvamdiu eas nobis, et causis nostris suffragari videmus: ast ubi iis destituti fuerimus, illico ad sanctiones Canonicas confugium capere cogimur, qvae longe ampliores sunt, et latius sese extendunt.* f) Unde iam in-

e) L. II. decr. cap. 2. f) In directione methodica

inferas, velut a minore argutando ad maius: Qvod, dum potestas Ecclesiastica, non habens iura profana, (§. IX.) favore duntaxat patriae legis, civilia qvaedam negotia persequitur, g) haec non secundum Canonicas, verum iuxta Hungaricas leges tractare debeat, finiqve mancipare.

§. CIX.

Ius novum Trident.

Post tantam farraginem legum, qvae corpore Iuris Ecclesiastici clauduntur, natum est Ius novissimum, qvod Epocham suam figit in Concilio Tridentino, sub Paulo III. ad ann. Christi 1545. inchoato, dein continuato sub Iulio III. et sub Pio IV. an. 1564. feliciter terminato. In eo Martini Lutheri praeprimis damnata est doctrina; leges deinde qvam plurimae ad reformationem disciplinae, morumqve spectantes conditae; per qvas multae constitutiones inclusae corpori

iuris

Iuris Hung. cap. 12. qvaest. 12. inserta corpor. Iuris Hung. g) Exemplo sint qvae art. 9. 1458. enumerantur. Plura namqve suo loco, ac tempore dicentur.

iuris Canonici, partim correctae sunt derogatione, vel abrogatione, partim ampliatae; qvaedam innovatae. h) Constat illud sessionibus XXV. Harum pleraeqve continent decreta dogmatica, qvae dum prolixiora sunt, in capita dividuntur. Dein subduntur Canones, ceu totius doctrinae ibi pertractatae brevis extractus. Tum vero succedunt Decreta, inscripta: *de reformatione*, qvae in sua perinde capita dividuntur. At vero sessio XXIV. praeter doctrinam de matrimonio, dogmatice tractatam, et in Canones divisam, decretum continet *de reformatione matrimonii*, in capita distributum; deniqve tertium, qvod simpliciter inscribitur *de reformatione*. Sessio XXV. praeter dogmatica qvaedam decreta, continet decretum *de Regularibus et Monialibus* inscriptum, et alterum *de reformatione*. Autoritas Eius Concilii in rebus fidei, qvanta sit, dispicere non est huius fori, ac loci. i) Qvan-

h) Diligenter adnotavit has seu innovationes, seu correctiones, seu abrogationes veteris iuris, Remigius Maschat, in Institut. Canonicis parte I. elencho 2. et seq. i) Prolixe vindicavit eius autoritatem Natalis Alexander in hist. Eccl. saec. XVI. diss. 12.

Qvanta vero sit eidem vis in rebus disciplinae hic terrarum, ubi scribo, iam ex alias dictis patet, qvin mihi denuo sit argumentandum (§. LXXXIII. et praec.) Allegatio eius in dogmaticis ita fit: Trid. sess. 6. decr. de Iustif. cap. 1. Canonum vero sic: Trid. sess. 6. decr. de Iustif. can. 1. In disciplinaribus ita: sess. 25. de reform. c. 1. sess. 25. decr. de regul. et monial. cap. 1.

§. CX.
Iussa Pontif.

Praeter haec omnia, qvae iam commemoravimus, ab Orthodoxis, ceu legem diligenter observanda, Romani Pontifices, pro Ecclesiastica necessitate, vel utilitate, nunc praecipiunt qvaedam fidelibus, modo concedunt. Qvicqvid alterutro modo pronunciatur, potest *mandatum* esse, qvod motu proprio dirigitur ad qvasdam personas, ordinarie vero ad Magistratus, aut Legatos iam iam profecturos. *Interdictum*, qvo praesentibus, aut imminentibus occurritur malis, absqve comminatione poenarum. Sanctio, cum in transgressores decernitur poena; id enim in

Iure

Iure sanctum vocatur, qvod impune violari neqvit. *Edictum*, qvod motu proprio edicitur Christifidelibus universis. *Constitutio*, qvod de Consilio Cardinalium, ad nullius consultationem, sed motu proprio, et de certa scientia constituitur. *Decretum* vero, qvamvis id significet in Iure Civili, qvod super causa decernitur, inter partes cognita: in Iure tamen Ecclesiastico sumitur pro constitutione. k) *Rescriptum*, est responsum ad alicuius relationem, consultationemve, aut suplicationem, in rebus Ecclesiasticis datum. *Dispensatio*, est exemtio a lege, facta pro casu vel persona particulari, manente ceterorum huic legi subditorum obligatione. *Privilegium*, est constitutio specialis, per qvam certae personae, aut certo personarum ordini singularis confertur praerogativa, praeter, vel adversum ius commune. l) Qvicqvid igitur per Pontificem Romanum scripto editur, aut Constitutio est, aut Rescriptum. Illud vero materiale instrumentum, qvo suam Papa volun-

k) Exemplum est in Can. 11. caus. 25. qv. 1. item cap. 11. x. de his, qvae fiunt a Praelato etc. l) Can. 3 dist. 3.

iuntatem declarat, vel *Bulla* est, vel *Breve.* Illius nomine intelligimus membranas grossiores, subfuscas, caractere ad Gothicum accedente, amploqve stylo exaratas, absqve ullis interpunctionibus, vel dyphtongis, qvae plumbeo muniuntur sigillo, in materia qvidem gratiae, e sericeo funiculo rubri, vel crocei coloris, in materia vero iustitiae, e funiculo canabino pendente. Brevis autem nomine, intelliguntur membranae tenuiores, conscriptae breviori stylo, breviatisqve, verum nitidis caracteribus, cera duntaxat rubea sigillatae, cum annulo Piscatoris, nempe sigillo, qvod S. Petrum sedentem in navicula, retiaqve trahentem refert. Provocatio fit modo seqvente: Memoratur Pontificis nomen. Primae Scripti Papalis voces notantur. Annus diesqve emanationis signatur. Ut in exemplo Bened. XIV. *si data* 4. martii 1748. Clem. XIV. *Dominus ac Redemptor* 21. Iulii 1773. m)

§. CXI.

m) Lege Espen Iuris Eccl. parte I. tit. 23. cap. 5. Andr. Vallensis Paratitlam Iuris Can. lib. I. tit. 8.

§. CXI.
Eorum autoritas in dogm.

Qvicqvid a Pontifice Romano, et qvocunqve modo constituitur, ad unum ex iis pertinere debebit, circa qvae potestas Ecclesiastica versari proprio iure potest. (§. VII.) Num ferendo sententiam in rebus fidei vel morum, errare, falliqve possit, multo iam tempore disceptatur. Declaraverat Clerus Gallicanus anno 1682. *in fidei qvaestionibus, praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusqve decreta ad omnes, et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.* At mox a Praesulibus Hungariae vapulavit. (§. LXXXVI.) Matthaeus vero Petitdidier, qvi huic Gallorum sententiae tractatum Theologicum opposuerat *de autoritate et infallibilitate summorum Pontificum*, per Apostolicum Breve Benedicti XIII. meruit anno 1724. collaudari. n) Ceterum, qvi falli Pontificem posse in Decretis dogmaticis, arbitrantur, ita nihilominus statuunt: Cum Praesuli Romano datus sit a Deo primatus, ad conser-

van-

n) Breve Apost. praefixum est Tractatui, edit. Poson.

vandam in Ecclesia unitatem: (§. XXVII.) qvoties unitatis istius conservatio, aut iam turbatae restitutio, praesentem qvaestionis dogmaticae decisionem postulat, neqve celebrari potest in promtu Concilium universale, recurrendum esse ad Pontificem, ut is *provisorie* decernat illud, cuius oppositum propugnare palam, haud amplius liberum esto. Hoc enimvero deposcit obseqvium, visibili Ecclesiae capiti debitum. Cuius decreto si contraire pro lubitu qvisqve posset; vinculum solveretur, qvod Christus ad conservationem societatis ab se conditae, salvum esse volebat, et cuius causa Pontifici Romano concessit primatum. Hanc porro assertionem usu confirmari, docent: Nam saeculo II. condemnavit Qvartodecimanos Victor Pontifex. Tertio saeculo Cornelius Novatianos, et Stephanus eos, qvi baptisatos ab haereticis vel schismaticis, si ad Christi Ecclesiam rediverint, rursum tingendos aiebant. Saeculo IV. Damasus Apollinaristas; Siricius Iovinianum, et Anastasius Origenis errores. Qvinto saeculo, Pontifex Innocentius I. Pelagium; Zosimus Caelestium; Coelestinus I. Nestorium;

et

et Leo I. Eutychen; omnes ceu haereticos, et Evangelicae doctrinae, spiritu pervicaci refragatos. o)

§. CXII.

In disciplinaribus.

De obiectis ad disciplinam Ecclesiae, vel ritum spectantibus, legem ferre posse Romanum Pontificem, nemo Catholicus negat. Causa enim, ob qvam ab exordio necessaria fuit in Ecclesia Christi potestas legislativa, (§. VIII.) etiamnum subsistit, semperqve subsistet. (§. VI.) Cum igitur leges pro tota Christi Ecclesia, vel magna eius parte, praescribere non alius possit, qvam qvi universalem habet potestatem: Tota haec potestas ferendae tam extensae legis, recidit in Concilia generalia, (§. LXVI.) et in Papam. (§. XXV.) At vero Concilia oecumenica, neutiqvam possunt in promtu haberi: Superest igitur Pontificis legislatoria potestas, tunc exercenda, cum Ecclesiae vel gravis necessitas, vel utilitas maxima deposcit.

o) Consule Petri de Marca L. II. cap. 16. Obstraet de loc. Theol. diss. IV. qv. 2.

scit. p) Qvam nihilominus potestatem, ut Ille rogata prius ceterorum Antistitum sententia, exercere malit, consultius esse putant; ne, si secus praeceperit qvippiam, qvod aut locorum adiunctis minime congruat, aut salvis qvorumpiam iuribus, prorsus neqveat observari, praeceptionem oporteat debito carere fructu. q) Nihil autem Pontificis autoritati decedet, si constitutiones eius particulares, illi duntaxat observaverint, ad qvos illae fuerant directae; cum Lex ultra Legislatoris mentem sese non extendat. Porro, qvibus ita praecipit Antistes Romanus, eosdem, si refractarii sint, qvod poenis qvoqve spiritualibus afficere possit, alias iam eviceramus. (§. XII.)

§. CXIII.

Autoritas Bullarii.

Qvoniam leges Ecclesiasticas, facta nonnisi promulgatione, vim habere obligandi, superius demonstratum fuit: (§. XIV. et LXXXIV.)

p) Vide Petri de Marca de concordia et lib. I. cap. 8. q) Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. IX. cap. 8. num. 1. seqq.

LXXXIV.) merito qvaeritur isthic de *Bullarii* autoritate. Per qvod intelligimus vasta illa volumina, qvibus plurimae Pontificum Romanorum constitutiones clauduntur. Primus omnium eius conficiendi consilium suscepit ad finem saeculi XVI. Petrus Matthaei. (§. CIV.) Eodem tempore Laërtius Cherubinus Iureconsultus Romae, qvas reperire potuit Constitutiones inde a Leone Magno, electo anno Christi 440. usqve ad Sixtum V. anno 1585. creatum, collegit, et sub nomine *Bullarii*, dicatum eidem Pontifici, typis Romanis excudi iussit anno seqvente. Mox auctum ab eodem, et Paulo V. qvi anno 1605. electus fuerat Pontifex, dicatum, rursus vulgabatur. Novam ille adgressus erat collectionem Bullarum, qvae se inter vivos agente, a pluribus Pontificibus editae fuerunt; at morte praeventus cum esset, eiusdem filius Angelus Maria Cherubinus Monachus Cassinensis, nova Bullarum accessione, patris laborem locupletatum, edidit Romae an. 1663. Postmodum Angelus a Lantusca, et Ioannes Paulus a Roma, ex Ord. FF. minorum strictioris observantiae, suppleverunt Bullarium,

pro-

proseqvuti usqve ad Clementem X. annumqve Christi 1672. Accesserunt novae constitutiones seqventium Pontificum usqve ad Benedictum XIV. et annum 1752. qvae cum ceteris iam antehac editis, sub nomine *Bullarii Magni*, a typo liberatae sunt an. 1771. Luxemburgi. Romanam editionem, qvae rursum anno 1692. prodierat, in epitomen redegit, et pluribus constitutionibus auxit Flavius Cherubinus, et *Compendium Bullarii* nominavit. Insuper Carolus Cocqvelines edidit *Bullarium privilegiorum ac diplomatum RR. Pont.* Romae 1737-44. Exstat qvoqve separatim Bullarium Clementis XI. et Benedicti XIV. E qva delectae Constitutiones, pro Curatoribus Animarum editae habentur. Omnes istae collectiones Bullarum, utpote privatorum industria factae, nec ab ullo Pontifice, velut corpus legum adprobatae, vim legis non habent. Sed Bulla qvaevis eam illic habet vim, qvae ipsi extra Bullarium inest. Plus tamen ei ponderis addit, facta in codicem relatio, qvam, si vagetur extra illum, duntaxat ab Iuris commentatoribus qvibusdam allegata. Collectores enim operam

sin=

singularem adhibuisse praesumendi sunt, ut segregarent apocrypha; qvae laus tribui neqvit omnibus passim Decretalistis, utentibus autoritate cuiuslibet Constitutionis, dummodo praeconceptae illorum opinioni, praetensisqve iuribus favere videatur. r) Neqve tamen dissimulandum est, Constitutiones non paucas, imprimis Benedicti XIV. eo solum, qvod typis excusae legantur, legis adinstar observari. Sic illae nimirum conseqvutae sunt apud nos autoritatem, qvemadmodum obtinuisse Tridentinam Synodum, nuper commemoratum fuit. (LXXXIV.)

§. CXIV.

Rescripta Pont.

Rescripta Pontificum (§. CX.) singularem deposcunt tractationem, cum de his permulta in Iure dicantur. Alia sunt *Gratiae*, qvae ex mero Pontificis favore promanant; alia *Iustitiae*, qvae ex iuris ordine procedunt, qvatenus ad consultationem, explicatur ius dubium, vel ad petitionem Iudex dele-

r) Lege Espen dissert. in ius Canonicum novissimum variasqve species §. 2. opp. T. VIII.

delegatur, aut alias mandatur iustitia administrari. Potest esse etiam *mixtum*; ut, si Pontifex conferat alicui Beneficium, simulqve decernat, ut reluctantes eius dispositioni, puniantur. s) Cuiuslibet possunt esse participes, qviqvi sunt Christifideles; at non haeretici, vel excommunicati. t) Potest obtineri pro alio nihil sciente, sed duntaxat in materia Gratiae; u) in materia vero iustitiae non secus, qvam si petens, vel mandatum habuerit, vel coniunctionem cum eodem, pro qvo petit. v) Ratio est in promtu: Qvia dominis ignorantibus renovare sopitas lites, vel excitare novas, odiosum est: gratiam procurare, etiam ignoranti, haud cuiqvam nocet.

§. CXV.

Vitiosa.

Rescriptis, licet non expresse, tacite semper inest haec conditio: *Si preces veritate*

s) Vide Remigii Maschat Institut. Canon. Lib. I. tit. 3. t) Cap. 26. de rescript. Cap. 1. eod. in sexto. Cap. 8. de sent. excomm in sexto. Deme casum adpellationis ob excommunicationem interpositae ex cap. 1. de rescript. in sexto. u) Cap. 23 de praebend. et dign. in 6. v) Cap. 28. de rescript.

tate nituntur. Qvae si deficiat, rescriptum non valet. w) Deficit autem per *subreptionem*, seu reticentiam veri, et per *obreptionem*, seu expressionem falsi. x) Qvare integrum est iudici inqvirere de precum veritate, y) suspensaqve tantisper exeqvutione, ad Superiorem de vitio detecto referre; z) ei vero, contra qvem agit rescriptum, opposita exceptione, et probata, rescriptum impugnare. a) Certe, si dolosa fuit rescripti impetratio; carebit effectu. b) Qvodsi autem subreptio, vel obreptio ex ignorantia processit, negotium lenius tractandum erit. c) Qvodsi enim error contigit qvoad causam finalem, qvae scilicet Pontificem principaliter movit ad rescribendum, et qva non stante, non erat rescripturus: tunc rescriptum gratiae corruit, rescriptum iustitiae, potest exceptione enervari. Qvodsi autem error contigit, circa impulsivam causam, qvae rescri-

 ben-

w) Cap. 2. et 5. de rescriptis. x) Cap. 6. 20. de rescript. Cap. 7. de fide instrum. y) Cap. 5. de rescr. z) Ibid. et cap. 2. de off. et potest. iudicis deleg. a) Cap. 19. de rescript. b) Cap. 20. ibid. c) Eod. cap.

bentem impulit, ut facilius rescriberet, ceteroqvin hac etiam non allegata, rescripturus, valebit eatenus rescriptum, qvatenus Pontifex, exposita sibi veritate, in forma communi rescripturus erat. Id qvod verum est etiam in gratiae rescriptis. d)

§. CXVI.

Signa vitii.

Porro censebitur vitiosum esse rescriptum, si datum est contra ius commune, consvetudinarium, aut contra ius, privilegiumve tertii, nisi horum in rescripto mentio fiat. e) Item, si rescriptum alterum fuerit datum, non facta prioris contrarii mentione: nisi alterum hoc sit speciale, prius autem illud fuerit generale; qvoniam generi per speciem derogatur. f) Si praeterea rescriptum vetet cognitionem causae, vel inqvisitionem de precum veritate. g) Cum omne rescriptum hanc tacitam habeat conditionem: *si ita est*; aut: *si preces veritate nituntur.*

§. CXVII.

d) Cap. 7. de rescript. in 6. e) Cap. 19. de rescript. Cap. 8. eod. in sexto. Cap. 1. de constitut. in 6. f) Cap. 1. et 3. de rescript. g) Cap. 2. eod. tit.

§. CXVII.
In materia iustitiae.

Speciatim vero iustitiae rescriptum, erit vitiosum, si duo rescripta sunt impetrata ad diversos iudices, et in altero, non sit facta mentio primi; h) non enim aliter constare potest, a Pontifice priorem iudicem fuisse revocatum, qvam ex eiusdem rescripto. Item, si dentur iudices incerti, ad arbitrium oratoris eligendi. Sic enim fieri poterit, ut qvi obtinuit eiusmodi rescriptum, ad iudicem currat, qvem sibi fore propitium novit. i) Item si reus extra Dioecesim in qva degit, virtute rescripti evocandus est ultra duas diaetas, k) aut, secundum recentiorem legem, ultra unam diaetam, nisi fuerit ipsum hoc specialiter expressum; l) qvia Pontifex neminem vult ultra ius gravare. Si qvoqve rescriptum detur in causa litis pendentis, nec tamen litispendentiae, et prioris iudicis mentio fiat. m) Item, si rescriptum detur super causa conclusa. Dum lata fuit

 sen-

h) Cap. 3. de rescript. i) Cap. 10. eod. tit. k) Cap. 28. h. t. l) Cap. 11. eod. tit. in 6. m) Argum. cap. ult. ut lite pend. nihil innovetur.

tentia. Vel peracta transactio, sive interposita appellatio, neqve horum tamen mentio fiat. n) Qvando item rescriptum ad instantiam Partis datur, pro instituenda speciali inqvisitione in delicta Personae, qvin diffamationis, vel iudiciorum commissi delicti, mentio fiat. o) Si deniqve, rescriptum per clausulam hanc: *Qvidam alii*, digniores personas, in petitione haud expressas, intelligeret; et per clausulam hanc: *Res aliae*, graviores qvaspiam causas, qvam qvae fuerint per oratorem expressae. p)

§. CXVIII.

Vel gratiae Beneficialis.

In materia Beneficiorum Ecclesiasticorum, censetur rescriptum esse vitiosum, si per illud concedens suplicanti Beneficium, prioris Beneficii, qvod possidet orator, nullam iniiciat mentionem. q) Si qvalitatem Beneficii actu possessi non exprimat, sitne vi-

n) Cap. 12. de rescript. et cap. 3. de confirm. utili vel inutili. o) Cap. 21 §. 1. de accusationibus etc. p) Cap. 15. de rescript. q) Cap. 17. 42. de rescript. Cap. 21. 23. de praeb. et dign. in 6.

videlicet curatum, patronatum, dignitas etc. r) aut qvalitatem reticeat noviter obtenti. s) Vel si non exprimatur modus, qvo Beneficium rescripto hoc collatum, contigerit vacare. t) Si deniqve Beneficium fuerit obtentum, qvod alius actu possidet de iure, vel de facto, neqve sit facta huius possessionis mentio, dummodo haec actualis possessio non fuerit notorie iniusta. u)

§. CXIX.

Vitiosa ex se.

Possunt esse rescripta ex parte qvoqve sui ipsorum vitiosa, nec effugiunt suspicionem commissae fraudis, dum aliqvod e seqventibus vitiis habere noscuntur. Primum est, inscriptio insolita. Nam rescripta genuina praefixum habent nomen Pontificis, in fine vero annum Incarnationis Dominicae, obtentiqve Pontificatus, nec non mensem, diem, ac locum expeditionis, non arabicis nu-

r) Cap. 8. eod. tit. s) Cap. 4. 5. 16. de praeb. et dign. in 6. t) Cap. 6. de rescript. in 6. u) Cap. 6. de concessione praeb. et Eccl. non vacantis.

numeris, at verbis expressum. v) Alterum est, insolita salutatio. Nam omnes Archiepiscopi, et Episcopi, hisqve maiores, adpellantur *Venerabiles Fratres* a Pontifice; sed alii qvicunqve, *Dilecti filii*, neqve in alloqvutione singularis personae, adhibentur voces: *Vos*, aut *Vester*. w) Non vitiat tamen rescriptum, error commissus in nomine, vel cognomine, dum cetera conveniunt personae, ad qvam rescriptum sonat. Nec vitiat propositionum translocatio, qvae non est facta secundum communem Romanae Curiae stylum, dummodo salvus maneat sensus. x) Tertium est, error contra leges grammaticae commissus. y) Attamen error literae, vel syllabae, non vitiat rescriptum, dum non immutat sensum. z) Qvartum vitium est,

er-

v) Cap, 6. de crimine falsi. w) Ibidem. x) Qvis enim abiiciat Pontificum rescripta, qvod in eis Episcopus Cenadiensis, pro Chanadiensi, et Zagabriensis, pro Zagrabiensi dicatur? ceterum vide cap. 8. de confirm. utili, vel inut. y) Cap. 11. de rescript. z) Legi egomet Bullam Pii VI. et copiatam habeo, in qva, promotum ad Episcopatum sub Corona R. H. existentem, dum ab-

error in signatura commissus. Nam in materia gratiae, responsum signatur per vocem: *fiat*. In materia iustitiae, per verbum: *placet*. Si Pontifex aeger, non possit signare, per alium scribitur eius voluntate: *Concessum*. a) Qvintum vitium, in papyro, sigillo, vel filo comitti potest. b) Haec vero, qvalianam esse debeant, alibi dictum fuit. (§. XC.) Sextum vitium, si lituram, rasuramve habeat in loco suspeeto. c) Est autem locus suspectus, pars illa rescripti, ubi petitionis, et concessionis maxima vis collocatur. Ut proinde rasura in loco non substantiali, haud vitiet rescriptum. d) Sed et prius illud vitium, intelligatur de rescriptis an-

solvit a censuris, errore scribentis ait: *Nos, ne si forte aliqvibus sententiis, censuris, et penis ecclesiasticis ligatus sis, provisio, et prefectio pro te valeant*, evidenter exmissa particula: *Non*. Et qvis tamen ita fuerit ridiculus, qvi Bullam hanc invalidam asseveret? a) Schram institut. Iuris Eccl. T. I. p. 199. b) Cap. 6. de crimine falsi. Cap. 12 de privil. et excessib. privilegiator. c) Cap. 6. de fide instrum. cap. 14. de privileg. cap. 7. de religiosis domibus. d) Cap. 3. de fide instrum.

antea reseratis, qvam fuerint ei praesentata, cuius est muneris illa reserare. Nam, si praesententur occlusa, atqve rasura post primam hanc apertionem, aut litura deprehendatur, factam esse in Pontificis Cancellaria, constabit. Septimum erit vitium, si rescriptum, contineat mandatum nimis durum, e) vel insolitum: ut, si dentur incerti iudices, vel futura illis negotia committantur. f)

§. CXX.

Effect. Rescr. Iust.

Rescripta Iustitiae, vim habent a tempore praesentationis factae iudici, ad qvem directa fuerunt. g) Hinc morte concedentis re adhuc integra, penitus exspirant. h) Debent autem illa praesentari intra annum; ut adeo, si dolo, vel negligentia, intra hoc tempus intermissa fuerit praesentatio, deinceps rescriptum non sit valiturum, prae poste-

e) Cap. 5. de rescript. f) Cap. 10. ibid. g) Cap. 59. de appell. per argumentationem ex verbis: *Priusqvam delegato fuerint assignatae.* h) Cap. 10. de off. iud. delegati.

sterioribus rescriptis, tametsi nulla eius rescripti fuerit mentio facta. i)

§. CXXI.
Effect. Rescr. Gratiae.

Rescripta Gratiae, praesentari qvandocunqve possunt, nisi fuerit in iis praefixum tempus, qvo evoluto, non praesentata, non valebunt. k) Rescriptum hoc soli prodest, pro qvo fuit impetratum, nisi fuerit subinde Iuris Canonici corpori inclusum. (§. CVII.) Cuius in promptu est ratio, qvod rescriptum ultra mentem rescribentis non debeat extendi. Valet autem gratiae rescriptum a die, qvo datum est; l) nec perimitur concedentis morte, qvamvis illa forsitan exeqvutionem antevertat. m) Qvia scilicet totum pendet a voluntate concedentis, qvam decet stabilem esse, n) Sed qvia ante confectionem literarum, gratia Apostolica dicitur informis: ex regula Cancellariae Apostolicae, datum *expedi-*

i) Cap. 9. et 23. de rescriptis. k) Cap. 11. de praeb. et dig. in 6. l) Cap. 7. de rescr. Cap. 14. eod. in 6. Cap. 7. de praeb. et dign. in 6. m) Cap. 9. de rescript. in 6. n) Cap. 36. de rescr. in 6.

peditionis, non vero *signaturae Papalis*, intelligi debet. At hic qvoqve casus excipitur appositae conditionis in rescripto. Nam conditio suspendit effectum in eventum rei futurum. Item, si in rescripto nondum est perfecta gratia, sed perficienda, alteri demandatur. Tunc enim, si re integra, moriatur mandans, gratia exspirat. o)

§. CXXII.

Cessatio utriusqve.

Exspirat etiam valor cuiuscunqve rescripti, eius renunciatione, cuius gratia fuit confectum. p) Dummodo hac renunciatione ius non laedatur alterius, tali rescripto acqvisitum. q) Revocatione item concedentis; r) tum vero morte eiusdem, si de rescriptis iustitiae sermo est, et gratiae primum faciendae. s) Morte qvoqve illius, cui nominatim est exeqvutio rescripti commissa. Morte impetran-

o) Cap. 36. de praebend in 6. p) Cap. 12. de foro competente. q) Vide Eybel introduct. in ius Eccl. T. IV. lib. I. Cap. 2. §. 267. r) Cap. fin. de rescript. s) Cap. 20. 30. de off. iud. deleg. Cap. 36. de praebend. in 6.

petrantis, qvod si de persona, et non de re, obtentum sonabat rescriptum. Deniqve illius morte, contra qvem obtentum erat. t)

§. CXXIII.

Privilegia.

Inter gratiae rescripta, *Privilegia* qvoqve (§. CX.) referri debent; qvae a dispensatione differunt, qvod haec nuda solutio sit a lege, ac ad unum plerumqve actum restringatur; illa vero ad cunctos actus eiusdem generis pertineant, et ius novum tribuant impetranti. Praeterea differunt a *Beneficiis iuris*, tam generalibus, qvae omnibus qvoad certa negotia prosunt, qvam a singularibus, qvae ad certum genus hominum sunt restricta; qvoniam utraqve sunt clausa in corpore iuris: cum illa passim extra corpus iuris vagentur. Atqve haec sunt alias affirmativa, qvae concedunt id agi, qvod iure communi non est permissum. Alias negativa, dum omitti concedunt, qvod esset de lege faciendum. Absoluta, qvae personae privilegiatae spectant favorem, sine gravamine cu-

ius-

t) Vide Lakics praecogn. Iuris Eccl. §. 182.

iusqvam. Respectiva, qvae per favorem unius alterum gravant. Personalia, qvae intuitu certae personae dantur, et cum eadem exstingvuntur. u) Realia, qvae rei conceduntur, vel personae, cum extensione ad successores. v) Conventionalia sive onerosa, sub reciproca obligatione dandi aliqvid, vel faciendi. Mere gratuita. Item renumeratoria meritorum. Perpetua. Temporanea. Communia, principaliter scilicet in Communitatis favorem concessa, qvibus proinde singuli non possunt renunciare. Privata, qvae principaliter commodum aliqvorum respiciunt, et secundario bonum commune, cui proinde renunciari potest. Alia per se primario data, alia per communicationem, ut, qvod prius iam aliis fuit concessum, ad alios extendatur. Alia motu proprio, alia ad preces. Alia per literas, alia oraculo vivae vocis. Alia contra ius, alia praeter ius data. Unde seqvitur, concedi haec ab eo solum posse, cui est legis ferendae potestas; a lege enim liberum facere alius nemo potest. Accedit, qvod

u) Cap. 7 de reg. iuris in 6. Exemplum domi nostrae §. XLI. v) Cap. 16. 21. 23. de privil.

qvod privilegium constitutio sit, qvae prohibet privilegiatum in privilegii usu turbari. w)

§. CXXIV.
Qvaliter acqviruntur?

Privilegia possunt acqviri concessione expressa, et consvetudine, x) dummodo consvetudo non sit speciatim reprobata. y) Qvamvis autem ad substantiam privilegii, non reqviratur scriptura, cum possit fieri vivae vocis oraculo: (§. praec.) reqviritur tamen plerumqve ad faciendam probationem. z) In iis autem sine dubio, qvae speciatim iubentur scripto impetrari: puta, facultas ingrediendi monialium claustra; a) Papalis Beneficiorum collatio, confirmatio, vel unio. b) Facultas item

w) Has Decretalistarum distinctiones legere poteris ap. Remig. Maschat in institut. Canonicis ad Librum V. tit. 33. et apud Eybel in introduct. in Ius Eccles. T. IV. §. 246. x) Can. 8. dist. 100. Can. 8. causa 9. qv. 3. Cap. 4. 8. de praescript. y) Cap. 17. de censib. z) Can. 8. dist. 100. Cap. 12. de privil. a) Trid. sess. XXV. decr. de regular. cap. 5. b) Cap. 1. de elect extrav. comm.

item in Beneficio non residendi. c) Porro haec tam scripto, qvam vivae vocis oraculo data privilegia, si motu proprio sint concessa, non ante sortiuntur effectum, qvam ad eos pervenerint, ad qvos adtinent, et ab iisdem acceptentur. d) Privilegia vero ad preces concessa, iam sunt in antecessum acceptata. e)

§. CXXV.

Qvantum valent?

Qvodlibet privilegium, fuerit illud personale, vel reale, concessum intelligitur salvo tertii iure (§. XV. et CXVI.) Ultra tenorem verborum, ad res, personas, et loca, non debet extendi. f) Idcirco strictiorem subit in dubio interpretationem. g) Nec tamen callidis interpretationibus decet ita illud enervari, ut nihil concessum videatur. h) Inuti-

c) Trid. sess. XXIII. de reform. cap. 1. d) Cap. 17. de praeb. in 6. Cap. 1. de concessione praeb. in 6. versu: *Qvia in privilegiis.* e) Vide Eybel cit. superius loco. f) Cap. 9. 16. 32. de privil. Cap. 40. de off et pot. iud. delegati. g) Cap. 7. 19. de privil. h) Cap. 30. eod. tit.

utilem reddit actum sibi adversantem; i) imo sententiam, qvae contra productum coram iudice privilegium lata fuit. k)

§. CXXVI.
Qvot modis cessant?

Cessant privilegia per revocationem expressam. Qvae si specialis non fuerit, sed generalis, non censentur per eam revocata esse privilegia, in corpore iuris clausa; l) neqve illa, qvibus insertum est, ut revocata censeantur, nisi revocationi fuerit adnexa huiusmodi clausula: *Non obstantibus privilegiis sub qvacunqve verborum forma conceptis.* Aut illa: *Etiam si eorum mentio de verbo ad verbum fieri deberet.* Cessant qvoqve per revocationem tacitam, cum legislator tale constituit, qvod si stet, privilegium neqvit stare. Cessat qvoqve per novum privilegium alteri concessum, qvod priori contrariatur, dummodo specialis huius mentio fiat. (§. CXVI.) Tollitur qvoqve privilegium generale prius, per speciale posterius illi contrarium: nisi

i) Cap. 10. de elect. k) Cap. 21. de sent. et re iudicata. l) Cap. 23. de elect. in 6.

nisi per istud alteri in iure qvaesito grave praeiudicium oriatur; ni, et hoc speciatim a legislatore fuerit expressum. m) Cessat praeterea qvodvis privilegium, renunciatione, si mere fuerit personale; n) minime vero, si datum fuerit communitati, loco, ordini, dignitati. o) Personale, cum morte privilegiati. Dein cum morte concedentis, hoc modo si privilegium circumscripsit. Nec eo tamen pertinet clausula haec: *Usqve ad Sedis Apostolicae beneplacitum*: qvippe haec manet etiam Papa defuncto. p) Cessat qvoqve, dum vergit in grave alterius detrimentum. q) Interitu rei, si fuerit reale. r) Nec non privilegii concessi abusu; s) non tamen ante sen-

ten-

m) Cap. 19. de praescript. Cap. 1. de constitut. in 6. Cap. 6. de rescript. Cap. 1. de off. iud. deleg. Cap. 14. de praeb. in 6. Regula iuris 34. in 6. Cap. 9. de fil. Presb. n) Can. 8. caus. 7. qv. 1. Cap. 6. de privil. Cap. 16. de elect. o) Cap. 12. de foro compet. Cap. 36. de sent. excomm. p) Cap. 5. de rescriptis in 6. q) Cap. 10. de immunit. Ecclesiarum. etc. r) Cap. 2. de religiosis domib. s) Can. 7. dist. LXXIV. item Cap. 4. 24. 27. de privilegiis etc.

tentiam iudicis, nisi aliter canon, de tali speciatim casu disponat. t) Cessat etiam privilegium post effluxum temporis, pro qvo concessum erat. u) Item cessante causa finali. v) Usu privilegii per annos triginta, vel qvadraginta, sponte neglecto, si affirmativum est, cum aliorum onere collatum. Negativi enim privilegii non usus, illud minime suffert, nisi fuerit, et istud a concedente expressum. Tollitur deniqve per actum contrarium, a privilegiato libere positum, ex qvo renunciatio sufficienter constare possit. w)

§. CXXVII.

Eorum confirm. et innov.

Confirmatio privilegiorum, non illa materialis, qvae in renovatione, seu nova descriptione veteris documenti existit, x) ve-

t) Cap. 10. de immunit. eccl. etc. Cap. 14. et 23. de sent. excommun. u) Cap. 4. de off. iud. delegat. v) Cap. 60. de appellat. w) Cap. 6. et 15. de privil. et excess. privilegiator. x) Fateor Papalis me huiusmodi privilegii exemplum in Ecclesia Hungarica, isto momento, dum properanter scribo, non habere, sed res illustrari potest

rum formalis, dicta etiam *innovatio*, vel fit in forma communi, vel in specifica, seu *ex certa scientia.* Prior non tribuit novum valorem: sed veterem firmat; qvi, si ab initio nullus erat, neqve modo erit. Nam de regula iuris, innovatio, ius novum privilegio non tribuit, sed antiqvum conservat. y) Verum altera tam vetus corroborat iam antea validum, qvam et novum addit. Ut proinde iudex inferior, de valore ipsius cognoscere, vel illud immutare neqveat, nisi pro hoc

diplomate S. Stephani, monasterio Monialium de Valle Weſzprimiensi, in lingva Graeca tradito, qvod anno 1109. iussu Regis Colomanni ad verbum fuit transumtum. Vide ap. Pray in vita B. Margarithae, pag. 221. et ap. Katona hist. crit. R. H. T. 3. p. 263. Mox tamen occurrit renovatio privilegii per S. Steph. Sacro monti Pannoniae ann. millesimo primo concessi, qvod ad avertendam suspicionem falsitatis, qvae ex parte Weſzpr. Episcopi praetendebatur, transumtum fuit iussu Innocentii III. Pont. anno 1215. legiturqve ap. Ill. Chrysostomum Novák, in vindiciis diplomatis Stephanei, pag. 19. y) Cap. 13. de privil. et excessib. privilegiator. Cap. 4. de confirmatione utili vel inutili.

hoc sibi datam habeat facultatem. Qvamvis inqvirere possit, num facta sit revera privilegii, de qvo agitur, confirmatio? num, si confirmatum est, vitio non careat, ex parte vel sui, vel impetrantis? z) Ceterum, confirmatio in *forma specifica*, non ex illa duntaxat expressione cognosci debet: *Ex certa scientia*, vel, *ex plenitudine potestatis*; verum ex ipso confirmationis tenore, praesertim, si huic, ipsum privilegium fuerit insertum. a) Porro confirmatio haec, seu innovatio, potest esse necessaria, nimirum, ut continuari privilegium possit; atqve voluntaria, ut maius privilegio robur accedat. b)

§. CXXVIII.

Dispensatio.

Dispensatio qvoqve, species est rescripti Papalis, diciturqve *exemptio a lege pro particulari vel casu, vel persona, manente ceterorum obligatione.* Differt a privilegio, (§. CXXIII.) et ab interpretatione, qvae

O 2 non

z) Cap. 5. et 6. eod. tit. a) Cap. 8. eod. tit. Exemplum hic §. XXXVII. b) Idem exemplum, et alterum §. XXXIX.

non tollit obligationem, sed declarat, legem certis in casibus neutiqvam obligare. Alia est *a iure*, cuius videlicet casus in lege scripta leguntur. c) Alia vero *ab homine*, qvae per speciale rescriptum datur. Ordinaria est, qvae competit vi muneris gesti. Delegata conceditur ab eo, qvi potestatem ordinariam non habet. Fieri dispensatio in Ecclesiastica lege potest, imo qvandoqve illam concedi expedit. d) Pontifex Romanus, habendo potestatem ferendae legis, (§. CX.) dispensare qvoqve in lege Ecclesiastica potest. e) Ceteroqvin, dispensatio unius a lege, vera lex est alteri, ne hunc in iure concesso turbet.

§. CXXIX.

Rom. Curiae autoritas.

In edendis constitutionibus, ac rescriptis, conficiendisqve tam Bullis, qvam Brevibus,

c) Ut in exemplo: Can. 29. Causa XVII. qv. 4. Cap. 44. §. 1. de elect. et electi potest. Cap. 14. de filiis Presbyter. d) Trid. sess. XXV. de reform. cap. 18. e) Lege Petri de Marca de concord. lib. 3. cap. 13. §. 7. seqq. Espen dissert.

vibus, variarum Romae Congregationum, atqve Tribunalium auxilio utitur Pontifex Romanus: concessa plerisqve illarum insuper tali potestate, ut Eius nomine varia negotia, ad primam sedem pertinentia, decernant. Hae simul omnes, *Curiae Romanae* adpellationem, inde fors a saeculo XII. f) fuerunt conseqvutae. Est autem illa, *Senatus Romani Pontificis, in qvo causae ad Sedem eius spectantes, ac eo delatae, expediuntur.* Variis ipsa constat qvasi minoribus Curiis, qvae ceu membra Senatus eiusdem spectari debent. Autoritas eius qvippiam decernentis, eadem est, qvae Pontificis, cum non suo illa, verum Istius autoritate decernat. Generales igitur eius declarationes, ad omnes aeqve pertinent, particulares, illos duntaxat obstringunt, qvorum causa editae fuerunt. De istius Curiae partibus nonnullis plura, de ceteris pauciora dicam, prout nimirum in Ecclesiam Hungaricam, vel maiorem, aut minorem influxum habent; illis, qvae parti-

cula-

canonica de dispensat. inserta opp. T. VI. edit. Ven. anni 1781. f) Vide Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 21. cap. 3. num. 14.

cularem Ecclesiae Romanae Ecclesiam solummodo adtinent, silentio praetermissis. g)

§. CXXX.
Consistor. Card.

Ad Papae Senatum spectat imprimis Consistorium Cardinalium, qvod Praeside ipso Pontifice celebratur; cui dum soli intersunt Cardinales, ordinarium, ac *secretum*: si alii qvoqve Praelati, Ministri qvoqve, ac Oratores Principum, et Magistratus, extraordinarium, atqve *publicum* nominatur.

§. CXXXI.
Congr. Status, et Consistorial.

Sed cum non semper expediat qvaevis negotia cunctis Cardinalibus esse cognita, fit peculiaris qvorumdam Cardinalium conventus, qvi dicitur *Congregatio Status*, perdurans, durante praesentis negotii tractatione. Verum, ne Consistorii Papalis Maiestatem altercatio qvaedam laedere possit: Congregatio prius agitur a nonnullis Cardinalibus et Prae-

g) Enumeratas lege ap. Ant. Schmidt Institut. Iuris Eccl. T. I. pag. 230.

Praelatis; qvae *Consistorialis* dicta, negotia discutit, in Consistorio proponenda.

§. CXXXII.

Congr. Cardinalium.

Alterum sibi locum vendicant Congregationes Cardinalium, sive Collegia per Pontifices erecta pro specialibus negotiis tractandis, et cum iudiciaria potestate, per Cardinales potissimum, decidendis. Qvae constantes sunt, *ordinariae*, qvae post negotii suscepti finem desinunt, *extraordinariae*, compellantur.

§. CXXXIII.

Congr. Inqvisit.

Inter stabiles praecipua est Congregatio S. Officii, seu *Inqvisitionis contra haereticam pravitatem*, qvae coalescit e Cardinalibus, qvamplurimis item Praelatis, ac diversorum Ordinum Theologis, e Saecularibus etiam nonnumqvam Clericis. Inter qvos locum habet Magister Generalis Ordinis Dominicani, et Sacri Palatii Magister, qvi continuo ex hoc ordine constitui solet. Praecipua

est

est huius Congregationis obligatio, dicta, facta, vel scripta Religioni Catholicae adversa, in examen vocandi; horumqve autores iudicandi potestas. h) Imo hodie, qvinqvennales gratiae, Praesulibus dari solitae, ab hac Congregatione promanant. i)

§. CXXXIV.

Congr. Indicis.

Congregatio *Indicis* dicta, prioris vicaria est, cui revisio, et prohibitio librorum est demandata. Constat numero Cardinalium pro beneplacito Papae, magnoqve numero Theologorum, qvi Consultores vocantur. Hic Theologi facto librorum examine, suum depromunt iudicium in Congregatione, iuxta referentium vota. Librorum prohibitorum indices, huius Congregationis autoritate typis excusi, forte fortuna isthuc terrarum penetrant. Id ergo de his, qvod alias de qvibus-

libet

h) Cap. 9. 10. 11. de haereticis. De officio Inqvisitionis olim in ditionibus Hungaricis exercito, vide meas Hist. Eccl. R. H. amoenitates fascic. III. num. II. i) Lege Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. XXII. cap. 3.

libet Ecclesiae legibus dictum erat, (§. XV.) pronunciandum videtur. Cum praeterea Reges Apostolici, pro illa potestate, qvam subinde commemorabo, diligenter in noxios qvosqve libros inqviri praecipiant, neqve desinant eos vetare: suo forsitan facto docent, extraneam librorum censuram, apud nos locum non habere. Causa etiam, qvae vigens apud nos olim Inqvisitionis officium sustulit, k) tum lex Regni anno 1791. condita l) plurimum videntur obstare, ne memoratae Congregationis censura, hic gentium omnimodam habere possit autoritatem.

§. CXXXV.

Qvalificatio thesium.

Eius Congregationis autoritate liber in indicem prohibitorum relatus, peculiari qvoqve damnatur sententia, eiusqve propositiones

nes

k) Legatur §pho praecedente memorata mea dissertatio §. 6. l) Art. 29. §. 5. Cetera inter habetur de Evang. utriusq. Confess. *Libros porro tam symbolicos, qvam Theologicos - - - libere typis excudi facere - - admittantur.* Qvare nec prima, nec decima indicis regula hodie locum apud nos habet.

nes, variis nonnumqvam censuris afficiuntur. Huiusmodi censura, *qvalificatio thesium* dicitur. Ac tum qvidem *specifica* est, dum qvaelibet propositio, propria notatur censura; *cumulativa* vero, dum theses enumeratae, proscribuntur in globo. Qvalificationes thesium sic a Theologis enumerantur: Propositio haeretica, directe opponitur Verbo Dei. Haeresi proxima, qvae repugnat conclusioni e Verbo Dei per certam conseqvutionem deductae. Haeresin sapiens, qvae videtur damnatae sententiae patrocinari, qvamvis etiam orthodoxe intelligi possit. Schismatica, qvae apta est ad dissolutionem Christianae unitatis. Erronea in specie, non qvidem haeretica, veritati nihilominus, qvae pietatem fovet, repugnans. Blasphema, qvae in Deum, vel in eius Sanctos contumeliam iactat. Impia, qvae Christianum a pietate, vel Evangelicis consiliis, aliisqve piis operibus abducit. Scandalosa, qvae viam sternit ad morum dissolutionem, et proximi ruinam. Piarum aurium offensiva, qvae in materia Religionis, aliqvid horridum refert. Malesonans, qvae sensum potest habere catholicum, sed verbis

ex-

exprimitur, qvae erroneum qvoqve patiuntur. Simplicium seductiva, qvae sub larva pietatis errorem tegens, rudes pervertit. Periculosa, qvae propter affinitatem, cum aliis malae notae positionibus, a viro discreto proferenda non esset. m)

§. CXXXVI.

Congr. super neg. Episc. etc.

Congregatio super negotiis Episcoporum, et Regularium, solis constat Cardinalibus, qvos, saltem duodecim esse in illa oportet. Qvapropter *Cardinalitia* compellatur. Lites decidit ortas inter viros Regulares de praecedentia, privilegiis, ac iuribus; natas item Episcopos inter, ac Regulares de exemtione; tum inter superiores Regularium, ac subditos. De valore etiam religiosae professionis. De iuribus Parochialibus, et decimis; deqve aliis negotiis, qvae ad disciplinam monasticam spectant. Haec eadem Congregatio

m) Lege Petri Annati Apparatum ad positivam Theologiam T. I. lib. I. art. 5. Melch. Can. de loc. Theol. Lib. XII. cap. 6. et 10.

tio vacantibus Ecclesiis Vicarios Apostolicos (§. XLV.) concedit. n)

§. CXXXVII.
Congr. Sacr. Rituum.

Congregatio Sacrorum Rituum, Dei cultum exteriorem ordinat, Sacros determinat Ritus, et commissos circa hunc abusus tollit. Atqve haec est Congregatio ordinaria. Nam extraordinaria de negotio graviore tractat, ad Sacros aeqve Ritus spectante, qvale est beatificatio, vel canonizatio Sanctorum. Ad qvam propterea plures accedunt, puta, sex Consultores Praelati, et alii viginti qvatuor e numero Theologorum.

§. CXXXVIII.
Congreg. Indulg.

Sacrae Congregationis Indulgentiarum hoc munus est, ut apocryphas vel indiscretas Indulgentias olim concessas pervestiget, ac iuxta Tridentinae Synodi praeceptum, vetet. o)

§. CXXXIX.

n) Bened. XIV. de Syn. D. lib. 2. cap. 10. num. 9. o) Trid. sess. XXI. decr. de ref. cap. 9. sess. XXV. decr. de Indulgentiis.

§. CXXXIX.

Congr. Trid. Interpr.

Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, qvaestiones de sensu Concilii eiusdem in rebus disciplinae natas, decidit, mentemqve Patrum Tridenti congregatorum interpretatur; minime tamen inconsulto Papa, neqve sic ultra verborum proprietatem, ut decisio dispensationem sapere videatur. Ad fidem praeterea in iudiciis habendam, sigillo muniri debet primaeva Congregationis declaratio, et a Cardinali Eiusdem Praefecto subscribi. Sic enim asseritur decrevisse Urbanus VIII. die secunda Augusti, anno 1641. p) Extra iudicium vero, qvaecunqve resolutiones ab eadem sacra Congregatione editae, sive in laudatissimis operibus Benedicti XIV. qvi ipse huic sacrae Congregationi olim a Secretis fuerat, seu in *Thesauro Resolutionum* S. Congregationis, qvam nunc memoro, leguntur, qvoniam nonnisi cum adprobatione secretarii eiusdem Congregationis editae sunt, omnem prorsus fidem merentur.

Qvanta

p) Ap. Remigium Maschat in praefat. Institut. Canonicar.

Qvanta vero declarationi insuper autoritas, e contextu primum debet colligi; utrum non ad particularem duntaxat Ecclesiam, vel casum fuerit extensa; et, si generalis esset, ceteroqvin plenissimum habitura robur, (§. CX.) utrumne salvis provinciarum, vel personarum iuribus, observari possit. (§. XV.) q)

§. CXL.

Rota Romana.

Rota Romana, supremum Pontificis Tribunal est, qvod cognoscit causas fori civilis intra territorium Pontificis, et fori spiritualis causas, ex toto illuc orbe delatas. Praeest huic Cardinalis Vice-Cancellarius, r) duodecim habens Auditores, in tres divisos classes, a qvarum una qvi se gravatum sentit, ad alteram, atqve hinc ad tertiam adpellare potest.

q) Legatur Bened. XIV. institut. Eccles. C. VII. post initium, §pho. *si quis a nobis.* r) De hoc vide Espen Iuris Eccl. parte I. tit. 23. num. 4. et seq.

§. CXLI.
Signatura iust. et gratiae.

Signatura *iustitiae* tribunal est, ad qvod pertinent causae, qvae adpellatione indigent, non, ut hic decidantur, verum decernatur solummodo, num appellatio habeat locum, et qvibusnam sub clausulis possit admitti. Signatura vero *gratiae*, tribunal est, in qvo proponuntur negotia, qvae rigidum iuris examen haud patiuntur; qvales sunt causae iam a decennio sopitae, vel alias decisae, aut qvas ventilari, status ratio vetat.

§. CXLII.
D a t a r i a.

Dataria, tribunal est, in qvo gratiae pro foro externo valiturae, conceduntur, et expediuntur. Praecipui hic Officiales sunt, Datarius, et Prodatarius, qvi censentur organum Papae, qvia cum eo freqventer agentes, optime possunt Eius intentionem nosse. Dum ab hoc tribunali qvicqvam petitur, literae sunt ad Papam dirigendae, in qvibus exprimi debet nomen oratoris, Dioecesis, in qva is degit; et meritum causae proponendum

est

est sine ambagibus, ac verbis, qvae in Curia intelligantur. Inde rescripta ad Episcopum, aut Vicarium diriguntur.

§. CXLIII.

Poenitentiaria.

Poenitentiaria Tribunal est, in qvo poenitentes, qvi crimen commiserunt absolutioni Pontificiae reservatum, absolvuntur, vel dispensantur super occulta irregularitate, aut occulto matrimonii impedimento, verum pro foro conscientiae duntaxat. Eius caput est Cardinalis *Poenitentiarius Maior* dictus, cui subsunt Poenitentiarii minores in tribus Ecclesiis, utpote Vaticana, S. Mariae Maioris, et Lateranensi, qvibus data est facultas absolvendi a criminibus absolutioni Pontificiae reservatis. Cum vero sive absolutio, sive dispensatio, absentibus per literas concedatur, ideo plures isthuc pertinent officiales, tam maiores, qvam subalterni eum in finem instituti, ut causas cognoscant, atqve literas impertiantur. Cum ad hoc sacrum Tribunal dirigitur petitio, literae inscribendae sunt *Eminentissimo, ac RR. D. S. R. E. Cardinali*

dinali Maiori Poenitentiario. Intus autem, oratoris nomen genuinum, et cognomen, uti et Dioecesis reticeri debet. Qvorsum vero, et ad qvem dirigendum sit rescriptum, indicetur oportet; nam, si petitioni delatum fuit, ad hunc dirigetur responsum, eo cum mandato, ut ille, prius audita suplicantis Confessione Sacramentali, eundem Pontificis autoritate liberet à censura, vel impedimento, verum pro conscientiae duntaxat foro. Qvapropter literae sunt mox abolendae, ne qvod rei occultae vestigium superesse possit. s) Apud nos non Romam immediate, sed ad Vicariale officium diriguntur literae, qvarum suplicatio ea prorsus forma scribi debet, qvasi Romam dirigerentur.

§. CXLIV.
Cancellaria Rom.

Cancellaria Romana, collectio est personarum, qveis incumbit, Pontificis nomine literas condere, scribere, ac expedire. Prae-

P est

s) Optime hac de re Tiburtius in manuduct. ad praxim executionis literar. Sacrae Poenitentiariae, edit. Tirn. 1738.

est illi Cardinalis V. Cancellarius, plures adsunt Officiales, alii *de maiori banco*, alii de *banco minori.* Munus est utriusqve, dubia solvere, qvae circa expeditionem literarum Apostolicarum enasci possunt. Habet illa suas agendi leges, qvae sub nomine *Regularum Cancellariae* veniunt. Exspirant cum qvovis Papa, et per novum Pontificem, pro voluntate, vel restringuntur, vel augentur. Nos, qvi nihil in Cancellaria Sanctissimi Patris operandum habemus, de iis minimum sollicitos esse oportet. t)

§. CXLV.

Secretaria Brevium.

Secretaria Brevium, erecta est in subsidium Cancellariae; qvae sub cura *Secretarii Brevium*, literas Apostolicas in forma Brevium expedit, cum eiusdem Secretarii subscriptione, nisi fuerint ad Reges, magnosqve Principes, aut in gravissimis negotiis conscri-

t) De his legatur Espen dissert. in Ius Can. novissimum §. 5. qvae est inserta eius opp. T. VIII. editionis ult. Venetae.

scriptae; qvo casu, ab ipso Pontifice subscribuatur. u)

§. CXLVI.
Curiae officiales.

Postqvam de Congregationibus Romanis, qvatenus illae in reliqvo orbe Catholico operantur, breviter egi, videtur ordo rei poscere, de officialibus qvoqve variis Curiae Romanae ut loqvar. Sed praefixa qvidem brevitas, id prohibet: supervacaneum autem esse, hoc innuit, qvod ex omnibus Curiae memoratae Officialibus, ferme soli apud nos hodie noti sint Protonotarii Apostolici; item Notarii Publici, qvos tamen ipsos ignoraremus, nisi vetustiora patriae nostrae documenta, horum meminissent.

§. CXLVII.
Protonot. Apost.

Proto-Notariorum vetustissima est origo. Nam S. Clemens ab anno Christi 67. Roma-

u) De omnibus hisce, legito Espen Iuris univ. parte I. tit. XXII. Atqve post hunc prae ceteris Ios. Riegger, Institut. Iurisprud. Eccl. Pars I. §. 509. seqq.

nus Praesul, constituisse legitur in Urbe, septem Notarios, ad reqvirenda, diligenterqve conscribenda SS. Martyrum acta. v) Ob cuius muneris excellentiam, dicti sunt *Proto-Notarii*, seu primi Notariorum; qvi reddita etiam Ecclesiae Christianae plena pace, nihilominus perseverabant, in obseqvium sedis Apostolicae gravibus distenti curis; w) eapropter in Curia Pontificis, Episcopos in sedendo praecedebant, usqve ad Pium II. anno Christi 1452. electum, qvi hos deinceps Episcopis cedere iussit. x) Hodie praecedunt in Capella Pontificis omnes Abbates, in adparatu sacro non adstantes. y) Alii *participantes* dicuntur, utpote gaudentes redditu sibi assignato, qvi iuxta Constitutionem Sixti V. numerum duodenarium complent. Ceteri sunt *non participantes*, seu honorarii, vel titulares, numero indefinito. Primi ab Or-

v) Pagi in breviario Rom. Pont. T. I. pag. 10. w) Thomassin de vet. et nova Eccl. discipl. parte I. lib. 2. cap. 104. seqq. x) Teste Bened. XIV. de Syn. D. lib. 3. cap. 8. num. 3. y) Iuxta S. Rit. Congr. decr. 12. Febr. 1598. datum, ap. Macri in Hierolexico, voce: *Protonotarius*.

Ordinariorum iurisdictione prorsus exemti sunt, iisqve duntaxat ratione Beneficiorum, si qvae in eorum Dioecesibus haberent, subduntur. z) Proximum ab Episcopis locum dignitatis habent. Munus eorum est, notandi, qvae in Papae Consistoriis geruntur, et conficiendi instrumenta fide digna, si fuerint rogati. Facultatem habent qvotannis creandi sex Doctores, in Urbe si fuerint, item creandi publicos Notarios; a) legitimandi nothos, ut fieri possint capaces haereditatum; ornamentis Pontificalibus utendi cum licentia praesentis Episcopi, et absqve hac, si absit. b) Ceteros autem Protonotarios, non participantes, Concilium Tridentinum locorum Ordinariis, velut sedis Apostolicae delegatis subiecit. c) Post exortas autem, de sensu, et extensione huius decreti disceptationes, hodie literis Apostolicis, per qvas collegio Protonotariorum qvispiam adscribitur, haec

z) Benedict. XIV. cit. num. allegatis Leonis X. et Sixti V. Constitút. a) Iuxta constitut. Bened. XIV. *Inter conspicuos* 29. Augusti 1744. b) Macri cit. loco. c) Conc. Trid. sess. XIV. de reform. cap. 11.

haec semper additur clausula: *Citra exemptiones a Sacro Concilio Tridentino sublatas, ita, ut nedum qvoad criminalia, sed etiam qvoad civilia, subiaceas Ordinariis.* d) Habent autem ius extra Urbem Romanam rochetti, et mantelletti coloris violacei; non possunt tamen retinere annulum, qvando celebrant Missam; ius qvoqve pilei super insignibus suis depingendi. Praecedunt Canonicos, dummodo hi non sint capitulariter congregati. e) Cum igitur Protonotarii, ceu dignitates, literas Apostolicas exeqvutioni mandare possint, f) id ipsum Protonotariis non participantibus est concessum. g)

§. CXLVIII.
Notarii Publici.

Notarios publicos, prioribus, de qvibus nunc erat sermo, fuisse inferiores, inde patet, qvod hos ab illis creatos, fuerit memora-

ra-

d) Ita testatur Bened. XIV. cit. cap. num. 5. e) Adducit decisiones S. Congr. Rituum hanc in rem Macri cit. loco. f) Ex cap. 11. de rescript. in 6. g) Plura de his, qvi scire cupit, ipsum diploma Protonotariale consulat.

ratum. Est autem Notarius publicus, *persona publica, per illum, qvi summam habet potestatem, aut huius nomine per alium, adhibitis qvibusdam solemnitatibus, eum in finem constitutus, ut actibus, qvo par est, procedens modo, publicam conciliet fidem.* h) Hi ab Imperatoribus, et postqvam negotia Ecclesiastica more civili tractari coeperant, etiam a Pontificibus constitui coeperunt. i) Ne tamen huiusmodi Notariorum imperitia cuiqvam noceret, daretqve causam litibus, Tridentini Patres sapienter providerunt. k) Unicam nos Ungari habemus domesticam legem, de his qvae sonat: utpote articulum 3. anni 1405. hoc pacto decernentem: *Ut nullus publicus Notarius in causis, qvae inter duos laicos vertuntur, sive coram iudice Ecclesiastico, sive saeculari procurare audeat,* vel

h) Definitionem hanc sumsi e dissert. Ioh. Wilh. de Goebel de notariis cap. 2. qvae est inserta Barringii clavi diplomaticae, pag. 27. edit. Hanoveranae anni 1754. i) Qvalesnam eis facultates concedi soleant, lege ap. Espen Iuris Eccl. univ. parte 3. tit. 7. cap. 7. num. 15. k) Trid. sess. XXII. de reform. cap. 10.

vel ullatenus advocare, sed tantum in foro spirituali, seu Vicariorum curiis locum habeat, nec Nobiles, seu Viri Ecclesiastici, inqvisitiones possint facere contra eos. Nomina vero notariorum, qvi apud nos olim suo munere fungebantur, qvantum ego detexi, inde ab anno Christi 1276. alias a me recitata fuerunt. l) Qvo loco addideram, notatum esse ab aliis: Qvod e gremio Capituli Posoniensis, ad annum fere MDC. legi solitus fuerit huiusmodi Publicus Notarius, qvi testamentis, litibusqve nomen suum subscribebat. m) Qvod sane mirandum est. Veluti revera miramur iam, minimeqve imitamur consvetudinem, libertati Hungariae, nimis patenter adversam. n)

§. CXLIX.
Episc. Literae Past.

Qvamvis Pontifex Romanus, pro extensione potestatis suae in universos Christifideles, partim per se, partim Congregationum ad-

l) Hist. Eccl. R. H. amoenit. fascic. I. num. 4. m) Bombardi in Topographia R. Hung. lib. 4. cap. 1. §. 10. n) Lege Tripart. partis II. tit. 13.

adminiculo iisdem fidelibus praecipiat, dum est ita necessum: Non tamen obstat hoc supremae potestatis exercitium, potestati Episcoporum, qvi sicut in Synodis ab se celebratis, ita per Literas qvoqve Pastorales, vel proprio, vel Vicariorum suorum nomine exaratas, gregi Dominico ea, qvae Canonicis non obviant institutis, praecipere possunt. Et, cum vacante Episcopali sede, in curanda Dioecesi, succedat Capitulum Cathedrale, seqvitur, huic eamdem competere potestatem; qvae mox in Capitularem Vicarium transfertur. (§. LII.)

§. CL.

Consvetudo, ut lex fiat.

Postqvam de scriptis legibus, ceu fontibus Ecclesiastici Iuris egi, de illa nunc lege loqvor, qvae sine scripto, moribus utentium, tacitoqve, aut expresso legislatoris consensu, autoritatem conseqvuta, nomine *Consvetudinis* adpellatur, diciturqve a Gratiano: *Ius qvoddam moribus institutum, qvod pro lege observatur, cum deficit lex.* o) Qvae definitio

o) Can. 5. dist. 1.

nitio cum aliis videatur imperfecta, qvod nec causam efficientem legis, nec omnes eiusdem effectus complectatur, altera haec depromitur: *Ius, populi, vel Collegii moribus introductum, et ab eo, qvi ius ferendi legem, aut condendi statuti potestatem habet, comprobatum.* Hinc sese fronte prima offert divisio consvetudinis in *universalem*, et *particularem*, prouti se exerit in universalem vel particularem duntaxat Ecclesiam, qvae sibi legem agendi, vel omittendi fixit. p) Rursumqve in consvetudinem *publicam*, et *privatam.* Illa ad causas, et negotia subditorum privata, haec ad causas, et negotia publica regulanda, et expedienda spectat. Omnis consvetudo, alias est secundum legem, qvae hanc olim conditam, usu diuturno firmat, ac interpretatur. Qvoniam consvetudo est optimus interpres legum. q) Alia praeter legem est, qvae ius novum antehac non existens, neqve tamen contrarium existenti, intro-

p) Can. 8. distinct. XI. et est notabilis Augustini sententia. Cap. 6. de consvet. Cap. 31. de elect. Cap. 3. de cogn. spirit. q) Cap. 8. de consvet.

troducit. r) Deniqve alia contra legem est, qvae ius inducit contrarium legi iam existenti, vel abrogando penitus, vel saltem ei derogando. s) Datur itaqve consvetudo inductiva, qvae normam agendi introducit, hactenus non usitatam. Qvae, si vigentis antehac legis involvat correctionem, erit correctiva, si abrogationem, abrogativa. Datur deniqve consvetudo interpretativa. t)

§. CLI.

Reqvisita ex parte pop.

Ut consvetudo legis induat naturam, deposcitur freqventia actuum uniformium, a maiore populi, vel si consvetudo particularis inducenda sit, a maiore Collegii parte positorum, nec interruptorum, sed neqve coactorum etiam; verum qvi profecti sint potius cum intentione, obligationem invehendi. u) Numerus actuum, et mensura temporis, qvo actus illi perdurare debent ad obligationem inducendam, in Ecclesiastica lege neu-

r) Can. 7. dist. 11. s) Cap. 11. de consvet. t) Legantur hae dist. ap. Decretalistas. u) Lege Maschat ad Lib. 1. decretal. tit. IV. qv. 2.

neutiqvam determinatur; sed neqve a Decretalistis, verum e negotii qvalitate, gravitateqve, tum ex aliis insuper adiunctis, pro viri prudentis arbitrio, desumi debent. Sane, dum constiterit de consensu legislatoris, consvetudo suum illico pondus est habitura. v)

§. CLII.

Et ex parte Legislat.

Nam sine tali consensu, erit qvidem facti, sed minime iuris consvetudo; cum stabilire ius nemo, praeter legislatorem possit. Neqve ille tamen positivus esse debet, nam sufficere consensum interpretativum, aiunt. Qvi praesumi non debet, ubi consvetudo est legis abrogativa, vel correctiva, si ratio, propter qvam fuerat condita, subsistit. Qvoniam legislator pro munere suo, legem in bonum commune latam, non abolere, verum tueri censendus est, qvamdiu oppositum velle non manifestat. Qvod alterum tunc fiet, si legislator, sciens agi contra legem, hanc tamen minime urgeat, cum possit, deturqve ur-

v) Idem ibidem.

urgendi occasio; vel id, qvod contra legem actu fuerat, etiam probet. Speciatim: consvetudini, qvam diximus inductivam, (§. CL.) legislator virtutem legis indere voluisse cognoscetur, si negotia, non iuxta consvetudinem peracta, reprobet, vel annullata velit; actionesve nulla vetitas lege, sed consvetudini contrarias, prohibeat, vel plectat. Haec adeo plana sunt, ut non indigeant uberiori probatione. Ut interpretativa consvetudo, (§. eod.) robur obtineat, qvod ipsa lex habet, actus legem interpretantes, ut sint eidem conformes, fiantqve cum assensu legislatoris, est necesse. Nec enim seu iudicis, sive legisperitorum interpretatio, sensum legi authenticum impertiri potest.

§. CLIII.
Eius autoritas.

Talibus munita reqvisitis Ecclesiastica consvetudo, ligat omnes Christifideles, inter qvos, et pro qvibus introducta fuit: ac idem, qvod lex scripta, robur obtinet. Nam scriptura vim non tribuit legi, sed certam reddit voluntatem legislatoris; qvae, si aliter

in-

innotescat subditis, perinde illos obligabit. Id qvod leges Ecclesiasticae clamant. w)

§. CLIV.
Et robur.

Qvapropter tantum est robur legitimae consvetudinis, ut Canonis adinstar debeat observari; sententia contra hanc lata, sit irrita ipso iure; et non censeatur abrogata per clausulam: *Non obstante consvetudine*, nisi dictum fuerit: *Non obstante consvetudine contraria etiam immemoriali.* Qvae tamen clausula generalis, particulares Ecclesiarum consvetudines non comprehendit, cum has legislator potuerit probabiliter ignorare. x) Generales vero consvetudines cum nosse censeatur, has per memoratam clausulam abolevisse, merito putandus erit. y)

§. CLV.

w) Can. 5. dist. 1. Can. 5. 7. 8. dist. XI. Can. 6. 7. 11. dist. XII. Cap. 2. 8. de consvet. Cap. 3. 4. eod. in 6. Cap. 3. de aetate, et qvalit. etc. Cap. 3. in Clement. Adde Conc. Trid. sess. VI. de reform. cap. 2. sess. XXII. cap. 3. cap. 9. et 11. Id deniqve supponebant Iulius III. et Pius IV. in Bulla resumtionis Concilii Trid. x) Cap. 1. de constit. in 6. y) Lege Remigii Maschat in-

§. CLV.

Irrationab. non valet.

Qvoniam actus Iuri Divino tam naturali, qvam positivo, itemqve bono Ecclesiae contrarios, qvicunqve consensus legislatoris, haud reddit licitos, ne secus dicenda sit Ecclesiastica potestas, instituta fuisse contra proprium finem; (§. II.) si cuipiam ex illis adversetur, non consvetudo erit, verum corruptela. Hinc reprobantur consvetudines contrariae fidei Catholicae; z) veritati; a) peccato faventes; b) Publico noxiae; c) Dei, et Sanctorum cultui contrariae; d) repugnantes decentiae; e) ex ambitione profectae; f) perturbantes Hierarchicum ordinem; g) disrumpentes nervum Ecclesiasticae disciplinae, et morum correctionem im-

stitut. Canonic. lib. I. tit. 4. qv. 3 z) Can. 6. 9. dist. VIII. a) Can. 4. 7. 8. dist. cit. Cap. 8. de sent. et re iudicata. b) Can. 1. dist. XLIV. Can. 15. caus. 1. qv. 3. Cap. 10. de consvet. c) Can. 1. caus. 16. qv. 6. d) Can. 2 dist. 3. de consecr. e) Cap. 10. de vita, et hon. Cler. f) Cap. 1. de consvet. in 6. g) Cap. 3. et 4. de consvet.

impedientes; h) qvaecunqve inducunt violationem censurarum, i) aut Ecclesiasticae libertatis; k) repugnantes aeqvitati; l) aut humanae legi, qvae in lege naturali, vel positiva Divina, Bonove Ecclesiae fundantur. m)

§. CLVI.
Praeiud. et Stylus Curiae.

Consvetudo legitima hactenus exposita, ceu lex, habet locum extra iudicia, et in actibus iudiciorum; in qvibus dum casus iidem, ratione prorsus eadem diiudicati sunt, tot repetitis vicibus, qvot sufficere possunt probandae consvetudini legitimae, nascitur *praeiudicium*, qvod vim obtinet legis, atqve iudicibus exemplum praebet iisdem in casibus per-

h) Cap. 5. et 7. de consvet. Cap. unico eod. tit. extrav. comm. i) Cap. 5. de censuris. k) Cap. 1. de consvet. Cap. 14. de elect. Cap. 10. de maiorit., et obed. Cap. 49. de sent. excomm. l) Cap. 30. de praeb., et dign. m) Can. 1. 4. 5. dist. XI. Cap. 5. de iuramento calumn. Speciales casus enumerat Conc. Trid. sess. V. de reform. cap. 2. sess. XXIII. de reform. cap. 1. sub finem sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 1. Ead. sess. decr. de reform. cap. 12.

perinde iudicandi, qvando lex vel deficit, vel sic est ambigua, ut perpensis causae meritis, nihil prorsus inveniatur, qvod movere iudicem in partem alterutram possit. Consvetudo autem illa, qvae in ipsis iudicialibus scriptis, certarum vocum, formularumqve usum introduxit, *Stylus Curiae* vocatur, ab iis utiqve servandus, qvi sunt eiusmodi Curiae adscripti. Recte vero monuit qvidam: Superioris, praecipue Ecclesiastici, est dare operam, ut ne introducatur Stylus Curiae, qvo longiores morae iniiciantur causis in iudicio terminandis, partesqve molestis ambagibus praegraventur. n)

§. CLVII.

Legis subiect. Legislator ipse.

Expositas legum Ecclesiasticarum species, pro ratione adiunctorum, observare tenentur omnes illi, qvi ad Ecclesiam Christi spectant. (§. XIII.) A legibus igitur universalibus, Antistites singuli minime sunt exemti; nam utrobiqve sunt inferiores illo, qvi

n) Ios. Riegger Institut. Iurisprud. Eccl. parte II. §. CXIX.

legem tulit. Utrum tamen Pontifex Romanus non eximatur a lege Concilii, si qvaeras: pendebit responsum a solutione qvaestionis illius: num Papa sit inferior Concilio generali. (§. LXXXVI.) Sua ille profecto, vel decessoris lege stringi neutiqvam potest; sibimet enim subiectus nemo est; successor vero eadem cum decessore gaudet potestate. o) Nihilominus tam universales, qvam et antecessorum, propriasqve leges, dum Ei perinde, ac ceteris Christifidelibus congruunt, aliis de causis ut observet; aeqvitas deposcere videtur. Etenim commune bonum postulat, ut cuncta societatis eiusdem membra vivant uniformiter, qvando materia legis aeqve omnibus congruit; et turpis est pars, qvae a suo universo ablusisse notatur. p) Postulat etiam utilis gubernatio, ut per legis observantiam, legislator subditis, huius sanctimoniam ostendat, neqve doceat, primus hanc non observando, leges impune violari posse. q) Qvod ipsum, ob eamdem rationem de

o) Cap. 2. de elect., et electi pot. p) S. August. confess. lib. 3. cap. 8. q) Can. 4. 7. 19. caus. 25. qv. 2. et cap. 6. de constitut.

de ceteris qvoqve legislatoribus Ecclesiasticis intelligendum erit.

§. CLVIII.
Legis part. subiectum.

Leges particulares, intra sui duntaxat territorii fines obstringunt. Qveis omnes ibi Christifideles obseqvi tenentur. Peregrini autem, et vagi, ne scandalum pariant, legem eius Ecclesiae, in qva versantur, ut observent, est necesse. r) Contractus autem, vel delicti ratione, legem loci, in qvo ille celebratus, et istud commissum fuit, observandam qvisqve habet. s) At vero non obstringit peregrinos lex domestica; t) nisi praeceptio fuerit personam afficiens; cui etiam extra territorium adhaeret; vel actio peregrini, resve, circa qvam operatur, sit intra limites patriae suae, ex qva discessit. u) Non tenentur etiam lege, qvicunqve sunt privilegiati, (§. CXXIII.) aut legitime dispensati. (§. CXXVIII.)

r) Can. 11. dist. XII. s) Cap. ult. de foro compet. t) Cap. 2. de constitut. in 6. u) Cap. 11. de Cler. non residentib.

§. CLIX.

Interpres legis.

Cum leges Ecclesiasticas qvandoqve contingat esse dubias, vel obscuras: ut latens ibi mens legislatoris, qvae est legis anima, cognosci possit, et legem ferentis adimpleri voluntas, expendenda sunt verba legis, et ratio, propter qvam illa condita fuit. Iuxta haec qvi sensum legis exponit, eam dicitur interpretari. Est autem interpretatio, *determinatio sensus genuini legis*, vel *explicatio sensus in lege contenti.* Haec alias *authentica* est, qvae fit ab ipso legislatore per rescriptum instar iuris publicatum, v) habetqve virtutem legis, cum proficiscatur ab eo, cui est potestas ferendae legis, et explicandae in sensu, in qvo vult illam per alios observari. Alia est *usualis*, qvae sensum dubiae legis e consvetudine sumit, velut optimo interprete legum, w) obseqvendi necessitatem imponente. (§. CL.)

§. CLX.

v) Cap. 31. de sent. excomm. *w)* Cap. 8. de consvetud.

§. CLX.

Etiam doctor. sent.

Legitur etiam doctrinalis interpretatio, qvae fit a peritis legum. Alia scilicet declarativa est, qvae verba dubia, et obscura explanat. Alia extensiva, qvae legem a casu expresso, ad non expressum, et a persona extendit ad personam; qvod tunc fit, qvando ratio legis dubiae, latius patet, qvam verba. Deniqve restrictiva, qvae casum particularem eximit a lege universali; qvod fit, cum verba legis patent latius, qvam pateat ratio, propter qvam lex condita fuit. Haec sane interpretatio doctrinalis, vi legis caret, cum non procedat a legislativa potestate. Nec tamen vetatur, modo suos intra terminos fiat; nisi legislator expresse vetuerit cuiusdam legis interpretationem; id qvod fecit Pius IV. Pontifex decernendo, ne qvis sine Pontificis autoritate ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super Tridentini Concilii decretis qvocumqve modo edere, aut qvidqvam qvocumqve nomine, etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis, aut execu-

tio-

tionis, aliove qvaesito colore statuere praesumat. x) Temerarius esse putabitur nihilominus, qvicumqve depromtam a doctis unanimiter, cuiusdam legis explanationem, contemnet.

§. CLXI.
Observando qvaedam.

Doctrinalis istius interpretationis qvaedam regulae proferuntur, in lege scripta maximam partem fundatae. I. Posita eadem ratione legis, eadem huius dispositio supponenda. y) II. Cessante finali, et adaeqvata ratione legis, haec qvoqve cessat. z) III. Generalis, ac indefinita lex, generaliter est intelligenda. Nam ubi lex non distingvit, nec nos distingvere debemus. a) IV. Qvae lex limitat legem universalem, confirmat eamdem respectu casuum, et hominum non exceptorum, ne secus nihil operetur. V. Lex fa-

x) In Bulla, qvae incipit: *Benedictus Deus.* data sept. Kal. Febr. 1563. legiturqve in fine Conc. Trid. y) Cap. 2. de translat. cap. 6. de verb. signif. z) Cap. 6. de appellat. a) Cap. 2. de privil.

favorabilis cum extensione, sed odiosa cum restrictione debet explanari. b) Censetur autem lex favorabilis esse, cum utriusqve partis aeqvalem facit conditionem, vel communem spectat utilitatem; odiosa, qvae partem unam duntaxat, vel magis unam, qvam vero alteram gravat; aut qvae poenam comminatur, vel actum irritum declarat. c)

§. CLXII.

Lex desinit per se, vel autor.

Qvaecunqve legis mere Ecclesiasticae species, desinere potest. omnimode, vel per seipsam, desinente videlicet fine, aut materia, et est cessatio legis; vel per autoritatem, alias derogando, qvum illa diminuitur: alias abrogando, cum penitus aboletur. Qvam potestatem legislatori, vel eiusdem successori, nemo negaverit, modo succedat cum pari potestate; qvoniam omnis res, per qvascunqve causas nascitur, per easdem dissolvitur. d) Est

b) Cap. 15., et 49. de reg. iuris in 6. c) Plures interpretandi regulas legito ap. Remig. Maschat in institut. Can. Lib. I. tit. 2. §. 6. d) Cap. 1. de reg. iuris.

Est autem perinde, seu legislator per seipsum, sive per alium qvempiam ab se destinatum, hac usus fuerit potestate. Nam potest qvis per alium, qvod potest facere per seipsum. e) Desinit qvoqve lex per consvetudinem contrariam, si haec vim legis consequuta fuit. (§. CL. seqq.) In casu vero singulari, per concessionem privilegii, (§. CXXIII.) vel dispensationem. (§. CXXVIII.)

§. CLXIII.

Universalis qvomodo?

Ut lex universalis universim, aut in casu particulari desinat, ille solus efficiet, qvi universalem habet potestatem. Haec vero competit Concilio generali, (§. LXXXIII.) atqve Pontifici Romano. (§. CX.) Consvetudo praeterea generalis opposita legi, dum ipsa legis induit naturam, sibi oppositam penitus irritam facit. (§. CLIII.)

§. CLXIV.

(e Cap. 68. de reg. iuris in 6.

§. CLXIV.

Utrumne Epp. autoritate?

Ceteros Ecclesiarum Antistites, extra propriae Ecclesiae terminos, hac potestate neutiqvam gaudere, clarum est. Qvaeritur vero, utrum necessitatis, vel magnae utilitatis causa, proprios fideles, in generali lege Ecclesiastica dispensare possint? Negatur id a multis, qvoniam superioris lex tolli per inferiorem haud potest. f) Ut proinde vel delegatione superioris indigeant, (§. CLXII.) vel eius tacita consensione: qvae discenda ex consvetudine erit. Nisi difficilis foret ad Papam recursus; nam tunc urgente gravi necessitate, dispensationem ab Episcopo concedi posse, docent unanimiter Canonum Doctores. Volunt alii contra, habere istud agendi potestatem Episcopos in propriis Ecclesiis, ceu fluentem e potestate regendi: ne secus iugum Christi nimis durum evadat, hominesqve nonnumqvam laqveis conscientiae involvantur. Id, qvod ex usu qvoqve veteri ni-

f) Cap. 15. de temp. ordinat. Cap. 2. de elect. in Clem. Cap. un. de relig. domib. extrav. Io, XXII.

nituntur confirmare, dispensationes enumerando factas a Praesulibus, nullo ad Pontificem facto recursu. g) Addunt confirmationis amplioris causa, huiusmodi rationem: etiamsi Pontifex inferior supponatur esse Concilio generali, (§. LXXXVI.) ille tamen in lege huius dispensare potest, ubiqve gentium, propter datam sibi a Christo in Ecclesia universali potestatem; igitur etiam Episcopi, qvamqvam inferiores Pontifice, possunt dispensare intra Dioecesim propriam, cum iis intra hanc data sit perinde a Domino gubernandi potestas. Nihilominus etiam isti tam amplae potestatis defensores, excipiunt leges, qvae ipsas adtinent Episcoporum personas; nam in huiusmodi legibus facere gratiam, esset idem, ac sibimet veniam indulgere, atqve legitimi Superioris mandata, pro arbitratu suo declinare. h) Ceterum ista qvalitercumqve se habeant in theoria: magno tamen verborum adparatu hortari Praesules, ut semet in pristinum hoc ius repo-

nant,

g) Petr. de Marca Lib. V. cap. 3. 4. 8. 9. Eybel introduct. in ius Eccl. T. IV. §. 179. seqq. h) Cap. 2. 15. de temp. ordinat.

nant, i) non satis videtur hodie consultum. Nam, si necessitas, magnave utilitas Ecclesiae deposcat legis dispensationem, satis est huic provisum. Velle autem iura turbare dudum inolita, qvae pacem Ecclesiae neutiqvam perturbant, est forsitan verbis propugnatam caritatis unitatem, convellere facto.

---

i) Eybel cit. op. et T. §. 197.

CAPUT III.

De fontibus remotioribus Eccles. Iuris.

§. CLXV.

Eccl. pot. n. pendet a Civ.

Enarrata hactenus, propugnataqve potestas Ecclesiastica, nullatenus a Civili dependet. Nam altera ab altera, obiectis, fine, mediisqve differt. Illius obiecta mere sunt spiritualia; (§. VII.) talis est pariter eiusdem exercendae finis; (§. VIII.) medium aeqve haec adurgendi, lene, ac spirituale. (§. XII.) Potestatis vero civilis obiecta, sunt res, et actiones hominum, qvatenus diriguntur ad felicitatem in praesente vita habendam. Iam itaqve finis etiam notus est; media vero corporalia, dumqve res deposcit, etiam violenta. Qvod, si hoc argumentum tibi minime sufficit, habeto alterum: Ecclesiastica potestas, neqvaqvam aliis, verum Episcopis a

Do-

Domino collata fuit; (§. VI. XX. XXVI. XXVIII.) et his ceteri qviqve in rebus spiritualibus, habent obseqvendi necessitatem. (§. XIII.) Contestata fuit istud antiqvitas veneranda; cuius autoritate tanto fidentius meam rem tueri ausim, qvod nostra hac aetate permulti, unam, ac solam vetustatem ingeminaverint, et, si non serio, certe verbis, sacra omnia, huic uni conformanda esse, clamitarint. En igitur vetustatem! Osius Cordubensis Episcopus, Imperatori Constantio, perseqvutori Catholicorum scribebat: *Tibi Deus imperium commisit, nobis, qvae sunt Ecclesiae; concredidit. Et qvemadmodum, qvi tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinae, et tu cave, ne, qvae sunt Ecclesiae, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, qvae sunt Caesaris, Caesari, et qvae sunt Dei, Deo. Neqve igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neqve tu thymiamatum, et sacrorum potestatem habes Imperator.* k) Gelasius I. anno Christi 492. ele-

k) Ap. S. Athanas. in ep. ad solitariam vitam agentes.

electus Pontifex, Anastasio Imperatori Graeco, faventi Eutychianis ista scripsit: *Duo sunt, Imperator Auguste! qvibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas. - - - Si enim, qvantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi qvoqve parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis, exclusae videantur obviare sententiae: qvo, rogo, te decet affectu eis obedire, qvi pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?* 1) Symmachus vero Pontifex, in apologia, contra eiusdem Anastasii calumnias, post annum Christi 503. scripta, dicebat: *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis; inter qvos tantum distat, qvantum ille rerum humanarum curam gerit, hic Divinarum. Tu Imperator a Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas. Postremo, tu humana administras, ille Divina dispensat. Itaqve, ut non dicam superior, aeqvalis*

1) Ap. Grat. can. 10. dist. XCVI.

lis honor est. Gregorius II. ad Leonem Isauricum, anno Christi 717. electum Imperatorem orientis, sacrarumqve imaginum perseqvutorem, haec scripsit: *Scis Imperator! sanctae Ecclesiae dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, qvae tuto debent praedicari. Idcirco Ecclesiis praefecti sunt Pontifices, a Reipublicae negotiis abstinentes, ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant, et qvae sibi commissa sunt, capessant.* m) Idem confessi erant Imperatores, qvi per se, vel per legatos, Conciliis universalibus interfuerunt. (§. LXXIX.)

§. CLXVI.
Nec civilis ab illa.

Cuncta, qvae nunc, et iam alias (§. IX) adducta fuere, demonstrant: nec civilem potestatem ab Ecclesiastica dependere. Illa vero, qvae olim de indirecta potestate Romani Pontificis in temporalia, disputabantur, n) ceu

m) Ap. Petr. de Marca Lib. II. cap. 1 §. 6. n) Lege, nisi taedeat, Dupin de antiq. Eccl. disciplina diss. VII. Ioann. Obstraet de loc. Theol. dissert. V. qv. 3. Valentini Eybel Introduct. in Ius Eccles. T. II. lib. 1. cap. 2. seqq.

ceu nulli iam usui futura, atqve etiam aeternae tradenda oblivioni, sponte hic tacitus praetermitto.

§. CLXVII.
In profanis huic paret illa.

At silentio praeteriri neqvit assertio, nec integritati fidei, nec autoritati Ecclesiae noxia: dum Hanc qvoad membra, qvae sinu suo complectitur, subiectam dicimus profanae civitati. Nam omnes Christiani, qvicumqve sunt in Republica, et communibus eiusdem iuribus fruuntur, non possunt non haberi cives, cum iuxta vetus Optati Milevitani, sub annum Christi 350. mortui dictum, non Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia sit in Republica; o) qvatenus in Rempublicam antea iam existentem, recepta fuit Religio Christiana; neqve legatur Servator Dominus voluisse, ut illi, qvos adlegit in suam societatem, non sint membra societatis profanae. Ex origine proin, atqve natura societatis Christianae, minime seqvitur, ut vel omnes, vel qvidam in hac societate existentes,

o) Contra Parmenianum Donatist. Lib. III. cap. 3.

tes, qvoad negotia profana, civili potestati ne subiiciantur. Imo vero, subiectos esse, docuit B. Petrus Apostolus, monendo fideles: *subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive Regi, qvasi praecellenti, sive Ducibus, tamqvam ab eo missis in vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Qvia sic est voluntas Dei, ut bene facientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* p) Paulus vero Apostolus, qvi ipse ab iniqva sententia iudicis adpellaverat ad Caesarem: q) Romae degentibus Christianis, absqve discrimine personarum inculcabat: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: qvae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaqve qvi resistit potestati, Divinae ordinationi resistit. Qvi autem resistunt, ipsi sibi damnationem acqvirunt.* Ut autem videas, de civili hic potestate sermonem esse, audi proseqventem: *nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali.* r) Perinde sensit antiqvitas vene-

R ran-

p) Ep. 1. cap. 2. v. 13. 14. q) Actor. XXV. 11.
r) Cap. XIII.

randa, post aetatem Apostolorum. Aiebat enim Tertullianus ad Scapulam Christianos in Africa perseqventem: *colimus Imperatorem sic, qvomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et solo Deo minorem. Hoc et ipse volet: sic enim omnibus maior est, qvum solo Deo minor est.* s) S. Athanasius fraude Arianorum pulsus in exilium a Constantino Imp. scribebat eidem: *neqvaqvam obstiti pietatis tuae mandato, absit: non tanti qvippe sum, ut obsistam vel Qvaestori Urbis: nedum tanto Imperatori.* t) Lucifer Antistes Calaritanus, hoc modo alloqvebatur Constantium Imperatorem: *qvia dicis, nos debere tibi obseqvi; scito, qvia non tibi soli, sed et omnibus nos in sublimitate degentibus, novimus esse debitores. Dicit enim Apostolus: admone illos, Principibus, et Magistratibus subditos esse, obedientes, ad omne opus paratos. Admonet ergo nos esse debere subditos in bonis operibus, non in malis.* u) S. Ioannes Chrysostomus Praesul Constantinopolitanus, in verba

S.

s) Ad Scap. cap. 2. t) Apolog. ad Constant. num. 19. u) Marca de concord. Lib. II. cap. 7.

S. Pauli mox allata, hoc modo fuit commentatus: *ostendit, qvod ista imperentur omnibus, et Sacerdotibus, et Monachis, non solum saecularibus: id qvod statim in ipso initio declarat, cum dicit: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Propheta, sive qvisqvis tandem fuerit: neqve enim pietatem subvertit ista subiectio.* v) Sed qvid est, cur ego haec, propter scholastica nonnullorum praeiudicia, subtimide proferam? qvando assertum Hungaricae leges allatae nuper, (§. CI.) atqve deinceps loco suo memorandae, confirmant.

§. CLXVIII.

Etiam qvoad Bona temp.

Porro, sicut personarum Ecclesiasticarum subiectio, intelligenda est salvis libertatibus, qvae per Christianos Principes, intuitu Religionis datae sunt Eius ministris, ita et subiectio bonorum temporalium, qvaecunqve Ecclesia tenet. Verum seclusa huiusmodi libertate, communibus illa Reipublicae oneribus,

v) Hom. XXIII. super ep. ad Rom.

bus, pro more cuiusqve regionis, obnoxia esse, probant non pauca. Nullibi Christus exemit Ecclesiam ab isto subiectionis onere, qvi pro se, ac Petro Caesari tributum persolvit. w) Non exemptam ab hoc onere Ecclesiam ulla Divina lege, confitentur Sancti Ecclesiae Patres, et Ecclesiae magistri. Nam Iustinus ad Impp. sic aiebat: *illud etiam studio nobis est, ut vectigalia, et census iis, qvibus hoc munus commisistis, primi omnino pendamus, qvemadmodum a Christo instituti sumus.* x) Sanctus Ambrosius, ad illud Christi factum respiciens, qvod antea commemoravi, sic aiebat: *si Christus non habuit imaginem Caesaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit de mundo, qvod erat mundi: et tu, si vis non esse obnoxius Caesari, noli habere, qvae mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Caesari. Si vis nihil debere Regi terreno, relinqve omnia tua, et seqvere Christum.* y) Idem alibi: *si tributum Imperator petit, non negamus: agri*

Ec-

w) Matth. XVII. 26. x) Apol. I. num. 7. y) Commentar. in Lucam lib. X. cap. 20.

Ecclesiae solvunt tributum. z) S. Avitus Episcopus Viennensis, vita functus anno Christi 525. sic erat ingenue confessus Regi Childeberto: *qvidqvid habet Ecclesia mea, imo omnes Ecclesiae, vestrum est, de substantia, qvam vel servastis hactenus, vel donastis.* a) Qvi vero ante hunc ad Superos evolavit, S. Augustinus Hipponensium Praesul, omnem possessionem ad Principis favorem retulit, talibus sententiis: *qvo iure defendis villas Ecclesiae? Divino, an humano? Divinum ius in Scripturis habemus, humanum ius in legibus Regum. Unde qvisqve possidet, qvod possidet? Nonne iure humano: nam iure Divino, Domini est terra, et plenitudo eius. Pauperes, et divites Deus, de uno limo fecit, et pauperes, et divites una terra supportat. Iure tamen humano dicitur, haec villa mea est, haec domus mea, hic servus meus est. Iura autem humana, iura Imperatorum sunt: qvare? qvia ipsa iura humana per Imperatores, et Reges saeculi, Deus distribuit generi humano. - - - Nolite dicere: qvid mihi,* et

z) Orat. contra Auxentium Arianum num. 33. a) Epist. 39.

et Regi? Qvid tibi ergo, et possessioni? Per iura Regum possidentur possessiones. Dixisti, qvid mihi, et Regi? Noli dicere possessiones tuas, qvia ipsa iura humana renunciasti, qvibus possidentur possessiones. b) Pluribus isthic praetermissis, c) unum hoc ne dissimuletur: Bona, qvae nunc Ecclesia tenet, favori vel Principum, vel privatorum deberi; qvorum dominio utili qvamqvam se tunc exuerint; qvia tamen illa e gremio Reipublicae profanae haud subtraxerunt; qvemadmodum illa Huius indigent protectione, ita necessitatibus qvoqve eiusdem subservire debent. Qvodsi leges praeterea Hungaricas ad firmandum isthoc assertum poscas: iam illae partim allatae sunt, (§. CI.) partim alibi proferentur.

§. CLXIX.
Hinc nexus Reip. utriusq.

Qvamvis Ecclesia Christiana spectato fine, cuius gratia condita est, (§. II.) ab aliis hominum societatibus differat, et neutra Res-

b) Tract. VI. ad cap. 1. Ioann. vide integrum eius textum ap. Grat. Can. 1. dist. VIII. c) Vide

Respublica pendeat ab altera: (§. CLXV. et seq.) ex eo tamen, qvod Christiani, simul membra sint civilis Reipublicae, cui tenentur obedire; (§. CLXVII.) et qvaecumqve temporalia possidet Ecclesia, in medio Reipublicae sint, ac sub huius protectione: (§. praec.) nascitur intimus inter sacram, atqve profanam Rempublicam nexus. Qvem reddit arctiorem eius Religionis in societate civili necessitas, qvae Deum proponit gubernatorem huius universi, remuneratorem virtutis, vindicemqve peccati; ut ita cives habeant constanter stimulos agendi, qvae promoveant publicam felicitatem, et qvaecumqve huic obstant, etiam tunc vitandi, cum nullus adest actionum testis, nec ulla timetur externa, propter legis transgressionem poena. Qvae item Religio docet vitare libidinem, fugere odium, invidiam, ceteraqve corruptionis humanae monstra: ut ita, qvicunqve huius fuerint legibus obseqvuti, sint placidi in profana Republica cives; legitimae potestati obseqventes, suum reddentes cuilibet; conci-

Can. 28. caus. 11. qv. 1. Item can. 22. caus. 23. qv. 8. Petri de Marca Lib. II. cap. 7.

civium, et patriae studiosi; felicemqve, imo beatam hoc pacto Rempublicam reddant. Qvae omnia in societate Christiana, magnopere inculcari, usqve adeo perspectum est, ut non indigeat probatione.

§. CLXX.
Et Civit. in Eccl. influxus.

Cum Ecclesia Christiana, sit hominum societas, in Civitatem recepta, qvae in re civili non praecipit, verum obseqvitur; (§. CLXVIII.) eius, qvi alteri huic summa cum potestate praeest, intererit prospicere diligenter, ne fors ex accidente causa; id, qvod per potestatem Ecclesiasticam in re, substantiam Religionis haud adtingente, constitutum est, debetqve semper innatam habere conditionem hanc: *si ita salus Civitatis*, (§. praec.) *iusqve alienum patitur*; (§. XV.) cum bono civilis Reipublicae, qvoqvo modo collidat. Sunt praeterea, qvae numqvam probata, per hominum ignorantiam, sub Religionis pallio non infreqventer subrepunt. Haec, si noceant societati civili, ab huius potestate suprema, cui salus populi, lex esse praecipua

de-

debet, optimo iure vetabuntur. Atqve istud adpellant hodie, *ius supremae inspectionis*, qvod situm est in potestate cognoscendi omnia, qvae in regno, vel provincia, per qvemcunqve geruntur, dandiqve simul operam; ne qvid per haec detrimenti Respublica patiatur. Sane caecutit in rebus Hungaricis, qvicumqve maiores nostros, hoc iure diligenter usos fuisse, penitus ignorat. Nam illa, qvae iam insinuata sunt, (§. CI.) et qvae deinceps narrabuntur, cum de iuribus, et obligationibus supremae potestatis civilis loqvar, adsertum confirmant.

§. CLXXI.
Protegendiqve obligatio.

Nec vero minus eidem supremae potestati civili ius est, aut obligatio minor, Religionis, et Ecclesiae ipsius Christianae, ceu felicitatem externam promoventis (§. CLXIX.) beatitatem, in fidei, et caritatis unitate locatam, (§. VIII.) solerter promovendi, tuendiqve: nihilominus adminiculo temporali, non autem spirituali, cum potestate, qvam Ecclesia sola duntaxat a Christo conseqvuta

fuit.

fuit. (§. XX.) Profecto, qvisqvis finem rei muneri suo creditae asseqvendi ius habet, et simul obligationem, finem hunc proseqvendi: is media qvoqve ad consequvtionem huius sui finis necessaria proseqvi, et potest, et debet. Cum igitur supremae potestatis in Republica civili, proprium sit munus, felicitatem huius suae Reipublicae tuendi, promovendiqve: Religionem qvoqve, ceu adminiculum huius felicitatis tam obtinendae, qvam conservandae, protegendam habebit. Qvamobrem, sine periculo transgrediendi proprios limites, utraqve potestas, spectata finium diversitate (§. CLXV.) ad easdem actiones dirigendas, vetandas, puniendasve concurrere potest. Spiritualis, qvatênus actiones felicitatem spiritualem concernunt: temporalis vero, qvatenus eaedem actiones, ad civilem populi salutem spectant. Leges S. Stephani, Ladislai, et Colomani; tum praeter alios, qvos hic adducere possem, art. 5. et 6. 1548. art. 12. et 13. 1550. nec non art. 31. 1563. probant abunde, exercitum fuisse in patria nostra perpetuis temporibus, a potestate suprema ius istud; qvod more hodierno,

no, *Ius advocatiae Ecclesiasticae*, seu tutelae, ac publicae defensionis, compellatur.

§. CLXXII.

Probante sacra antiqvit.

Nec vero ex hoc uno capite fluit, tam ius, qvam obligatio protegendi Religionem; sed qvod praeterea supremae potestates Christo nomen dederint, atqve hoc pacto Religionis Christianae susceperint protectionem singularem; id, qvod antiqvitas nimis qvam aperte docet. Nam S. Leo M. Pulcheriae Marciani Imperatoris coniugi anno 450 scribebat: *res humanas aliter tutas esse non posse, nisi qvae ad Divinam confessionem pertinent, et Regia, et Sacerdotalis defendat auctoritas.* d) Idemqve ad Leonem Imp. successorem Marciani: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi, non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad praesidium Ecclesiae esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et qvae bene sunt*

d) Ap. Grat. can. 21. caus. 23. qv. 5. Consule Petri de Marca Lib. II. cap. 12. §. 1. Lib. IV. cap. 1. §. 3.

sunt statuta, defendas, et veram pacem iis, qvae sunt turbata, restituas. e) Aiebat etiam Augustinus: *in hoc Reges, sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, in qvantum Reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala vero prohibeant, non solum qvae pertinent ad humanam societatem, verum etiam, qvae pertinent ad Divinam Religionem.* f) Hoc sibi muneris incumbere contestati sunt Principes orthodoxi. Nam Constantinus publica reddens acta Concilii Nicaeni I. inter alia scribebat: *in hoc praecipue mihi elaborandum esse existimavi, ut sanctissimis Ecclesiae Catholicae populis, una fides, sincera caritas, et consona erga omnipotentem Deum Religio servetur.* g) Non est autem ovum similius ovo, qvam sint effata legislatorum nostrorum eleganti huic magni Caesaris dicto. Nam primus Rex Stephanus, haec palam inculcabat filio Emerico: *qvoniam ad regalis dignitatis ordinem, non oportet nisi fideles, et Catholica fide imbutos accedere; idcirco sanctae fidei in nostris mandatis pri-*

mum

e) Epist. 75. f) Lib. III. contra Crescon. cap. 51.
g) Euseb. de vita Const. M. Lib. III. cap. 17.

mum damus locum. Inprimis praecipio, consulo, svadeo, fili carissime, si regalem cupis honestare coronam, ut fidem Catholicam, et Apostolicam, tali diligentia, et custodia conserves, ut omnibus tibi a Deo subiectis, exemplum praebeas, cunctiqve Ecclesiastici viri, merito te verum Christianae professionis nominent virum, sine qva pro certo scias, Christianus non diceris, vel Ecclesiae filius. h) *In Regali qvidem palatio, post fidem, Ecclesia secundum tenet locum. - - Haec autem fili carissime in nostra Monarchia adhuc qvasi iuvenis, et novella praedicatur; atqve idcirco cautioribus, evidentioribusqve eget custodibus, ne bonum, qvod Divina clementia per suam immensam clementiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam, et pigritiam, atqve negligentiam destruatur, et annihiletur.* i) *Regium solium ornat ordo Pontificum; ac per hoc in Regali dignitate tertium possident locum Pontifices. Charissime fili, seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas.* k) Par fuit Ordinum Regni, unaqve primi ex Augusta Domo Austriaca Re-

h) Decr. L. I. c. 1. i) Ibid. cap. 2. k) Ib. cap. 3.

Regis Apostolici Ferdinandi I. anno 1548. art. 5. facta contestatio: *omnes Ordines et status Regni, una voce sentiunt, cultum Divinum, et religionem, ad pristinam normam esse redigendam, et haereses undiqve tollendas, iuxta admonitionem suae Regiae Maiestatis.* Moxqve articulo seqvente, Religionis magistros constitui praeceptum, *ut ubiqve vetus Religio, pristinusqve Dei cultus restituatur.* Parem leges contestationem in Comitiis Regni Hungariae, anno 1741. articulo 46. expressam. Qvodsi non iam politicam, (§. praec.) sed Religionariam postules causam obligationis memoratae, adest haec sine mora. Nimirum suprema in Republica civili potestas, supremus est Paterfamilias, cui per legem Divinam praecipitur, ut procuret suorum, non modo temporalem, sed spiritualem qvoqve felicitatem. Paulus enim Apostolus dixit: *si qvis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* l) Qvae non de temporali tantummodo, sed multo etiam magis, de cura spirituali est intelligendum, si,

l) 1. Tim. V. 8.

si, iuxta dictum Servatoris, anima plus est, qvam esca. m) Qvare Concilium Tridentinum, Ecclesiasticam disciplinam, in populo Christiano restitui, et restitutam conservari peroptans, saeculares qvoqve Principes officii sui admonendos esse censuit, *confidens, eos, ut Catholicos, qvos Deus sanctae fidei, Ecclesiaeqve protectores esse voluit, ius suum Ecclesiae restitui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, et superiores Ordines reverentiam revocaturos.* n)

§. CLXXIII.

Hinc Constit. Impp. circa Sacra.

Ex illa sollicitudine, procurandi bonum Religionis, et Ecclesiae, qvam sibi Christiani Principes incumbere noverant, seqvebatur cura edendarum constitutionum, qvae negotia utriusqve concernunt; magnam partem illatae codici, qvi *Theodosianus* adpellatur, qvoniam Theodosii II. Imperatoris iussu, anno Christi 438. e Constantini M. succedentiumqve Imperatorum constitutionibus, dili-

gen-

m) Matth. VI. 25. n) Sess. XXV. de ref. cap. 20.

genter collectus fuit. Integer liber sextus decimus, de religione, obiectisqve religiosis tractat. o) Seqvutum est volumen, qvod hodie *Corpus Iuris Civilis* adpellamus, Iustiniani Imp. voluntate compilatum, e legibus Caesarum, qvi Theodosium seqvuti erant, et anno Christi 529. iuris publici factum. p) Cuius ceterae partes negotia mere civilia tractant; dictus vero speciatim *Iustiniani Codex*, libro primo per integros tredecim titulos, de rebus ad Religionem pertinentibus agit. In *novellis* qvoqve, sic dictis eiusdem Imperatoris constitutionibus, qvae in eodem volumine qvartum tenent locum, reperias in collatione prima, pluribusqve deinceps, Ecclesiastica negotia tractari. q) Vagantes extra haec volumina constitutiones, qvae Religionem, et Ecclesiam Christianam adtinent,

qvam

o) Sex tomis comprehensus, cum commentar. Dionys. Gothofredi, et observat. Io. Dan. Ritteri, editus ert Lipsiae 1736 - 45. p) E literis Iustin. Imp. insertis historiae volumini praefixae. q) Editum est Corpus Iuris Civilis a Gothofredo iam nominato an. 1583. Post plures editiones, exstat Francof. ad Moenum anni 1663.

qvam Germanicorum praesertim Imperatorum, usqve ad Mathiam, annumqve 1612. privata solum autoritate, nec debito semper cum examine collectas, qvatuor voluminibus complexus est Melchior Goldastus, ac typis vulgavit. r) Deinde, hos ante qvadraginta ferme annos, vir celeberr. Paulus Ios. a Riegger, edidit *Corpus Iuris publici, et Ecclesiastici Germaniae Academicum*; qvo complexus est Imperatorum constitutiones Ecclesiam adtinentes, inde ab Henrico V. et anno 1122. usqve ad Iosephum II. annumqve Christi 1764. s) Vulgavit idem Corpus Iuris Ecclesiastici Bohemici, et Austriaci Academicum, cui sunt insertae Ferdinandi I. II. et III. Leopoldi I. Iosephi I. Caroli VI. et Mariae Theresiae constitutiones, qvae Religionem, eiusqve Ministros concernunt. t) Omnes istae collectiones ideo memoratae sunt, qvod usus earum sit non rarus in Iure Ecclesiastico; qvodqve Gratianus multa habeat inserta volumini suo, e civili Iure; ipsiqve Romani

S Pon-

r) Francof. 1615. s) Prodiit Viennae typis Trattnerianis anno 1764. t) Prodiit Viennae typis Kurzböckianis anno 1770.

Pontifices in rescriptis, non pauca exinde fuerint mutuati.

§. CLXXIV.
Capitul. Reg. Franc.

In edendis huiusmodi constitutionibus, memorandi sunt imprimis Francorum Reges, qvi has sub nomine *Capitularium*, in Comitiis edebant, consentientibus ibi Praesulibus, et Ordinibus Regni. Prima horum, sub Carolo M. et Ludovico Pio conditorum, facta est collectio ab Ansegiso ad annum Christi 827. tum nova, auctaqve ad annum 845. a Benedicto Levita Moguntino. Usus est Capitularibus non semel Gratianus. Qvorum collectionem perfectissimam adornavit, ediditqve typis Parisiensibus anno 1677. Stephanus Baluzius, praemissa dissertatione perqvam erudita, qvam antea memoratus Iosephus Paulus a Riegger anno 1771. Vindobonae separatam, recudi iussit. u)

§. CLXXV.

u) Plura de Capitul. R. Franc. cit. Baluzii diss. Item Petri de Marca Lib. VI. cap. 25. Espen diss. speciali, inserta opp. T. VII. edit. qva utor. Bened. XIV. de Syn. D. Lib. I. cap. 2. num. 2.

§. CLXXV.

Multae leges Hung.

Eamdem normam tractandi negotia reipublicae sacrae, tenuerunt Apostolici Hungariae Reges; v) qvi iam inde a S. Stephano, usqve ad hunc diem, in publicis Regni Comitiis, cum consensu Praelatorum, ac Ordinum, de utriusqve reipublicae negotiis decernere consveverunt. Doctissimus enim Péterffius noster, nimium fuit religiosus, cum pronunciare ausus non est, utrumne primae Regum nostrorum, Stephani, Ladislai, et Colomani leges, qvae de rebus Ecclesiasticis decernunt, communi omnium Ordinum suffragio, seu publico Regni Comitio, an Episcoporum duntaxat consiliis, sacra in Synodo digestae sint? maluitqve opinari, capita qvaedam, pro Ecclesiae Hungaricae incremento, pientissimos Antistites, more in Synodis familiari, clam ceteris discussisse, sanctiones tamen omnes, unum in fascem collectas, *Re-*

 gii

Ignat. C. de Batthyán in dissert. praemissa legib. Eccl. R. H. cap. XIV. v) Pulcre id demonstratum reperies ap. C. Ign. de Batthyán in operis citati dissertatione praevia, cap. XV. seqq.

gii *Decreti* nomen accepisse. w) Nam constanter eadem apud nos fuit, estqve summa legem ferendi potestas; qvam esse communem Regi legitime coronato, una cum Statibus, et Ordinibus Regni, ad Comitia legitime confluentibus, et antiqvae leges confitentur, x) et speciatim expressit articulus 12. anno 1791. conditus, tali modo: *leges ferendi, abrogandi, interpretandi potestatem in Regno hoc Hungariae, partibusqve adnexis (salva art. 8. 1741. dispositione) legitime coronato Principi, et Statibus, ac Ordinibus Regni ad Comitia legitime confluentibus, communem esse, nec extra illa exerceri posse, sua Maiestas Sacratissima ultro, ac sponte agnoscit.* Et verò, post tempora S. Stephani, Ladislai, et Colomani, Regis una, et Ordinum autoritate, leges qvam plurimas, non ignoramus fuisse conditas, qvae negotia, Religionem, et Ecclesiam adtinentia, disponunt. Has cum ceteris regni legibus, qvae tunc manibus terebantur, uno volumine complexus erat Zacharias Mossóczy Nitriensis Episcopus, et sub no-

w) In praevia narratione ad Conc. Hung. x) Tripart. parte II. tit. 3. dein art. 18. 1635.

nomine *Corporis Iuris Hungarici*, primus edidit Tirnaviae in aedibus Telegdianis, anno 1583. y) Auctae rursum novis legibus, prodierunt Viennae ann. 1628. Tirnaviae postmodum ann. 1696. 1751. et 1779. Ex qvo volumine, constitutiones Regni, qvae inde ab anno 1608. editae sensim fuerant, protractae, typis Pottendorffensibus anno 1668. excudebantur. Aeqve articuli Comitiorum sub Carolo, et filia huius Maria Theresia celebratorum, separatim, impensis Ioannis Michaelis Landerer impressi leguntur. Non paucos praeterea Comitiorum articulos, qvos partim resciderat Mossóczius, partim ignorabat, e variis manu exaratis codicibus erutos, publici iuris fecit solertissimus, et meliore fortuna dignus vir, Martinus Georgius Kovachich, uno volumine, qvod inscripsit: *vestigia Comitiorum apud Hungaros ab exordio Eorum in Pannonia, usqve ad hodiernum diem*

y) Duo huius editionis exempla mihi nota sunt: alterum apud Excell. D. Franc. C. Széchényi, in Bibliotheca Kis-Czenkensi; alterum Zagrabiae apud Cl. D. Michaelem Stivalich, Hist. Univ. et Statuum Professorem Publ. et Ord.

diem celebratorum. Typis R. Univ. impressum anno 1790. decurrentibus Comitiis Regni. Ante hunc vero, leges domesticas, qvae de Religione tantum, vel de personis, rebusqve Ecclesiasticis loqvuntur, e corpore Iuris Hungarici extractas, edidit Carolus Péterffy; qvamqvam tribus tantum sub Regibus conditas; z) nam omnes, qvae sparsim habentur in illo volumine distributas iuxta ordinem Decretalium Gregorii IX. vulgavit memoratus Riegger, sub titulo: *Speciminis Corporis Iurisprudentiae Ecclesiasticae I. Regni Hung. et partium Eidem adnexarum.* Viennae typis Trattneri anno 1768. a) Easdem ordine chronologico relatas, ac eruditissime illustratas, edidit Ignatius Comes de Batthyán Episcopus Transylvaniensis, magno volumine, qvod inscripsit: *Leges Ecclesiasticae R. H. et Provinciarum adiacentium*; typis vulgatum Albae Carolinae anno 1785. b) In vasto volu-

z) T. I. Conc. Hung. cum reflexionibus, et commentario Melchioris Inchofferi. a) Operis huius crisin lege in dissert. praefixa legib. Ecc. R. H. cap. 23. §. 6. b) Suspirant eruditi Hungariae, splendidi huius operis continuationem, qvam mors

lumine Iuris Hungarici, ex qvo minores illae collectiones factae sunt, occurrit primum,

opus

Excellentissimi autoris, in diem 17. Nov. ann. 1798. incidens, impedivit. Nihil existimabat vir ille praecellens, caracteri suo Episcopali decedere, si de rebus eruditis, cum secundi ordinis sacerdotibus consultaret. Hinc ad me qvoqve, tunc in Regia Univ. Pestana Hist. Eccl. Professorem, anno 1786. talia scribebat: „Qvaeris ex me, num „opus meum, qvod pridem exspectari asseris, in „publicum proditurum sit? addis Te aegre illo ca- „rere. Haec ipsa exspectatio multorum, me sol- „licitum reddit. Vix enim, ac ne vix qvidem „Tomus hic primus exspectationi satisfaciet. At „qvid facerem? haec qvoqve edenda erant. Car- „dinalis Garampi sancte iurabat, operam meam „Ecclesiae utilem esse. Commovebat auctoritas „amici, et eruditi viri, impellebat Ecclesiae uti- „litas, Edenda itaqve statui, qvidqvid obstre- „pant emunctae naris Critici. Tomus secundus „compensabit. Tertius autem superabit exspe- „ctationem" etc. Tum anno 1788. die 4. Sept. de eod. suo opere talia scripsit: „Secundus To- „mus operis mei, qvantum in his rerum, et tem- „porum adiunctis fieri potest, typo paratur. Con- „tinebit is qvoqve dissertationem praeviam, in „qva Eccl. Hung. disciplinam enucleare tento. „Novus profecto campus recensentibus Budensi-

opus *Tripartitum Iuris consvetudinarii*; qvod in Comitiis anni 1514. ceu futurus deinceps Iuris Hungarici codex adprobatum fuit. c) Constat prologo, tribusqve deinceps partibus, in titulos divisis. Seqvuntur S. Stephani decretorum libri duo. S. Ladislai tres libri. Colomani duo, in capita distributi. Deinceps seqvuntur decreta Comitiorum, sub ceteris Hungariae Regibus celebratorum, in articulos et §phos divisa. Neqve dissimulandum est, prope ducentis, et qvadraginta sex annis latens in codicibus manu exaratis, *Qvadripartitum opus Iuris consvetudinarii Regni Hun-*

„bus, in qvo solutis habenis discurrant. Et qvantum asseqvi possum, Tomus hic in duo volumina dispescendus erit, qvia Liturgiam etiam „Maiorum nostrorum, cum Sacramentario saeculi „XII. et his similibus, in Tomum hunc conieci. „Pertingit autem Tomus hic usqve ad annum „1562. Existimo me veram Iurispatronatus Regum Hung. detexisse originem. Novum iterum „systema, si Deo placet, prodibit in lucem" etc. Ecce! mors viri unius, qvantis nos emolumentis privavit. c) Codicis istius veram originem detexit, idem Praesul doctissimus, qvem modo commemoravi, cit. dissert. cap. 4. §. 4.

Hungariae, ac tandem anno 1798. typis Zagrabiensibus eleganter impressum. Qvod privatam duntaxat habet autoritatem, nec iuridici hactenus, verum historici duntaxat operis adinstar haberi potest. d)

§. CLXXVI.

A Clero noscendae.

Ad sedulam lectionem istiusmodi legum, Clerus Hungariae, magnopere excitandus foret. Sunt enim permultae leges Hungaricae, pars Ecclesiastici Iuris. (§. praec.) Qvae proinde remotiores inter fontes eiusdem, referri debent. Sunt Clerici praeterea cives reipublicae, huiusqve propterea, qvoties exemti non sunt, legibus, et ipsi parendum habent, (§. CLXVII.) et alios pro munere tenentur ad obseqvendum exhortari; tunc vero hortabuntur efficacius, qvum ipsi leges agendi, cavendiqve penitius noscent. Causae praeterea fori Spiritualis domi nostrae, iuxta pa-

d) Vide de hoc op. art. 10. et 11. 1550. item art. 15. 1553. Ioann. Szegedi in rubricis Iuris H. ad h. a., et in Tyroc. I. H. parte II. tit. 6. §. 12. seqq.

patriam legem, et consvetudinem diriguntur. Assident viri e Clero delecti, regni Tribunalibus, Politicis item Dicasteriis, et Comitiis; ubi secundum leges patrias duntaxat, ferri sententia debet. Ipsi bona qvoqve possident, iuribusqve suis invigilare, tum reddere cuiqve suum, iuxta legis patriae dictamen obligantur. Deniqve Personae Capitulares, et Conventuales, tenent in manibus Archivia publica, et authentica sigilla; suntqve ipsis per legem domesticam credita qvaepiam negotia profana, qvae iuxta eamdem legem tractari, et expediri debent.

§. CLXXVII.

Et Reg. Decreta.

Sed qvoniam e legibus per Comitia Regni conditis, emolumentum haud grande resultaturum esset, nisi praesto esset earum exeqvutor, et custos: eapropter in patria nostra, Rex legitime coronatus, praeter legislativam, sibi cum Statibus, et Ordinibus Regni legitime congregatis communem, (§. CLXXV.) habet *executivam* qvoqve potestatem; qvam articulus 12. anni 1791. salvam

sup-

supponens aiebat: *Executiva autem potestas nonnisi in sensu legum, per Regiam Maiestatem exercebitur.* Qvapropter legitimi Reges Hungariae, extra Comitia qvoqve Regni, ius habent commune qvibuslibet summis potestatibus, tam *Advocatiae Ecclesiasticae* nimirum, qvam et *Inspectionis saecularis.* (§§. CLXX. seq.) Qvod ab Illis exercetur per specialia *Decreta*, et *Intimata.*

§. CLXXVIII.
Ceu Eccl. H. Patron.

Est praeterea Regibus Hungariae qvoddam peculiare, cum Statibus, Ordinibusqve Regni haud communicatum, sed *reservatum* ius *Advocatiae*, per supremam potestatem sacram favore singulari concessum; qvod apud nos, *Ius supremum Patronatus* compellatur, deductum a primo Rege Hungarorum Stephano, cui Silvester II. Pontifex, anno post Christum natum millesimo, per nuncium suum Benedictum de Vetta, literas mittebat, qvibus illi, ac successoribus legitimis Hungariae Regibus potestatem faciebat, praeferendae crucis, in signum legationis Apo-

sto-

stolicae, et Ecclesias Dei simul cum populis, vice Romani Pontificis ordinandi. e) Qvod ius confirmatum est a Concilio Constantiensi, praesente Imperatore, ac Rege Hungariae Sigismundo; f) cuius in hoc Regno successores, tali iure deinceps constanter sunt gavisi; g) ideoqve non solum titulo Regis Apostolici, inde ab anno Christi 1758. constanter utuntur, h) sed praeterea, in legibus patriis compellantur *summi Ecclesiarum Patroni*, i) et isto nomine, Ecclesias Dei in suis iuribus ab se conservatum iri, mox post coronationem, iu-

e) Ex Bulla Silvestri II. ap. Melch. Inchoffer T. I. vol. III. pag. 268. edit. Poson. Consentit Carthuitius in vita S. Steph. pag. 133. edit. Praanae. Nomen Papalis nuncii ad Stephanum missi, in docum. ap. Pray in diss. de S. Dextera S. S. Steph. pag. 134. f) Wetbőcz in Tripart. parte I. tit. 11. g) Qvaliter ius hoc tempore Ferdinandi II. vellicaverit Curia Pontificis, discere potes ex meis Hist. Eccl. R. H. amoenitatib. fascic. VI. num. I. §. 10. h) Breve Clementis XIII. titulum hunc denuo confirmans, legi potest ap. Turoczium Hung. pag. 611. item ap. Kollár in hist. diplomat. Iuris Patronatus etc. i) Vide 1715. a. 60. 1723. a. 71. 1791. a. 23.

iurando iure promittunt. Qvaecumqve igitur, tam illo generali, (§. praec.) qvam speciali hoc advocatiae Ecclesiasticae iure, decernunt Reges nostri, locum nimis honorificum, inter Iuris Ecclesiastici fontes, non possunt non habare, et ab iis, ad qvos adtinent, neqveunt ignorari. Qvapropter, fuit haec Praelati cuiusdam solertia, ut nonnulla Decreta, ex iure partim inspectionis saecularis, partim advocatiae Ecclesiasticae profecta, Caroli VI. Mariae Theresiae vero plurima, typis Vaciensibus impressa voluerit, anno Christi 1775. E qvibus nonnulla denuo refricata sunt, additaqve plurima, sub regimine Augusti Iosephi II. et iussu Excelsi Consilii R. L. Hungarici, typis Trattnerianis Pestini excusa, cum hac inscriptione: *Collectio B. normalium Resolutionum Caesareo-Regiarum in materia Commissionis Ecclesiasticae, etc. usqve annum inclusive* 1785. *interventarum.* Qvae collectio cum multa contineat, ad qvae in recentioribus qvoqve Decretis fit provocatio, iure optimo haec, inter fontes Iuris Ecclesiastici Hungarici referetur. Ceterum, hic patriae nostrae mos est laude di-

gnis-

gnissimus, qvod qvaevis Decreta Regis nostri Apostolici, qvae Religionem, Ecclesiam, et Ecclesiasticos concernunt, medio Excelsi Consilii R. Hungarici, Praesulibus, vel sede vacante, Capitularibus Vicariis: per istos vero cunctis animarum pastoribus nota reddantur, etiam protocolis Parochialibus diligenter inserenda. Unde seqvitur, haec qvoqve, inter memoratos fontes numerari debere.

MICHAELIS SZVORÉNYI

PAR. ET V. ARCHID. KARÁD. S. THEOL. DOCT.

I. COMITATUS SIMIGHIEN. TAB. IUD.

ASSESSORIS.

IUS PUBLICUM

COMMUNE, ET PARTICULARE

ECCLESIAE HUNGARICAE.

PARS SPECIALIS.

WESZPRIMII,

TYPIS MICHAELIS SAMMER.

1803.

Iuris Publici Ecclesiastici Communis, et Particularis Ecclesiae Hungaricae.

PARS SPECIALIS.

CAPUT I.

De iuribus, et obligationibus Romani Pontificis ac eorum, qvi Huic auxiliantur in gubernanda Ecclesia Christi.

§. CLXXXVII.

§. CCXV.

CAPUT II.

De iuribus, et obligationibus eorum, qvi Episcopis auxiliantur, in gubernando grege Dominico.

§. CCXXXV.

§. CCLXI.

§. CCLXXXVIII.

CAPUT III.

De iuribus, et obligationibus supremae potestatis civilis, respectu Religionis, et Ecclesiae Christianae.

§. CCCX.

IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

Communis, et Particularis Eccl. Hung.

PARS SPECIALIS.

CAPUT I.

De iuribus, et obligationibus Rom. Pontificis, ac eorum, qvi Huic auxiliantur in gubernanda Ecclesia Christi.

§. CLXXIX.

Scopus tractandor.

Postqvam illi nobis cogniti sunt, qvibus est in Ecclesia Christi, iure partim Divino, partim humano praecipiendi potestas: et posteaqvam fontes qvoqve reperimus, e qvibus hauriri debent Ecclesiasticae leges; nunc tandem iuxta scopum Iuris Ecclesiastici publici, (§. XVIII.)

XVIII.) videndum erit, qvaenam ex iis legibus eruantur tam iura, qvam et obligationes illorum, qvi in eadem Ecclesia, ceteris cum potestate spirituali praesunt.

§. CLXXX.

Iura Pont. Rom.

Primus omnium, ac summus, Pontifex Romanus, virtute sui primatus, ad conservandam in Ecclesia Christi unitatem obtenti, (§. XXVI.) Iura qvaedam habet *primaria*, sine qvibus unitas haec, sita in fide et caritate (§. VIII.) conservari, et restitui sublata, neutiqvam potest. Qvaedam enimvero *secundaria* sunt: qvae dudum, salva in omnibus Ecclesiastica unitate, Conciliis provincialibus, Metropolitanis, vel aliis Praesulibus propria, gravibus de causis ad Pontificem Romanum, aut expressis Conciliorum verbis, aut Episcoporum tacita consensione transiverunt. Qvamvis etiam ista, cum roborata sint longo saeculorum usu, vellicare nunc, velleqve sublata, perinde sit, ac si iura, semel in Principem titulo iusto translata, rursum abstracta qvis vellet.

§. CLXXXI.

§. CLXXXI.

P r i m a r i a.

Inter primaria Pontificis Romani iura, merito numeratur: I. ius exigendi relationes ab Episcopis maiorum *saltem* Sedium: an vera fides, pura morum doctrina, et universales Ecclesiae leges observentur. k) Nam haec

k) Reapse, non in vetere qvidem illa formula Episcopis praescripta, qvae legitur cap. 4. de iureiur. sed in recentiore, qvam ex originali Romano, ann. 1787. qvinto Idus Martii emanato, per me diligenter transsumtam, possideo, haec leguntur: *Domino nostro, successoribusqve praedictis, rationem reddam de toto meo pastorali officio, deqve rebus omnibus ad meae Ecclesiae statum, ad Cleri et populi disciplinam, animarum deniqve, qvae meae fidei creditae sunt, salutem, qvomodocumqve pertinentibus.* Eiusmodi relationem factam fuisse per Georgium Szelepchényi de Pohroncz A. Episc. Strigon. ad Innoc. XI. testes sunt literae eiusd. Pontif. ad eumdem anno 1683. datae, ac Historiae Epp. Weszpr. pag. 459. insertae. Relationis qvoqve ipsius copiam possideo, descriptam manu doctissimi Viri Valentini Kátskovics e S. I. de qva Is ad me ex Oppido Iászberény anno 1795. talia scripsit: „Documentum hoc ante annos circiter XV. hic loci „a qvodam Iazigalis Districtus Officiali nactus

haec ad unitatem pertinent. Cuius cum ubivis conservandae sit obligatio Pontifici Romano, neqve Hic esse praesens ubilibet possit, seqvitur, ut ab iis, qvos ista nosse oportet,

„sum, manu (ut vetustus caracter exhibet) vel „in fine prioris, vel initio huius saeculi, exara„tum; ex qvo istud fideliter transumpsi. Ut ut „porro pleraqve omnia in eo contenta, saepissime „narrari audiverim ex meis Con-religiosis: qvin „sparsim legerim: subdubitabam attamen de eius „authentia, cum finali clausula, nomine qveru„lantis, anno, mense, die dati, ad qvem item „Papam? destituatur. Exhibueram illud adhuc „Budae habitantibus, Prayo, Wagnero, Katonae: „ignotum sibi esse aiebant. Tandem exhibui il„lud pie defuncto P. Vincentio Blaho Francisca„no. Hic aiebat, se illud desumpsisse ex Archi„vio Episcopi Agriensis. Exhibui dein pie de„functo P. Leoni Servitae, dando ei copiam ma„nu mea scriptam, ut suis opusculis inserat; pri„us tamen conferat cum exemplari Agriensi. Sed „huic responsum est: iam ibi non reperiri; sed „probabiliter, cum aliis multis MSS. ablatum esse „per Excell. modernum Transylvaniensem. Cu„ravi ergo et ibi perqviri: Responsum mihi est: „Haberi omnino apud illum, sed cum eodem fi„nali defectu“ etc.

tet, de cunctis relationem poscat. l) II. Ius mittendi Legatos, Vicarios, et Nuncios, qvi Eius vicem agant in conservanda, vel restituenda unitate: cum fieri possit, ut hoc munere defungi Praesules aut non valeant, aut non velint. Neqve igitur possunt respici, velut Legati Principum, qvibus nulla est in alieno territorio potestas, ut iccirco ad nutum Principis, vel repelli possint, vel admitti. Non est tamen huic, ceu habenti ius supremae inspectionis. (§. CLXX.) deneganda potestas, examinandi facultates Legato concessas, ne fors illae iuribus Patriae non congruant, siqve tales forent earum exercitium prohibendi. m) Id qvod factum est in patria nostra virtute articuli 45. anno 1492. conditi, et rursum anno 1495. vigore articuli 10. qvi priorem confirmans, addebat: *causas vero, qvae nunc in praesentia Reverendissimi Domini Ursi de Ursinis, Legati, verterentur, ipsi actores, in praesentiam Iudicis*

l) Modus faciendae relationis de statu Ecclesiae, legitur apud Ben. XIV. op. de Syn. D. in fine libri XIII. m) Vide Petri de Marca Lib. V. cap. 56. 58. Espen parte 1. tit. 21 cap. 3.

dicis eorum ordinarii reducere teneantur. III. Praecipuas habendi partes in componenda dissensione gravi in rebus fidei, cum illa nimirum inter Episcopos orta, secus componenda minime speratur, nec spes adfulget celebrandae Synodi generalis. Idqve fluit ex fine instituti Primatus, (§. XXVI.) et factis confirmatur. (§. CXI.) IV. Ius edendi, cum unitatis conservatio deposcit, aut restitutio: fidei morumqve Decreta. (§. eod.) V. Si deniqve malum ita creverit, ut tolli duntaxat per Concilium posse videatur, huius qvoqve illi est potestas convocandi, (§. LXXIV.) illic praesidendi per se, vel per Legatos, (§. LXXVII. seq.) et, qvae decreta ibi fuerint, etiam confirmandi. (§. LXXXV.) VI. Adurgendi haec decreta constitutione nova. Nam si leges latae sunt pro omnibus, nisi observentur ab omnibus, nocetur unitati, qvam tueri Pontifex debet. VII. Leges qvoqve generales, ita deposcentibus rerum adiunctis, condendi. (§. CX.) VIII. Utrasqve, tam illas videlicet Synodales, qvam et Papales, dum est necesse, poenis Ecclesiasticis adurgendi. Qvoniam legislativa, et coërciti-

citiva potestas, neqveunt ab invicem separari. (§. XI.) IX. Cum concessio privilegiorum (§. CXXIII.) et dispensatio in lege universali, (§. CXXVIII.) si qvospiam demas casus, (§. CLV.) a legislatore proficiscatur: Pontifex Romanus, ceu legislator, concedere utrumqve potest. X. Eidem competit ius supremum devolutionis; qvatenus ab officio desciscentes Praelatos, dum ii Praesules, qvorum id interesset, medelam adhibere, vel nolunt, vel non possunt, ad muneris sui diligentem exeqvutionem, mediis oportunis revocare potest. Qvoniam, ut Praesules munus sibi creditum a Domino, solerter exeqvantur, ad servandam in Ecclesia unitatem spectat. Pontifex vero huius est, positus a Domino custos. XI. Ius habet protegendi Episcopos, qvi vel nimiam oppressionem sui, vel iuris legitimi derogationem perpetiuntur. Ut enim Praesules Ecclesiarum pacifice suo munere defungi possint, unitas Ecclesiastica magnopere postulat. Huius itaqve unitatis procuratio, ad eum spectabit, sine cuius auxilio, haec obtineri neqvit. n) Ipsa praete-

rea

n) Marca Lib. VII. cap. 7. seqq.

rea notio supremi Rectoris in Republica, hanc assertionem suggerit, qvod ad Eum patere debeat perfugium cuilibet Civi, eadem in Republica iniqve oppresso. XII. Ius habet qvibuscunqve spiritualibus mediis utendi, ad conservandam vel restituendam Ecclesiae unitatem, dummodo haec salvis qvorumlibet iuribus adhiberi possint.

§. CLXXXII.

An et ius recip. appell.?

In ipso limite Iurium primitivorum, et secundariorum, colloco ius recipiendi appellationes e provinciis, ad Sedem Romanam faciendas. Nam si adpellatio fiat ob negatam, aut protractam iustitiam, qvae seu Praesuli, sive cuivis fideli, esset ocyus administranda; aut etiam propter commissos in causa errores, qveis nullum superest remedium: ad Pontificem esse recurrendum, id, qvod penultimo loco nunc dictum erat, (§. prae.) satis evincit. Verum si adpellatio facta fuerit ab inferiore ad Papam, velut ultimum causae iudicem, qvaeritur, num haec vi iuris primigenii sit recipienda? Video sane cele-

bres

bres sacrorum Canonum explanatores, qvi Petrum de Marca, facile ducem in hac qvaestione o) seqvuti, p) ius istud inter secundaria numerant, ceu mercibus Isidorianis innixum. q) Sed mihi certum est, qvaestionem hanc, eruditionis historiae terminis concludi, cum isto iure recipiendarum adpellationum, sibi per sinceros qvoqve Canones Ecclesiasticos asserto, r) Pontifex Romanus pacifice fruatur; nullo qvidem unitatis Ecclesiasticae damno, permagno autem hac ratione agniti, in Ecclesia Christiana *Centri unitatis* argumento. Si qvi defectus, ut saepe fit in rebus humanis, hac in parte contigerunt, illis per sacra Concilia, Lateranense III. et IV. itemqve Tridentinum, abundanter occursum fuit. s)

§. CLXXXIII.

o) Marca Lib. VII. cap. 1. seqq. qvem suscepit refellendum Natal. Alex. in saec. IV. diss. 28. p) Fleuri Institut. Iuris Eccl. parte 3. cap. 23. §. 3. Espen Iuris Eccl. univ. part. 3. tit. 10. cap. 1, 3. item diss. in Synodum et canones Sardic. Dupin dissert. II. q) Can. 1. dist. 17. Can. 1. dist. 80. Can. 1. etc. usqve 8. Item 15. 16. 18. 20. 21. causa II. qv. 6. r) Cap. 7. 31. etc. de appell. Trident. sess. XXIV. de reform. cap. 20. s) Cap.

§. CLXXXIII.
Secundaria.

Sed nemo Catholicorum dubitat, esse Pontifici ius negotia qvaepiam tractandi, qvae *causarum maiorum* nomine vocitata, t) cum olim salva unitate Ecclesiastica, pro ratione obiectorum pertinuerint ad alios, inter iura secundaria, vel, ut aliis nominare placet, *accidentalia* numerantur. Sunt vero seqventia: I. Ius confirmandi Episcopos. u) II. Admittendi postulationem, sive petitionem, ut persona Ecclesiastica, habens impedimentum canonicum, ad Beneficium Ecclesiasticum admittatur. v) III. Transferendi Episcopos. w) IV. Admittendi cessiones, et resignationes Episcoporum. x) V. Deponendi Eosdem. y) VI.

26. et 59. de appell. Trident. cit. loco. t) Can. 1. dist. 80, u) Cap. 16. 18. et duob. seqq. de elect. v) Cap. 20. de elect. w) Cap. 2. et duob. seqq. de translat. Ep. x) Cap. 2. de transl. Ep. y) Cit. cap. et Trid. sess. XXIV. de reform. cap. 5. Tractatum de legitima Episcopor. instituend. ac destituend. ratione adtemperatum usibus Germ. et Hung. edidit an. 1783. Illustris vir Georg. Sigism. Lakics.

VI. Erigendi novos Episcopatus. z) VII. Eosdem uniendi. a) VIII. Episcopis dandi Coadiutores, cum successionis iure. b) IX. Ius beatificandi, seu concedendi, ut cuipiam exhibeatur cultus Religiosus, velut in Coelis regnanti. Et ius Canonizandi, sive declarandi solemniter, qvempiam in Coelitum numero esse. c) X. Approbandi Ordines Religiosos. d) XI. Tribuendi sacris locis immunitatem, vel hanc restituendi. e) XII. Beneficia per obitum *in Curia*, vacantia conferendi. f) XIII. Constituendi sacros Ritus, et exteriorem Dei cultum ceteroqvin lege naturali, vel Evangelica haud praescriptum, reformandi. g) XIV. Concedendi pallium Archiepiscopale, atqve cum eo plenitudinem potestatis. h) XV. Exigen-

z) Cap. 1. ne sede vac. Cap. 5. 6. de praeb. extrav. comm. a) Can. 48. 49. caus. XVI. qv. 1. b) Cap. unic. de cler. aegrot. in 6. Trid. sess. XXV. de ref. cap. 7. c) Cap. 1. et 2. de reliqv. et ven. SS. d) Cap. fin. de relig. domib. Cap. un. eod. in 6. Cap. un. de voto et voti redempt. in 6. e) Cap. 6. 9. de immunit. Eccl. f) Cap. 2. et 3. de praeb. et dign. in 6. Cap. 4. de elect. extrav. comm. g) Cap. 2. seqq. de temp. ord. h) Cap. 28. de elect. §. 1. Cap. 3. de auct. et usu pallii.

gendi ab Episcopis recens creatis iuramentum. i) XVI. Occasione Bullae confirmatoriae percipiendi annatas, seu dimidium fructum anni primi, iuxta taxationem in Camera Apostolica semel factam. k) XVII. Dandi Praesulibus facultatem, ut qvasdam Indulgentias largiri possint; item has certis personis, locisqve dispensandi. l) XVIII. Qvorumdam peccatorum absolutionem pro foro conscientiae, potestati suae reservandi. m) Haec inter numerantur, qvae in famosa Bulla *Coenae Domini*, sunt expressa. Cum vero Clemens XIV. Pontifex, inde ab anno Domini 1770. Bullam hanc die Coenae Domini, e pergula Basilicae S. Petri, noluerit more dudum solito publicari, omnem illi

i) Cap. 4. de iureiur. k) Integro tit. 3. de annatis in septimo. l) Varias Indulg. species lege ap. Euseb. Amort, qvas ille reperit consultis qvinqvaginta et aliqvot Bibliothecis, ediditqve Typis Augustanis anno 1735. sub tit. *De origine, progressu, valore, ac fructu Indulgentiarum.* E domesticis, recensuit multas RR. D. Ios. Koller Cath. Eccl. Qvinqv. Lector. m) Trid. sess. XIV. decr. de Sacram. poenit. cap. 7. Cui adde sess. XXIV. de reform. cap. 6.

illi hoc pacto vigorem ademit. n) Ceteri Papae reservati casus, qvos sparsim in corpore Iuris Canonici legere est, a Carolo Ludovico Richard diligentissime collecti, recitantur. o) Praeterea XIX. ius est soli Papae, mutandi nomen, utendiqve titulo *Beatissimi*, ac *sanctissimi Patris et Domini, Pontificis Maximi*; item utendi triplici Tiara, qva post sui electionem ornatur. p) XX. Est ille praeterea occidentis Patriarcha, Primas Italiae, Metropolitanus Provinciae Romanae. q) Sed Episcopatum Eius Romanum, inter iura accidentalia referre non ausim, cum haec illi Cathedra Episcopalis, velut Successori Beati Pe-

n) Electus 14. Kal. Iunias anno 1769. primo Pontificatus sui anno id egit. Qvod ego fide digne non multo post tempore didici, Vindobonae tunc Sacrae Theologiae auditor, ex illis, qvi e Romano S. Apollinaris Collegio, in patriam remeabant. o) In dictionario Canonistico, qvod est instar continuationis ad Analysim Conciliorum, in voce: *Casus reservati*. p) Pagi in breviar. RR. Pont. T. V. pag. 145. q) Bened. XIV. de Syn. D. Lib. II. cap. 1. Natal. Alex. hist. Eccl. saec. IV. dissert. 20. prop. 4. Dupin de antiqva Eccl. discipl. diss. I. §. 11. Petr. de Marca Lib. I. cap. 5.

Petri in Primatu Ecclesiae universae, debeatur. (§. XXV.)

§. CLXXXIV.

Ap. nos restrict. ius appell. recip.

Sunt vero Hungaris etiam, ac legitimo Illorum Regi, nonnulla iura legitime obtenta; qvibus cum nonnulla itidem Pontificis iura secundaria non congruant: qvaedam ex istis domi nostrae haud plenum, alia nullum prorsus locum habere possunt. Qvare ius recipiendarum adpellationum, tametsi primigenium esse ponatur, (§. CLXXII.) qvoniam tale duntaxat *in thesi* est: *in hypothesi* circumstantiarum particularium, exerceri perinde neqvit, sicut ius mittendi Legatum; (§. CLXXI.) qvamvis hoc alterum, inter Primaria Pontificis iura, a nemine Catholicorum non referatur. Et vero posuit terminos irrestrictae adpellationum libertati Sigismundus Rex, cum anno Christi 1404. praecipiebat, ut nullae Literae Apostolicae; Rescriptave cuiuscunqve tenoris robur aliqvod habeant, tam in causis beneficialibus, qvam in aliis qvibuscunqve causis litigiosis, et qvi huic de-

decreto restiterint, velut criminis laesae Maiestatis rei, puniantur. r) Articulus vero 19. Comitiorum anni 1471. decrevit, ut *nullus penitus Regnicolarum, sive sint Clerici, sive saeculares, contra libertatem Regni, qva a tempore qvondam Sanctissimi Stephani Regis illibate utitur, directe, omisso medio; Conqvestum a Curia Romana, contra qvempiam impetrare possit. Sed qvilibet prius hic in Regno, coram suis iudicibus ordinariis, ius suum proseqvatur: et ita tandem si voluerit, per viam appellationis, causam suam introducat. Qvibus contrafacientes, beneficiati suo beneficio priventur, non beneficiati autem, poenam capitis luant.* Repetita est Lex anno 1486. art. 45. Qvae cum ab obitu Mathiae Regis obsolescere videretur, restituta est pristino vigori sub Uladislao II. anno 1492. art. 45. cum addito: *Contrarium autem facientes, debita poena puniantur*; illa scilicet, qvae sub Mathia Corvino dictata erat. Iterum repetita est anno 1498. art. 63. cum provoca-

tio-

r) Legitur ap. Pray in specim. Hier. H. parte I. pag. 95. Dubitat de authentia Ign. C. de Batthyán in Legib. Eccl. R. Hung. pag. 471.

tione ad recentius libertatis istius Hungaricae fundamentum: *Qvia ex concessione Venerabilium Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum, S. R. E. Cardinalium, olim in Concilio Constantiensi constitutorum, Regnum hoc in eo privilegiatum esse constat, qvod nullus extrahatur extra istud Regnum ad iudicia, autoritate Literarum Apostolicarum, nisi cum causae aliqvae per appellationem legitime fuerint ad Sedem Apostolicam devolutae.* Poena vero sic decreta: *Portatores autem Conqvestuum, sive sint spirituales, sive saeculares, sive Religiosi, captiventur, et manibus Regiae Maiestatis praesententur, ad turrim mancam pro infligenda illis poena imponendi.* Qvapropter Ludovicus II. Rex anno 1524. Presbyteri cuiusdam Eperiessiensis causam, qvae Romam, neglecto Agriensis Episcopi foro, delata fuerat: per Iudices in Curia Romana delectos, puta, Michaelem, Vitéz Praepositum S. Nicolai extra muros Albenses, et alterum Michaelem Collegiatae Eccl. B. M. V. intra muros Lectorem, examinari vetuit, nisi *per viam appellationis* ad Iudicem superiorem referretur; hac reddita prohibitio-

nis

nis causa: *cum hoc Regnum nostrum inter alias libertates et privilegia sua iam olim a Sede Apostolica, et novissime a Leone X. Pontifice Maximo, hoc privilegio donatum sit, et ab antiqvo uti consvevit, ut nemo subditorum nostrorum, ratione qvorumcunqve negotiorum in Curiam Romanam, vel alicuius Iudicis delegati praesentiam evocari, et citari possit, nisi prius coram suo Iudice ordinario Dioecesano fuerit reqvisitus, et deinde aliqva Partium, coram illo iustitiam sibi denegatam, vel aliter indebite se aggravatum sentiret.* s) Haec igitur Patriae nostrae libertas, illibata stetit a tempore S. Stephani, confirmata Sigismundi Regis tempore, in Concilio Constantiensi, et Ludovici II. aetate, a Leone X. Pontifice Romano.

§. CLXXXV.
Et qvaedam alia iura.

Nullum est praeterea Ius Pontifici, apud nos Episcopos nominandi, sed est integra potestas, nominatos per Regem, confirmandi. Id

s) Legitur ap. Carolum Wagner in diplomatario Sárossiensi, pag. 251.

Id qvod Werböczius noster docuit Trip. parte 1. tit. 10. et 11. supponuntqve plures Comitiorum Hungaricorum Leges, qvae desiderant, Bullas confirmatorias absqve solutione Annatarum, Episcopis nostratibus Roma transmitti. t) Postulationis apud nos hac aetate, solum nomen, e vetustioribus documentis est notum. u) Annutu Pontificis in resignationem, vel cessionem Episcopatus, debet esse prior annutus Regis, a qvo collatus fuit. Idem foret

t) Fuisse tempora, qvibus Pontifex Romanus, Episcopos Ecclesiae Hungaricae dabat, evidenter probat Hist. Eccl. R. H. Amoenit. fasciculus VI. De qvo mihi talia scribebat die 7. Nov. 1800. RR. Vir Iosephus Koller Qvinq. Capituli Lector. „Amoenitates illico diversis locis lustrare coepi, et „absqve fuco confiteor, me magnam inde voluptatem cepisse, neqve in aliqvid, cui non libenter „calculum adiicerem, incidisse. Praesertim, qvae „de Iure Patronatus dicuntur, probavi, atqve intrepidum candorem, in veritate a nullo nostro„rum hactenus prodita, libere evulganda, admira„tus sum. Utinam alii qvoqve seqvantur exem„plum! et ipsa A. R. D. Vestra, alias qvoqve Hi„storiae patriae partes, eadem eruditione, solidi„tate, libertate pertractet." u) Lege memorati fasciculi VI. num. I. §. 3. 4. et alias.

ret pronunciandum, de Praesulis depositione. Novos porro Episcopatus Rex habet erigendi, Pontifex erectionem confirmandi potestatem. Idem intelligas de unione. Coadiutores qvoqve dantur Episcopis a Rege: confirmantur a Papa. Ius praeterea defigendi terminos asylorum, leges nostrae, Civili potestati supremae, reservatum supponunt, art. 113. anno 1723. et art. 27. anno 1765.

§. CLXXXVI.

Ut conferendi Benef. in Curia vac.

Sed neqve Beneficia, defunctorum in Curia Romana Praesulum Hungaricorum, Pontifex conferre potest. Decernebat enim articulus 31. in Regni Comitiis anno 1495. conditus: *qvodsi aliqvi forenses homines ab aliis, qvam a Regia Maiestate, vel illis, qvi in hoc Regno super qvocunqve Beneficio Ecclesiastico, ius patronatus, qvo hactenus usi fuissent, habent, aliqva Beneficia Ecclesiastica pro se procurarent, et huiusmodi procuratione, ius sibi in eisdem, contra antiqvam libertatem Regni vendicarent, in eisdem Beneficiis residere auderent, aut attentarent;*

 qvod

qvod tales omnes, et singuli, si deprehendi poterunt, ad aqvam proiiciantur, tanqvam publici libertatis Regni turbatores. Clarius vero meum praesens adsertum, probat articulus 65. anno 1514. conditus, cum sic decernit: *qvoniam plurimi beneficiatorum Ecclesiasticorum, aut privatis eorum pro rebus, aut ceterorum consociorum negotiis expediendis Urbem Romam proficiscuntur, ibiqve saepenumero moriuntur, et sic eorum Beneficia per summum Pontificem exteris nationibus, et advenis, contra Regni huius libertatem, crebro conferuntur: ideo deliberatum est, ut amodo deinceps qvilibet Dominorum Praelatorum, ac aliorum Virorum Ecclesiasticorum beneficiatorum, Urbem petiturus, anteqvam itineri se submittat, teneatur de patrimonio suo in proventibus tantum Maiestati Regiae, et Sacrae Coronae obligare, et inscribere, qvantum proventus Beneficii sui annualis valere dignoscitur. Si vero tantum patrimonii non haberet, teneatur, priusqvam ingrediatur, Literas a Summo Pontifice assecuratorias impetrare, qvod, si etiam in Urbe casu decederet, Beneficium nihilominus suum in*

Re-

Regno hoc salvum permaneat, et sit illaesum. Ne vero Hungari, novum sibi tunc primo ius, Papali iuri adversum, putentur arrogavisse, testimonium paulo vetustius adduco. Cum mortuo Romae anno 1483. Modrusiensi apud Dalmatas Episcopo, Sixtus qvartus Pontifex, Christophorum Ragusiensem, qvi eo tempore in Gallia, apud sedis Apostolicae Legatum Cardinalem erat, substituisset nemine consulto: v) Rex Hungariae Mathias, in epistola Cardinalibus Romam missa, sic est qvestus: *fuit et hoc nobis grave, qvod sua Sanctitas ius nobis nostrum, qvod in lectionibus Praelatorum Regni nostri a Praedecessoribus nostris Regibus devolutum est ad nos, turbare voluit, cupiens aliis, cum praeiudicio nostro, et iuris nostri detrimento, de Episcopatu Modrusiensi, qvi ad nostram electionem semper pertinebat, complacere. Non considerat, qvantum praeiudicii ea res nobis inferat, et qvam impossibile sit nobis in*

v) Factum Papae constat ex epist. Ferdinandi Siciliae Regis ad Matthiam Regem data, qvae legitur e codice MSS. eruta apud Pray annal. R. H. parte 4. pag. 135.

in ea re Sanctitati suae morem gerere, et id tolerare. Credimus, talia Sanctitas sua non faceret, si sciret, qvanti momenti ea res apud nos Hungaros reputetur. - - - Qvae ut sanctitas sua aperte cognoscat, certa esse debet, duplicatam illam crucem, qvae Regni nostri insigne est, gentem Hungaricam libentius triplicare velle, qvam in id consentire, ut Beneficia, et Praelaturae, ad ius Coronae spectantes, per Sedem Apostolicam conferantur. w)

§. CLXXXVII.

Et qvaedam adhuc.

Pallium qvidem Archiepiscopi Ecclesiae Hungaricae Roma perinde recipiunt. Iuramentum praestant ceteri Praesules recens consecrati, solvuntqve Annatas: x) Verum non omnes casus; qvos a solo Pontifice remitti posse, dicunt iura communia, in Ecclesia Hungarica, huic esse reservati putantur. Nam incendiarios, y) violatores Ecclesiarum, z) non

w) Epistola Matthiae, cuius partem adduxi, inter eius epistolas edit. Cassov. parte 4. pag. 55. x) Lege art. 69. 1498. a. 12. 1504. a. 9. 1548. a. 14. 1550. y) Cap. 19. de sent. excomm. z) Cap. 22. eod. tit.

non solum, qvando iuxta restrictionem Concilii Tridentini, crimen occulte commiserunt, a) sed qvando publice qvoqve patrarunt illud, autoritate Praesulum absolvi, novimus; haeresis qvoqve peccatum, ceteroqvin reservatum Pontifici: non per solum Antistitem, excluso etiam illius Vicario, b) sed per qvemcunqve, ab illorum alterutro delegatum Sacerdotem, potest dimitti. c)

§. CLXXXVIII.

Cardinal. decora et privil.

Illud vero ius nemo Catholicorum, Pontifici hactenus abiudicare contendit, qvo ipse S. R. E. Cardinales creat. (§. XXXIII.) Hodie proëdriam habent etiam ante Patriarchas, d) velut primi a consiliis Papae, in gu-

a) Sess. XXIV. de ref. cap. 6. b) Ibid. c) Praxis qvotidiana. Consulatur qvoqve Syn. provinc. Tirn. ann. 1611. celebrata, qvae cap. III, num. 11. inter ceteros casus reservatos Episcopo, etiam superius memoratos, nominat. Ap. Péterffy Conc. H. T. II. pag. 212. d) Bened. XIV. de Syn. D. Lib. III. cap. 10. num. 1. Ant. Schmidt institut. Iuris Eccl. T. I. parte 2. cap. 1. sect. 4. §. 85.

gubernanda Ecclesia universali. e) Vestem, et galerum purpurei coloris, ex concessione Innocentii IV. gestant. Qvibus adiecit Paulus II. pileolum rubrum, et facultatem, ut eqvos et mulos, qvibus insident, eiusdem coloris panno tegere possint. Cardinales ex Ordine Religioso assumti, volente Gregorio XIV. rubro pileo, formaqve vestis eadem, qva ceteri Cardinales, utuntur, sed retento sui Ordinis colore. Ab Urbano VIII. datus illis est, *Eminentissimi et Reverendissimi* titulus, qvi ceteros omnes absorbet, nec eo cuiqvam uti licet, praeter Electores, Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Magnum Ordinis Melitensis Magistrum. Privilegia vero Cardinalium ferme haec sunt: in suis Titularibus Ecclesiis, (§. XXXIV.) etiamsi Presbyteri, vel Diaconi sint, exercent iurisdictionem, *qvasi Episcopalem.* f) Dummodo Presbyteri sint, primam tonsuram, et minores qvatuor Ordines in iisdem Ecclesiis, proqve Illarum obseqviis, conferre possunt. Ibidem utuntur Pontificali ornatu, solemniterqve bene-

e) Trid. sess. XXV. de reform. cap. 1. f) Cap. 24. de elect. cap. 11. de maiorit. et obed.

nedicendi potestatem habent. Vocantur ad Concilia generalia, cum iure, votum decisivum depromendi. Generalibus ordinationibus, vel censuris inclusi, haud intelliguntur, nisi fuerit Illorum expressa mentio facta. g) Possunt cum sua dignitate, regimen alicuius Ecclesiae tenere. h) Ex armis vero, atqve sigillis, iubente Innocentio X. Pont. qvaslibet saeculares notas, tollere debent. i) k)

§. CLXXXIX.

g) Cap. 4. de sent. excomm. in 6. h) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 2. i) Vide Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 22. cap. 1. Richard anal. Concil. T. III. voce: *Cardinalis.* Dominici Macri Hierolexicon ead. voce. k) Ut nihil eorum, qvae pro arctitudine voluminis, qvam mihimet praefixi, hic dici oportune possunt, silentio praetermittam, en! Cardinales, qvibus Ecclesia Hungarica gloriatur: Ad an. videlicet 1379. Demetrius Eccl. Strig. Gubernator, et tit. SS. qvatuor coronator. Presb. Cardinalis. — Ad eumd. annum Valentinus Episcopus Qvinqveeccl. tit. S. Sabinae Presb. Card. — An. 1409. Iordanus de Ursinis Eccl. Qvinqv. Commendatarius, et tit. S. Laurentii in Damaso Card. — Ad an. 1471. Ioannes Vitéz Archiep. Strig. et Cardinalis. — Ad ann. 1477. Ioannes de Aragonia A. Ep. Strig. tit. S. Sabinae Presb. Card. — Ad eundem annum Ga-

§. CLXXXIX.

Iura Sede plena.

Cum Sedes Papalis est plena, talibus dicti Cardinales iuribus gaudent: Primi sunt Pon-

briel Rangonius Agriensis, tit. SS. Sergii et Bacchii Presb. Card. — An. 1498. Hyppolitus Estensis Dux, perinde Agriensis, S. Luciae in silice Diaconus Cardinalis. — Anno 1501. Thomas Bakocz de Erdeud, A. Ep. Strig. tit. S. Martini in montibus Presb. Card. — An. 1504. Petrus Vesprimien. Episcopus, tit. S. Cyriaci in thermis Presb. Card. — Anno 1551. Georgius Martinusius, aliter Utisinovich, Varadinensis, et Administrator Strigon. Cardinalis. — Anno 1607. Franciscus Forgách de Ghymes Strigonien. Archiep. et Cardinalis, pileum obtinuit anno seqvente. — Anno 1629. Petrus Pázmány de Panafz, Archiep. Strig. Cardinalis, anno dein 1632. praesens Romae, galerum, titulumqve S. Hieronymi Illyricorum conseqvutus fuit. — An. 1686. Leopoldus Kollonits de Kollegrad Episcopus Iaur. et Cardinalis, demum anno 1695. qva Strig. Archiepiscopus, titulum, qvem Pazmanus tenuerat, est conseqvutus. — Anno 1707. Christianus Augustus, e Ducibus Saxoniae, Archiep. Strig. et Cardinalis. — An. 1717. Emericus e Comitibus Csáky de Kerefztfzeg, Ep. Varad. et Cardinalis. — An. 1723. Michael Fridericus Comes ab Althan,

Pontifici a consiliis. Assident Eius Consistorio veluti Consultores; (§. CXXX.) aliis autem Congregationibus Romanis, velut iudices. Soli possunt munus Legatorum, *de Latere* dictorum obire. Negotia curant Regnorum et Principum, titulo *Protectorum* honorati. l)

§. CXC.

Ep. Vacien. et Cardinalis. — An. 1764. Christophorus Comes a Migazzi Archiep. Vienn. et Administrator Vaciensis, Cardinalis. — An. 1778. Iosephus Comes de Batthyán Archiep. Strigon. et Cardinalis, anno 1782. Vindobonae galerum e manibus Pii VI. Pontificis, et titulum S. Bartholomaei in insula, conseqvutus fuit. — Securum qvoqve reddiderat anno 1517. Leo X. et Pontifex Petrum Berizló de Graboria, Episcopum Vesprimiensem, de obtinenda proximius Cardinalitia dignitate, per Literas, qvae leguntur ad calcem opusculi inscripti: *Pannoniae luctus*, excusi Cracoviae 1544. et recusi Viennae 1798. Verum anno 1520. in expeditione suscepta contra Turcas, nondum habita Romana Purpura, Martis campum proprio sangvine tinxit. Qva de re Istvánffy hist. lib. 4. et 6.

l) Videatur Capitulatio Iosephi II. electi in Imp. an. 1764. 29. Martii edita, art. 23. §. 4. ap. Riegger in Corp. iuris Publ. et Eccl. Germaniae academicum pag. 847.

§. CXC.

Sede vacante.

Iidem, mox ut vacat Pontificia Sedes, exercent imperium Civile in ditionibus Ecclesiae Romanae, per tres locumtenentes Cardinales, Episcopum, Presbyterum, et Diaconum; qvi tamen singulis diebus mutantur. Sed in iuribus, qvae nominant *personalissima*, nisi admodum urgens deposcat necessitas, minime succedunt. m) Qvapropter mortuo Pontifice, confringitur annulus Piscatoris; nec Brevia, nec bullae expediuntur. Eligendi vero Pontificis autoritas, hodie soli competit Cardinalium Collegio; n) qvod, elapsis a morte Pontificis decem diebus, Conclave pro novi Pontificis electione, mox celebrare obligatur. o) Qvi, si a duabus consultantium partibus concorditer eligatur, pro legitimo habendus erit. p)

§. CXCI.

m) Cap. 3. de elect. in 6. et cap. 2. eod. in Clem. n) Cap. 6. de elect. Cap. 3. eod. in 6. Cap. 2. et 4. eod. in Clem. o) Cap. 3. de elect. in 6. p) Cap. 6. de elect. Cetera ad hodiernam electionis formam pertinentia, inde apud Pagi in breviario RR. Pont. T. III. pag. 406. seqq. Espen commentar. in ca-

§. CXCI.

Legator. iura communia.

Ordinem seqvuto, qvi iuxta recentiores hominum mores, in Ecclesiastico regimine custoditur, dicendum nunc de iuribus Legatorum erit. (§. XLI. seqq.) Qvaedam sunt iura communia cuivis Legatorum classi. Nam omnes in Provincia suae legationis, ordinaria gaudent iurisdictione, ut ibidem evellant, dissipent, ac plantent. q) Examen electionis Episcopalis instituere possunt, Pontifici transmittendum; r) uti et statuta condere, post ipsorum qvoqve discessum robur habitura; s) causas etiam per simplicem qverimoniam ad se delatas iudicare. t) Cui nihilominus iuri derogavit Concilium Tridentinum, u) et in Hungaricis ditionibus lex patria, decernens anno 1481. art. 17. *si vero aliqvae essent causae, mere Ecclesiasticum forum concernentes, in his unusqvisqve secularium, vel Ecclesiasti-*

put 3. de elect. in 6. opp. T. VIII. pag. 207. edit. Venetae ult. q) Cap. 2. de off. Leg. in 6. r) Cap. 5. de off. Legati. s) Cap. ult. eod. tit. t) Cap. 1. eod. tit. u) Sess. XXIV. de ref. cap. 20. post medium.

sticarum personarum, coram Ordinario suo primum proseqvatur, et deinde, si contentus illius iudicio non fuerit, ad suum Metropolitanum appellet. Hinc articulus 10. anni 1495. praecipiebat, ut causae, qvas Ursus de Ursinis Papae Legatus, versare coeperat, ad ordinarios iudices revocarentur. Insuper, Legati debent ab Episcopis in eundo, ac redeundo honorifice tractari, et in suis necessitatibus adiuvari. Id, qvod tam vetus illa, v) qvam hodierna iurisiurandi formula deposcit.

§. CXCII.
Legator. a Latere.

Peculiaria qvoqve iura habent Legati, qvos a Latere suo Pontifex mittit. Nam I. Affirmanti, se a Papa missum credi debet, dummodo Cardinalem esse ceteroqvin constet. II. Post discessum ab Urbe, splendidioribus utendi insigniis, ut, veste purpurea, eqvo albo phalerato, fraeno et calcaribus deauratis; et ingrediendi civitates ac oppida sub baldachino, Clero populoqve, solemniter eum

v) Cap. 4. de iureiur. Exempla vero in meis amoenit. Hist. Eccl. R. H. fasciculo IV. num. II. §. 8.

eum deducente. w) Ubivis extra Urbem Romanam absolvendi percussores Clericorum ab excommunicatione. x) IV. Sua praesentia impediendi, ne Patriarchae etiam, aliiqve Praelati, crucem sibi praeferri curent. y) V. Suspendendi Legatorum inferioris ordinis, officium. z) VI. De causis exemtorum cognoscendi. a) VII. Eosdem, uti et qvosvis Archiepiscopos ac Episcopos electos, confirmandi. b) Sed neutiqvam transferendi, vel uniendi Episcopatus, aut alteri alterum subiiciendi. c) VIII. Beneficia iuris Patronatus Ecclesiastici, in provincia Legationis, pari cum Ordinario autoritate conferendi. d) Sed nec Beneficia patronatui *laico*, e) neqve electioni Canonicae subiecta; f) prout nec illa, qvorum collatio, propter negligentiam Praelati Re-

w) Ita Canonistae, ac praxis. x) Cap. 4. et 9. de off. Leg. y) Cap. 23. de privil. et. z) Cap. 8. de off. Legati. a) Cap. 36. de elect. in 6. b) Cap. 36. eod. c) Cap. 3. et 4. de off. Leg. Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 13. d) Cap. 6. de off. legati. Cap. 1. eod. in 6. Cap. 31. de praeb. et dign. in 6. e) Cap. 28. de iure patronat. f) Cap. 4. de off. Leg. in 6.

Regularis, ad Episcopum est devoluta. g) IX. Insuper de iure scripto, dierum XL. h) ex consvetudine, centum dierum Indulgentias largiendi. i) Qvae iura, desinunt lapsu temporis praefiniti. Revocatione etiam tacita: ut, si negotium prorsus idem, alteri fuerit specialiter demandatum. k) Morte Legati; sed non obitu Pontificis. l) Item finita legatione, finiuntur mandata, si res adhuc sit in integro statu. m)

§. CXCIII.

Legator. Nator.

Hoc igitur habent Legati Nati, prae illis, qvod istorum dignitas, etiam ad Successores Archiepiscopos transmigret. Ceteroqvin gradu sunt prioribus inferiores; n) et, si praeter tituli praerogativam, aliqvid potestatis ha-

g) Cap. un. de suppl. negligentia Praelator. in Clement. h) Cap. 14. de poenit. et remiss. i) Vide Remigii Maschat. Institut. Canonic. lib. I. tit. 30. k) Cap. 2. de off. Leg. l) Cap. 2. eod. tit. in 6. m) Cap. 3. de off. legati. Cetera vide ap. Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 21. cap. 2. et meas amoenit. fascic. IV. n) Cap. 8. et 9. de off. legati.

habent, id non e codice legum, sed e speciali cuiusvis indulto robur suum habebit.

§. CXCIV.

Legati Nati Hung.

Archiepiscopo Strigoniensi postqvam confirmaverat Nicolaus V. anno 1402. potestatem Legationis, in singulis Hungariae, partiumqve huic subiectarum, et subiiciendarum Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, ac aliis, licet exemtis Ecclesiis: o) nova mox Bulla, huius Legationis iura singillatim enumerabat: I. Ut intra limites suae legationis, ceteris Praesulibus, qvos contigerit adesse, in ea re cessantibus, soli crux praeferatur. II. Causas cognoscere possit, vel committere cognoscendas, etiam per simplicem qverelam ad forum suum delatas. III. Qvodcumqve decreverit intra eosdem Legationis limites, comminando transgressoribus autoritate Apostolica, hac in parte sibi attributa, censuras, ut id ab omnibus et singulis personis tam Ecclesiasticis, qvam Religiosis, licet exemtis,

o) Bulla apud Pray Hier. H. parte 1. pag. 86.

qvam saecularibus, firmiter observetur. p) Nihilominus altero loco memoratae hic praerogativae, locum apud nos haud esse, superius dicta probant. (§. CLXXXIV.)

§. CXCV.

Ceter. Legator. et Nuncior.

Ceteri qviqve sedis Apostolicae Legati, Vicarii Apostolici, atqve Nuncii, venientes in provinciam, suae legationis literas exhibeant, est necesse. q) Praeter communia qvibusqve Legatis iura, (§. CXCI.) qvae his peculiaria sunt, non ex Decretalibus Pontificum desumantur, sed ex mandato speciali Pontificis, r) Ecclesiarum privilegiis, et mori-

p) Bulla ap. Péterffy Conc. Hung. T. II. p. 293. et Pray cit. op. et parte, pag. 90. q) Can. ult. dist. 97. Cap. 31. de off. iud. deleg. r) Exemplum eiusmodi specialis mandati habemus ad an. 1471. cum Paulus II. Mathiam Corvinum, propter correpta contra Hussitas Bohemos arma, pileo, enseqve solemniter donaturus, pro hoc actu, specialem Nuncium destinaverat Gabrielem Rangonium de Verona, ex Ord. FF. minorum, alias haeret. pravitatis apud nos Inqvisitorem; cuius gratia, haec inter cetera, fuerunt per Pontificem

ribus regionum, ad qvas ire iubentur. Experientia vero docet, largiri Nuncios qvaspiam dispensationes, et Indulgentias, qvae plenariae non sint; relaxare iuramenta; censuras tollere intra Provinciam Legationis; atqve delegationis creditae sibi speciatim, officio defungi. Munere hoc fungitur Nuncius Apostolicus Vindobonensis, qvoties Episcopi ditionum Hungaricarum, post sui ab Rege factam nominationem, solitum examen pera-

ordinata: „Qvando erit intraturus civitatem, op„pidum, seu castrum, ubi D. Rex residentiam „facit, et erit dies festus, de mane bona hora „exibunt obviam ei multi, ex qvocunqve statu, „et Magnates, et Principes de mandato Domini „Regis: et ipse Nuncius erit inter duos honora„biliores, seu potentiores, ibit etiam obviam ei „processio usqve ad portam Civitatis, seu Loci, „cantando hymnos etc. Et immediate ipse Nun„cius, et alii, cum viderint processionem, de e„qvis descendent, pro reverentia ipsius. - - Cum „vero processio intraverit Ecclesiam, sive fuerit „in partis Ecclesiae, cantabitur antiphona: *Ecce „ego mitto Angelum meum etc.*" Reliqvum ritum legere est ap. Pray. annal. H. parte 4. pag. 69. et ap. RR. Koller in hist. Ep. Qvinqv. T. IV. pag. 356.

gere debent, priusqvam Bullas confirmatorias a Pontifice conseqvantur. s) Iurisdictionem vero *contentiosam*, exerceri per Illum in hac Patria, leges nostrae haud patiuntur. Alibi qvoqve gentium, ubi iurisdictio ipsorum stabilita fuit, salvis duntaxat generalibus Ecclesiae constitutionibus, exerceri potest. t)

§. CXCVI.

Iura Patriarch. et Primatum.

Iura Patriarcharum olim praecipua, cum ad classem iurium, qvae Primatibus debentur, dudum sint redacta; neqve Canones faciant inter utrosqve discrimen, u) peculiarem tractationem a nobis minime deposcunt. Primates qvoqve, conspicuam olim potestatem, v) cum translatione maiorum causarum ad sedem Apostolicam sensim facta, (§.

s) Exempla leges in meis amoenit. hist. Eccl. Hung. fascic. IV. num. I. §. ult. t) Lege Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 21. cap. 2. num. 32. seq. u) Can. 1. et 2. dist. 99. Cap. 9. de off. iud. ord. v) Petr. de Marca diss. de Primat. adnexa operi inscripto de concord. Sac. et Imp. Richard Analysis Concil. T. IV. voce: *Primas.*

(§. CLXXXIII.) prorsus amiserunt; tanta ferme praediti hodie, qvantam singulari favore Pontificum obtinuerunt.

§. CXCVII.

Primatis Hung.

Memorata paullo superius iura, (§. CXCIV.) Strigoniensibus Archiepiscopis confirmata fuerunt a Pontifice, titulo non solum Legationis, verum etiam *Primatiae.* Petrus Pázmány, Primas et ipse Hungariae, haec sua iura taliter e iure communi recensebat: *ad Primatem appellant Episcopi: Metropolitani et Archiepiscopi obedire debent Primati.* w) *Absqve Primatis consensu, Metropolitanus non potest ordinare Episcopum.* x) *Causas etiam Episcoporum, qvas Metropolitanus finire non potest, Primas definit.* y) Fatendum est nihilominus, de ordinatione Praesulum, aliter esse pronunciandum hodie, postqvam Pontifex de more, ac (ut aiunt) de stylo Curiae, Bullis Episcoporum confirmatoriis, haec esse vult inserta: *nos ad ea, qvae in*

w) Can. 1. dist. 99. Can. 1. caus. XI. qv. 2. x) Can. 4. 5 dist. 65. y) Can. 3. caus. 6. qv. 4.

in tuae commoditatis augmentum cedere valeant, provide intendentes, tuis hac in parte suplicationibus inclinati, Tibi, ut a qvocumqve qvem malueris, Catholico Antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis, et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Archiepiscopis, seu Episcopis, similes gratiam et communionem sedis praedictae habentibus, munus consecrationis recipere valeas. Sed neqve Bulla novi Praesulis commendatitia, dirigitur ad Primatem, verum ad Metropolitanum, cui dicitur: *fraternitatem tuam rogamus, et hortamur, attente tibi per Apostolica scripta mandantes, qvatenus eundem N. Episcopum, ac praedictam Ecclesiam N. Suffraganeam tuam habens, pro nostra, et sedis Apostolicae reverentia propensius commendatos, in ampliandis, et conservandis iuribus suis sic eos tui benigni favoris auxilio proseqvaris, qvod idem N. Episcopus, per tuae auxilium gratiae, se possit in commisso sibi praedictae N. Ecclesiae regimine, utilius exercere.* z)

Ius

z) Imo iam in Bullis saeculi XIV. a Clemente VI. et Bonifacio IX. editis, idem ferme stylus obser-

Ius vero convocandae Synodi nationalis proprium Primati, apud nos qvoqve, non semel exercitum fuisse, commemoravi. (§. LXXXVII.)

§. CXCVIII.
Iura Metrop. in Suffrag.

Primatibus in Ecclesia Christi, succedunt Praesules Metropolitani. Qvorum qvaliacumqve fuerint olim iura: a) sensim diminuta, hodie ad isthaec ferme revocantur. I. Ordinariam exercent iurisdictionem in Suffraganeos non exemtos, uti et Vicarios eorumdem. a) II. In specie: Potestatem habent supplendi negligentiam eorundem in provisione Beneficiorum admissam. b) III. Commissam

vatur. Id qvod experiri licebit in Serie Episcopor. Chanadiensium, qvam adnexuit Ep. Transylv. C. Ign. de Batthyán S. Gerardi scriptis et actis, qvae typis mandavit Albae Carolinae, anno 1790. Qvae igitur iura allegabat Pazmanus ap. Péterffy Conc. Hung. T. II. pag. 286. ne qvidem eo tempore vigebant. a) Can. 2. caus. 9. qv. 3. Cap. 11. de off. iud. ord. Cap. 1. de off. Vicarii in 6. b) Cap. 3. de suplenda negl. Prael. Cap. 4. eod. in 6.

sam in danda absolutione ab excommunicationis censura. c) IV. Scripto probandi causas longioris absentiae Suffraganeorum a propriis Dioecesibus, nisi causa haec esset publica, notoria, et repentina. d) V. Denunciandi eosdem Papae, si non resederint in propria Dioecesi per annum. e) VI. Illos praeterea, in erigendis Clero seminariis nimium desides, admonendi, ac etiam cogendi. f) VII. Exercendi iurisdictionem in ipsos, ubi per legem non sunt exemti; atqve praemissa monitione, et correptione, usqve adeo censurae poenam infligendi. g) Qvod tamen Officiales eorum, seu Causarum Auditores, ob reverentiam dignitatis Episcopalis, ullo modo facere vetantur. h) Imo nec ipsi causas eorumdem criminales cognoscere possunt, ceu reservatas Papae, i) nonnullas autem Synodo Provinciali. k) VIII. Qvolibet trien-

nio,

c) Cap. 8. de off. iud. ord. d) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 1. e) Idem sess. VI. de ref. cap. 1. f) Idem sess. XXIII. de ref. cap. 18. g) Cap. 52. de sent. excomm. Cap. 2. de off. iud. deleg. in 6. h) Cap. 1. de off. Ord. in 6. i) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 5. k) Ibidem.

nio, nunc memoratam Synodum convocandi. l) IX. Sede Episcopali vacante, si pigrescat Cathedrale Capitulum, post dies octo dandi ei Vicarium Capitularem. m) IX. Imo suffraganeorum Dioeceses visitandi; n) attamen duntaxat causa cognita, probataqve per Concilium Provinciale. o)

§. CXCIX.
In eorum fideles.

Ne vero laedatur potestas Episcoporum, et ordo Ecclesiasticae disciplinae perturbetur, Metropolitani iurisdictionem exercere possunt in Dioecesibus Suffraganeorum, duntaxat in casibus iure definitis. p) Videlicet I. in casu appellationis ab Episcopi sententia factae. q) II. Cum actu visitat Provinciam, delicta notoria

l) Idem ead. sess. de ref. cap. 2. m) Trid. ead. sess. decr. de ref. cap. 16. n) Cap. 1. de censib. in 6. o) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 3. Vide praeterea ad haec omnia uberius condiscenda, Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 19. cap. 4. 5. 6. p) Cap. 11. de off. Iud. ord. q) Cit. nunc cap. item cap. 16. de off. Ord. in 6. Cap. 3. de appell. in 6. Trid. sess. XXIV. decr. de reform. cap. 20.

toria corrigere potest, r) confessionesqve fidelium audire. s) III. Sibi qvoqve in eodem visitationis actu, vel suis irrogatam ab aliqvo iniuriam, vindicare. t) IV. Exitialem exstirpare consvetudinem, qvando id suffraganei non agunt. u) V. Indignos prohibere a munere praedicationis, etiam in Dioecesibus Suffraganeorum. v) VI. Cessantes ab officiorum Divinorum celebratione Canonicos, iurisdictioni suorum Suffraganeorum subiectos, ad munus exeqvendum, etiam per censuras compellere, atqve imprimis eo casu, dum id praesumitur in Praelati sui contemtum. w)

§. CC.

Insignia, hisqve adn. pot.

At vero iura haec, tunc demum exercere potest Metropolitanus Antistes, cum a Pontifice conseqvutus est pallium Archi-episcopale, fasciam videlicet coloris nivei, contex-

tam

r) Cap. 1. de censibus in 6. Cap. 1. de poenis in 6. s) Cap. ult. eod. tit. in 6. t) Cap. 1. de poenis in 6. u) Cap. 18. de fil. Presb. Cap. 3. de institut. Cap. 36. de Simonia. v) Cap. 11. de privileg. etc. w) Cap. 13. de off. Iud. Ord.

-tam in circulum, digitos ferme qvatuor latam, ex qva duae rursum fasciae pendent, haec ad pectus, illa defluens ad tergum: ambae, uti et circulus, nigellis crucibus insignitae. x) Illud peti debet intra trimestre, a die consecrationis, et per consecratum, a die confirmationis computatum; y) concediturqve a Papa sumtum de corpore Beati Petri, z) verum praestito duntaxat fidelitatis iuramento. a) Cum eo Pontificalis officii plenitudo, nomenqve *Archiepiscopi* confertur. b) Hoc igitur necdum obtento, confirmatus licet, *Metropolitanus* qvidem, sed nondum *Archiepiscopus* nominari potest. Qvae sunt Ordinis Episcopalis, neqvit exercere, tametsi consecratus; c) nec illa, qvae sunt iurisdictionis, licet iam confirmatus. d) Minores tamen actus Iurisdictionis Episcopalis, modo fu-

x) Pagi in breviario RR. Pont. T. I. pag. 85. Macri Hierolexicon voce: *Pallium.* y) Can. 1. et 2. dist. 100. z) Cap. 3. de auct. et usu pall. Cap. 4. de elect. et electi pot. a) Cap. 4. de elect. b) Cap. 3. de auctorit. et usu pallii. c) Cap. 11. de elect. d) Cap. 28. de elect.

fuerit consecratus, exercere non vetatur. e) Nihilominus, Pallio qvoqve adfixa potestas, restringitur ad personam; nec enim vel commodari potest, vel transferri ad successorem, sed cum acqvisitore sepelitur. f) Neqve tunc valet pallium antehac obtentum, qvando ab una sede Metropolitana ad aliam transitur. g) Ad tempus qvoqve restringitur pallii usus; ad Missas videlicet solemnes, et Festivitates in Libro Pontificali nominatas. h) Item ad locum, puta, ad Ecclesias suae provinciae, i) forsitan etiam ad exemtas. k) Extra Provinciam suam, ut eo cum proprii Provinciae cuiuslibet Metropolitani facultate, possit uti, Canones minime vetant. Qvare Petrus Pázmány Strigoniensis Metropolitanus, Colocensi Me-

e) Cap. 11. 15. eod. tit. f) Cap. 2. de auct. et usu pallii. g) Cap. 4. de postulat. Praelator. h) Cap. 4. et fin. de auct. et usu pallii. i) Cap. 5. eod. tit. k) Eruitur ex cap. 1. eod. tit. propter generalia Pontificis verba: *Tradimus tibi pallium, ut eo intra Ecclesiam tuam utaris.* Veteres formulas in transmissione Pallii adhibitas, vide in Ordine diurno RR. Pont. ex editione Garnerii, Vindobonae reimpresso anno 1762. pag. 121.

Metropolitano, simulqve Nitriensis Episcopatus Administratori Ioanni Telegdy, facultatem anno 1625. largiebatur seqventem: *ut vita sua durante, in festis Nativitatis Christi Domini, Circumcisionis, Paschatis, Pentecostes, Assumtionis Beatissimae Virginis Mariae, ac Patroni Ecclesiae Nitriensis, pallio Archiepiscopali uti possit.* l) Solus Pontifex Romanus, in Missarum solemniis, pallio semper utitur ac ubiqve. m) Insigniis Metropolitanorum addenda est Crux elevata, qvae ipsis intra Provinciam praeferri ubiqve potest. n) Modo tamen praesens non fuerit Papae Legatus, utens Insigniis Apostolicae dignitatis. (CXCII.) Benedicit populo, Missamqve solemnem, in Pontificalibus ornamentis celebrat, o) et concedit XL. dierum Indulgentias, in locis qvomodolibet exemtis. p)

§. CCI.

l) Apud Pray in specim. Hier. Hung. parte 2. pag. 85. m) Cap. 4. de auctorit. et usu pallii. n) Cap. 1. ut lite pend. nihil innovetur. o) De his eleganter RR. Lad. Tempa, hodie Metrop. Strig. Eccl. Canonicus, Institut. de Sacris Christ. Ritib. parte 1. Cap. V. §. 30. p) Cap. 2. de privil. in Clem. Cap. 14. 15. de poenit. et remiss.

§. CCI.
Iura Spir. Metrop. Strig.

Specialia qvaedam iura, qvae Strigoniensi Metropolitano, vetustissima patrum aetate competebant, ad historicam potius, qvam ad Iuris Ecclesiastici tractationem spectant. q) Petrus Pázmány, iurium suorum optime gnarus, commemorat qvaedam iura, velut sedi suae Metropoliticae debita, e communi Ecclesiastico iure. r) Qveis adnumerandum est ius coronandi, ungendiqve Regis; firmatum

q) Ceteris non abs re silentio praetermissis, memoranda est iurisdictio in Curiam Regis atqve Reginae tam voluntaria, qvam et contentiosa. De qva docum. ap. Pray in specim. Hier. Hung. parte I. pag. 103. et áp. Katona hist. crit. R. H. tom. 4. pag. 669. item Iurisdictio in multas Ecclesias Collegiatas et Parochiales, velut Ordinario competens, in aliis Dioecesibus, etiam extra suam Provinciam existentes. Uti documenta probant ap. Péterffy Conc. Hung. tomo 2. pag. 288. seqq. Insuper Nicolaus Olahus Strig. Archiep. anno 1561. qvaedam recensuit vetera novaqve Strigoniensis Archiepiscopi privilegia. Vide ap. Pray cit. op. parte 1. pag. 142. seqq. r) Apud Péterffy cit. op. tom. 2. pag. 286.

tum concessionibus Romanis, in qvas Hungari, pro sua erga sedem Apostolicam reverentia, lubentes consenserunt, s) usu qvoqve perpetuo roboratum, et qvidem velut seqvela Pallii Archiepiscopalis; qvo nondum obtento, iuxta receptam Ecclesiae disciplinam, sacrae actiones tantum Episcopis propriae, imprimis autem illae, in qvibus intervenit unctio sacra, peragi minime possunt. (§. praec.) Addatur ius ungendae Reginae Hungariae; qvo iure munereqve, post literariam de illo concertationem, t) anno Domini 1792. Strigoniensis defunctus erat.

§. CCII.
Et iura profana.

Civilis autem potestas in patria nostra, tam Strigoniensis Archiepiscopi, qvam ceteros-

s) Docum. ap. Pray cit. op. parte 1. pag. 104. seq. item in Natalib. A. Ep. Coloc. pag. 41. et apud Koller in hist. Epp. Qvinqv. tomo 1. pag. 348.
t) Prodiit *de Iure coronandar. Reginar. Hung. disqvisitio.* Poson. 1792. Qvam seqvutae fuerunt *Reflexiones ad disqvisitionem de iure coronandar. Reginar. Hung.* Posonii eod. anno.

rorum qvorumvis Praelatorum, fundatur imprimis in isto Sancti Regis Stephani dicto: *regium solium ornat Ordo Pontificum, ac per hoc in Regali dignitate, tertium possident locum Pontifices.* u) Perpetua sane fert consvetudo, ut Archi-Praesul Strigoniensis, unus sit *e primis, qvi Regi consilio, et auxilio in omnibus arduis, et secretis Regni negotiis assistere debet.* v) Atqve istud Regni Hungariae leges, non tam confirmant, qvam supponunt. Expressit speciales Eius dignitates articulus 15. anno 1536. conditus, hisce verbis: *qvum RRmo Domino Archiepiscopo Ecclesiae Strigoniensis, ex eiusdem Ecclesiae antiqvis privilegiis, tanqvam Summo, et Secretario Cancellario Regio, iure competat, ut ipse, iuxta formam generalis decreti Regni, tanqvam Personalis Maiestatis Regiae Praesentia, unus ex Iudicibus Regni ordinariis esse censeatur. Tum igitur ex eo, tum etiam, qvod sit et Ungariae Primas: Maiestas*

u) Decr. lib. 1. cap. 3. v) Sunt verba epistolae a Bela qvarto missae anno 1252. ad Innocentium IV. Pont. ap. Mich. Horváth in Natal. Archiep. Coloc. pag. 57.

stas Regia, *inter Dominos Locumtenentem*, *et ceteros Ecclesiasticos consiliarios*, *ac iudices Regni ordinarios*, *eum faciet ordinem*, *ut idem Dominus Strigoniensis*, *et in consilio*, *et in iudicio*, *pro suo*, *et Ecclesiae suae honore*, *uti convenit*, *sua libere fungatur autoritate.* Qvamobrem competit ei conservatio sigilli Regii, qvod *sigillum duplex* nominatur. w) Ob molem vero negotiorum, qvibus obruitur, alter in iudiciis civilibus vicem eius obit, diciturqve *Personalis Praesentiae Regiae in iudiciis Locumtenens*, olim vir Ecclesiasticus plerumqve, x) deinceps autem propter causas criminales, vir saecularis, iurium peritus. y) Fuit insuper Strigoniensis Archiepiscopus, ad haec usqve tempora, su-

w) Decr. Lud. I. de an. 1351. in corp. iuris Hung. adde 1741. a. 10. 1751. a. 3. Pazmannus ap. Péterffy tom. 2. p. 287. De distinct. sigillor. regior. lege 1471. art. 8. Reipsa dudum ingeminatum sigillum maius, vigore art. 24. 1791. recepisse ex Cancellaria Hung. defunctum Primatem, notavit RR. Mich. Horváth, in statistice R. H. parte I. pag. 132. x) Vide 1486. a. 18. 1492. a. 37. et conclus. articulor. anni 1504. y) 1507. a. 4. 1514. a. 55.

premus, atqve perpetuus Comes provinciae Strigoniensis, ab antiqvissima aetate, qvod monumenta probant, z) et lex Regni testatur. a) Duos habet ad Regiam Tabulam assessores. b) In iudiciis non per seipsum, at per suos officiales iurat. c) In Bonis Archiepiscopalibus creat nobiles, dictos *Praedialistas*, a tricesimis, atqve tributis immunes; d) a solutione vero telonii eius qvoqve coloni, propter Domini sui respectum, immunes, per legem Regni pronunciantur. e) Dudum, usqve adeo ex proventu Regali partem decimam tollebat; f) iure percipiendi Piseti, g) hodieqve gaudet. h) Deniqve: per arti-

z) Docum. de anno 1274. in Hist. Epp. Agr. apud Schmitth tomo 1. pag. 199. atqve Leopoldus I. honorem hunc Archiepiscopo, *ab antiqvo esse proprium* asserebat ap. Kazi hist. R. H. lib. 9. pag. 61. a) In conclus. articulor. anni 1351. b) 1557. a. 13. 1567. a. 26. c) 1550. a. 64. d) 1563. a. 59. 1599. a. 41. e) Docum. anni 1239. ap. Pray in spec. Hier. H. parte 1. pag. 129. Adde 1557. a. 16. 1563. a. 59. f) Diploma Belae III. de an. 1198. Belae IV. de an. 1256. et 1263. Ladislai IV. de an. 1289. ap. Pray cit. op. et parte, pag. 128. seq. g) Ex italico: *Pesetto*, pondusculum. h) Ex cit.

articulum vigesimum qvartum anno 1791. conditum, iura Strigoniensis Archiepiscopi, et praerogativae, sua Maiestate Sacratissima annuente, pro confirmatis declarata fuerunt. Qvibus gratia Caesaris Augusti Caroli VI. inde ab anno Domini 1714. Principis Sacri Romani Imperii honor specialis accessit, nihilominus Regni Hungariae statutis, iuribus, privilegiis, et consvetudinibus, in salvo relictis. i) Pro qva gratia status, ac ordines Hungariae, in Comitiis anno seqvente congregati, aeternum sese obstrictos, ut contestarentur, huius rei memoriam, ad seram usqve potesteritatem transmittere voluerunt. k)

 §. CCIII.

Belae IV. diplomatib. Adde multos articulos in iure Hung. qvos videsis in cynosura: *Pisetarius*. Ex hoc Piseto Pazmannus cum Pontificis, et Ferdinandi II. Regis Hung. consensu, annua qvinqve millia transtulit anno 1624. ad honestam sustentationem nobilium invenum Hungarorum. Cuius literae leguntur ad calcem operis inscripti: *Commentaria de Germania sacra restaurata.* Adde 1741. art. 43. i) Legitur Diploma ap. Laurentium Károlyi in speculo Ecclesiae Iaurin. pag. 117. k) Anno 1715. art. centesimo undecimo.

§. CCIII.
Iura Metrop. Coloc.

Colocensis Metropolitanus, iura sua habet in iis fundata, qvae paulo superius adduxi. (§. CXCVIII. seqq.) Ius autem ipsius civile reperi in codice Iuris Hungarici, puta, in art. 25. anni 1464. qvo indulgetur, ut in Bonis Eiusdem, Dominicis, Festisqve diebus, Beatae Mariae Virgini sacratis, fora haberi possint. Supremi Comitis in Bachiensi Comitatu honos, gestus est per Antistites Colocenses, inde a Stephano de Wárda, et anno 1464. l) per Uladislaum II. iisdem *in perpetuum* collatus. m) Attamen filum praecidit in hac dignitate successioni Metropolitanis competenti, Regina Maria Theresia, qvum anno 1774. declarabat: Supremorum Comitum honores, Archiepiscopis, et Episcopis conferendos deinceps neutiqvam esse. n) Qva-

l) Vide Pray in specim. Hier. Hung. parte II. pag. 46. m) Vide inter epist. Petri de Warda, num. I. n) Resolutio Theresiana die 1. Maii, anno 1774. edita, sic ad verbum habet: „Firmum, de-„cretum est, Supremorum Comitum honores Ar-„chi- ac Episcopis imposterum non conferre; de-

Qvare concluseris: et hanc, et alias qvasqve dignitates, qvas *Baronatuum Regni* nomine compellamus, solius Regum arbitrii, non haereditatis esse.

§. CCIV.

Reqvis. ad pot. Episcopalem.

Seqvuntur Metropolitanos Episcopi Dioecesani. Qvi, ut multiplici, qvam exponemus, praediti sint potestate, necessum est, ut fuerint electi, vel postulati, aut certe nominati per eos, qvibus hoc iuris competit, o) et

„cedentibus itaqve, qvi in praesentiarum his Officiis praesunt, Episcopis, alia subiecta ex saeculari statu, Supremos Comites nominabo. Neqve Strigoniensis, et Vefzprimiensis Archi- ac Episcopi porro dignitatibus hisce investientur. Si qvi nefors titulo oneroso, in praefatorum Munerum possessionem venissent, congruam, qvae competere posset, indemnisationem petere, alioqvin non intermittent" Qvaeris: Undenam scripti huius Regii copiam obtinuerim? Respondebo: aut Vindobonae, ubi tunc Theologicam cymbam in altius iam pelagus provexeram: aut alibi, a viro, non sui tantum, sed etiam alieni profectus amante. o) Espen iuris Eccl. univ. parte 1. tit 13. cap. 1. seqq.

et a Pontifice Romano confirmentur. (§. CLXXXIII.) Nondum confirmati, de stylo Decretalium, *Electi* nominantur. p) Consecrentur postea vel a tribus Episcopis iuxta morem antiqvissimum, q) vel ab uno, qvem delegerint, Catholico Antistite, gratiam et communionem sedis Apostolicae habente; r) accitis, et assistentibus duobus, vel tribus Catholicis Archiepiscopis, seu Episcopis, eamdem gratiam habentibus. (§. CXCVII.) Qvod fieri oportet intra trimestre, ab obtenta confirmatione computandum. s) Nam confirmatio, tribuit qvidem potestatem iurisdictionis externae; t) verum, qvae sunt Ordinis, consecra-

p) Espen ead. parte, tit. 14. cap. 4. num. 2. q) Ex epist. S. Cornelii Papae electi an. Christi 252. ad Fabium Antioch. data, et ab Euseb. hist. Eccl. lib. 6. cap. 43. relata, novimus, Novatianum Urbis Romae Episcopatum, adversus eumdem Cornelium, neqviter ambientem, misisse, ut e vilissima Italiae parte venirent tres Episcopi, a qvibus crapula oppressis ordinatus erat. r) Iuxta cap. 10. de off. iud. ord., et ex Bullae stylo. s) Can. 2. dist. 75. qvi est canon Conc. Chalced. Trident. sess. XXIII. de ref. cap. 2. t) Espen parte 1. tit. 15. cap. 5. num. 3.

secrationem seqvuntur. u) Praecedere debet consecrationem fidei Catholicae professio, et fidelitatis iuramentum, ipsi Bullae confirmatoriae insertum. Qvod cum iuramento legitimis terrae Principibus praestari solito, probe conciliari, vel hoc unum evincit, qvod cum illud possent impedire, nullatenus velint. v) Praeter haec omnia, iuramentum illud, consecrati manu signatum, uti et Annatarum taxa solita, w) Romam transmitti debet.

§. CCV.

Distinctio iurium.

Eam potestatem, qvam Episcopi partim confirmatione, partim consecratione sunt conseqvuti, seqvuntur I. Iura Ordinis, ex ipso nimirum caractere manantia. II. Iura iurisdictionis, qvae consistunt in agendo, vel impertiendo. III. Iura Dioecesana, qvae sunt po-

u) Ibidem num. 5. v) Espen eod. tit. cap. 2. Illustris Lakics in praelect. Canonicis *de legitimâ Epp. instituend. etc. ratione* §. 135. w) Taxationem proventuum Episcopalium sub Corona H. existentium, in Camera Apost. dudum factam, lege ap. Szentiványi dissert. paralipom. catal. 38. et 74.

posita in accipiendo. x) IV. Iura dignitatis, qvae in splendore functionum sacrarum, et qvorumdam Insignium proprietate consistunt.

§. CCVI.
Iura Ordinis.

Ad classem primam refertur ius administrandi Sacramentum Confirmationis, et Ordinis; conficiendi oleum catechumenorum, infirmorum et chrisma; consecrandi Ecclesias, et pollutas reconciliandi. Benedicendi Abbates, ac Abbatissas, ceterasqve virgines Deo per votum consecratas. Vasa item, vestimentaqve, Divino cultui destinata; prout etiam campanas. Qvorum pleraqve, Presbyteris etiam delegari posse, Theologi tradunt.

§. CCVII.

x) Fundamentum est in cap. 18. de off. iud. ord. Aiunt, primum fuisse Ioannem Hugutionem glossatorem, qvi novam distinct. excogitavit, inter legem *Dioec.* et legem *iurisdict.* qvam primus adoptaverit Honor. III. Mentio est legis Dioecesanae can. 1. caus. X. qv. 1. item can. 34. caus. XVI. qv. 1. sed alio sensu; ut nempe sacram potest. per totam semet Dioec. extendentem significet.

§. CCVII.

Iura iurisd. a qvo accepta?

Expedituro iura iurisdictionis, adhaerendum est in ea qvaestione; num, stante hac veritate Catholica: qvod Episcopalis iurisdictio in Christi fundetur institutione, (§. XXVIII.) et ab Eo sumatur *radicaliter*, immediate nihilominus, et *formaliter*, a Pontifice Romano debeat obtineri? Disputatum est ea de re in Concilio Tridentino, mansitqve lis indecisa. y) Didaci Lainez Praepositi Generalis soc. Iesu, qvi sententiam ibi propugnatam consectantur, hoc alterum asseverant ex eo potissimum capite, qvod ipsum hoc affirmaverint: S. Cyprianus Episcopus, z) Vigilius, a) Nicolaus II. b) et Innocentius III. c) Pontifices Romani. Ex qvorum dictis eruitur, particulares Ecclesias procedere ab Ecclesia Romana; Praesules earum vocatos esse

y) Pallavic. Hist. Conc. Trid. Lib. XVIII. cap. 15. Lib. XIX. cap. 6. num. 3. Natal. Alex. in hist. saec. 16. dissert. XII art. 13 num. 2. z) In tract. de unit. Eccl. sub. ann. 255. a) Apud Gratian. Can. 12. caus. II. qv. 6. b) Ibid. Can. 1. dist. XXII. c) Cap. 4. de auct. et usu pallii.

esse in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Addunt: iurisdictionem esse nullam sine populo; illam igitur ab eo conferri, qvi hunc assignat. Qvod fit utiqve a Pontifice Romano, cum nullibi praeceperit Christus Dominus, ut Episcopus isthic potius, qvam alibi suo munere defungatur. d) Qvi vero Petrum de Soto, ex Ordine S. Dominici Theologum, et in eadem Tridentina Synodo, sententiam oppositam propugnantem, seqvi malunt: veteribus aiunt, hanc distinctionem prorsus ignotam fuisse. Imo didicisse illos a vetustissimis Ecclesiae Magistris, Episcopos non Romani Pontificis, verum ipsius Christi vices obire. Nam S. Ignatius Episcopus, et M. aiebat: *studeamus ergo Episcopo non resistere, ut simus subiecti Deo: et qvanto qvis humaniorem viderit Episcopum, magis eum revereatur. Qvemcunqve enim Paterfamilias misit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum, qvi misit. Manifestum igitur est, qvod Episcopum respicere oporteat, ut ipsum*

d) Plura apud Remigium Maschat, in institut. Canon. Lib. I. tit. 31. num. 12.

ipsum Dominum. e) S. Ambrosius: *Episcopus personam habet Christi, Vicarius Domini est.* f) S. Augustinus: *Antistitem Dei, puriorem ceteris esse oportet. Est enim Vicarius eius.* g) S. Basilius: *Nihil aliud est Antistes, qvam is, qvi personam Christi sustinet.* h) Addunt: tredecim Ecclesiae Christianae saeculis, electionem, et consecrationem cuiusvis Episcopi, fuisse iuris Metropolitani, ceterorumqve provinciae eiusdem Antistitum; ac saeculo demum qvarto decimo, cum reservatione conferendorum Episcopatuum, confirmationes qvoqve Antistitum, ad Romanum Pontificem transferri coepisse. i) Cetera inter, hoc etiam addunt: non potestatem Episcoporum, sed exercitium potestatis, restringi posse. Nam Princeps qvoqve, Iurisperito licentiam docendi potest, adimere, vel concedere, verum docendi habilitatem, doctrinamqve dare ipsi, vel auferre non potest.

§. CCVIII.

e) Epist. ad Ephes. num. 6. f) Commentar. in 1. ep. ad Corinth. cap. 11. v. 10. g) Qvaest. vet. et nov. Test. cap. 127. h) In constitut. Monast. cap. 22. i) Espen Iuris Eccl. univ. parte 1. tit. 14. cap. 1.

§. CCVIII.

Extensa in non exemtos.

Illa igitur qvaestione in salvo relicta, id, qvod certius est, tractandum venit; de iurisdictione videlicet Episcopi in omnes Dioecesanos extensa, illis duntaxat exceptis, qvi privilegio qvodam exemti ab illa fuissent. Contestatus fuerat istud Bonifacius VIII. Pontifex, hisce verbis: *cum Episcopus in sua tota Dioecesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere: dubium non existit, qvin in qvolibet loco ipsius Dioecesis, non exemto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire, personas Ecclesiasticas, cum earum excessus exegerint, capere, ac carceri deputare, nec non et cetera, qvae ad ipsius spectant officium, libere exercere.* k) Ut adeo nulla, qvantumlibet generalis cuiuscumqve exemtio, subtrahat eumdem a iurisdictione Episcopi in his, qvae curam spiritualem plebis, et regimen Ecclesiae concernunt.

§. CCIX.

k) Cap. 7. de off. ordinarii in 6.

§. CCIX.

Certis modis exercentur.

Curam hanc, et regimen, cum ob multitudinem populi Christiani, per se immediate non possint exercere Praesules, verum indigeant subsidiariis Ecclesiae ministris, et pastoribus, relinqvitur illis: I. potestas instituendi personas, qvibus ministerii partem credere tuto possint. II. Ius ferendi pro sua Dioecesi constitutiones, tam in Synodis, qvam per literas pastorales. Iudicandi qvoqve, et aberrantes puniendi. III. Qvorumdam peccatorum absolutionem, sibimet retinendi. l) IV. Controversias Clericorum, et saecularium, tam natura sua spirituales, qvam et civiles, attamen a saeculari potestate, ad spirituale forum translatas, decidendi. Id, qvod intra biennium, a die citationis computandum fieri debet; alioqvin iudex superior adeundus erit. m) V. In lege universali, circumstantiis ita exigentibus, dispensandi. (§. CLXIV.) Haec autem qvantacumqve potestas, exerceri potest duntaxat intra limites propriae Dioesis,

l) Trid. sess. XIV. decr. de sacram. poenit. cap. 7.

m) Ead. Syn. sess. XXIV. de reform. cap. 20.

sis, ne secus fiat perturbatio in regimine Ecclesiarum. n) Potest nihilominus etsi absens ab Ecclesia sua Praesul, exercere iurisdictionem in suos; qvae postmodum intra propriam Dioecesim exeqvutioni detur. Nam hoc pacto non laeditur ius Episcopi alieni. Qvisqve autem Antistes, licet absens, iurisdictionem in suos non amittit. o)

§. CCX.
Iura Iurisd. in Eccl. Hung.

In hac patria, qvam incolimus, ubi communes Ecclesiae leges, vigorem suum plerumqve retinent, (§. CVIII.) Antistites, praeter communia iurisdictionis iura, qvaedam singularia habent. Etenim teste Pazmano Archipraesule, *usus in Ungaria obtinuit, ut, qvamprimum Regia Maiestas, aliqvem Episcopum nominat, ea qvidem, qvae Ordinis sunt, nullo modo attingat, qvae tamen ad iuris-*

n) Ap. Grat. can. 8. et 9. caus. IX. qv. 2. Trident. sess. VI. de reform. cap. 5. o) Ap. Grat. can. 8. et 9. caus. 9. qv. 2. Trident. sess. VI. de reform. cap. 5. o) Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 16. cap. 5. et duob. seqv.

risdictionem spectant, omnia exeqvatur. Nam beneficia confert, reditus percipit, habitu Episcopali utitur, ab omnibus Electus Episcopus scribitur, locum, ac ordinem in sedendo, et sententiis dicendis, sicut in Comitiis Regni, sic et in Synodis habet. p) Imo Antonius Electus Nitriensis, anno 1494. Dioecesanam Synodum iure proprio convocatam, celebravit. q) Episcoporum praeterea iudiciis relinqvunt leges nostrae Hungaricae, negotia mysteriorum Religionis, fidei, haereseos; viduarum, et miserabilium personarum causas, dummodo non agatur de possessionibus, praediisqve obtinendis; r) uti, et causam fidei violatae, periurii, et qvaslibet alias, qvarum finis ad correctionem spiritualem tendit. s) Qvemadmodum etiam causas censurarum; t) item causas matrimoniales, tum accessoria illarum. u) Et causae qvidem sunt: sponsalia, impedimenta tam impedientia,

p) Apud Péterffy in Conc. Hung. T. I. pag. 77. q) Acta leguntur nunc cit. Tomo pag. 258. r) Art. 3. 1462. s) Idem act. praeterea art. 9. 1458. a. 46. 1492. t) Omnes nunc cit. art. qvibus adde art. 17. 1464. u) Iid. art.

tia, qvam dirimentia; causae item separationis a thoro, atqve mensa. Matrimoniorum autem accessoria sunt, dotes, res paraphernales, et qvartalitiorum iura. Qvae ceteroqvin omnia, iure etiam communi Ecclesiastico, ad fora Episcoporum spectarent. v) Addatur ius, de solemnitatibus testamentorum externis, sententiam proferendi. w) Qvam in enumeratis modo negotiis legitime latam, iurisdictio saecularis, penes literas, qvas dicunt *Compassuales*, exeqvi tenetur. x) Ius deniqve Praesulibus nostris est, per proprias literas, notoriis eorum sigillis munitas, procuratores pro parte sua constituendi. y)

§. CCXI.

v) Antea ad fora Episcop. tam ex usu, qvam ex fundamento legum nunc adductarum, causae matrimoniales etiam Evangelicorum utriusqve confessionis pertinebant. Sed iam ob articulum 26. anni 1791. desierunt eo pertinere. Nisi pars una sponsorum, vel coniugum Catholica esset. w) Praeter allegatas leges ann. 1462. 1464. 1492. adde art. 15. 1647. et art. 27. 1715 x) Art. 25. 1552. art. 29. 1662. art. 28. 1729. y) Tripart. parte 2. tit. 13.

§. CCXI.
Iura Dioecesana.

Inter iura Dioecesana, cunctis Praesulibus communia, refertur *Cathedraticum;* videlicet certa pensio, Praesuli Dioecesano solvenda qvotannis, in signum subiectionis, et honorem Cathedrae Episcopalis; ac simul ad Eiusdem officii onera, facilius sustentanda. Qvae cum praestaretur olim in Synodo, etiam *Synodaticum* adpellatur. z) Dein memoratur *collatio*, seu charitativum subsidium, qvod in casum urgentis admodum necessitatis, Episcopo praestari posse, iura supponunt. a) Isthuc pertinet *procuratio canonica*, qvae facienda supponitur in victu, et hospitio] a Parochis, Praesuli suo, canonicam visitationem actu peragenti. b) Reliqvis praestationibus, qvae apud nos ignotae sunt, c) omnimode praetermissis, commemorandae veniunt *deci-*

z) Cap. 16. de off. iud. ord. Cap. 9. de censib. Bened. XIV. de Syn. D. lib. V. cap. 6. et seq. a) Can. 6. et 7. causa X. qv. 3. Cap. 16. de off. iud. ord. b) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 3. Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 17. cap. 2. c) Cit. cap. 16. de off. iud. ord.

mae; d) qvae nominis virtute partem decimam fructuum Episcopo dependendam significant: sed cum hoc praestationis genus admodum variet, aptius dicitur, portio qvaedam proventus, lege vel consvetudine determinata, qvam Dominus proventuum praestare debet. Cum vero decimae sensu hoc intellectae, praestentur etiam aliis de Clero, sermonem de his, alteri loco reservamus.

§. CCXII.

In Eccl. Hung.

In Ecclesia Hungarica Dioecesani Praesules, cathedraticum, synodaticum, et procurationem canonicam non habent. Collationis autem exigendae facultatem lex eis domestica, vice unica indulget, cum sunt persolvendae Romam annatae. e) Verum et haec

d) Cap. 20. et 31. tit. de decimis Ecclesiam Hung. nominatim adtinet. Illud, pars est rescripti a Lucio III. an. 1181. ad Nicolaum huius nominis primum A. E. Strig. dati: istud Innocentii III. anno 1210. ad Robertum Vesprimiensem missi. e) Art. 69. 1498. a. 12. 1504.

haec desiit, postqvam Episcopatus, Regum Apostolicorum liberalitate, dotatos videmus.

§. CCXIII.
Iura dignit. Sacrae.

Inter iura dignitatis Episcopalis, numeratur insignis in Hierarchia locus. Proprium ius qvorumdam insignium, qvae per consecrationem obtinentur, videlicet: mitrae, baculi pastoralis, annuli, crucis pectoralis, chyrothecarum, dalmaticae, tunicellae, et sandaliorum. f) Facultas concedendi fidelibus indulgentias; g) die nimirum, qvo dedicatur Ecclesia, unius anni, et qvadraginta dierum, in anniversario dedicationis huius die. h) Datur illis praeterea occasione confirmationis Romanae, potestas largiendi qvaspiam indulgentias, qvae non in codice iuris Ecclesiastici, verum in speciali Pontificis indulto fundantur.

 §. CCXIV.

f) Espen parte 1. tit. 15. cap. 3. Macri Hierolexicon, in his vocib. et laudatus alias RR. Tompa institut. de sacris Christ. Ritib. parte I. cap. V. §. 30. g) Cap. 12. de excessib. Praelator. h) Cap. 14. de poenit. et remiss.

§. CCXIV.
In Ecclesia Hung.

Inter iura Praesulum Ecclesiae Hungaricae peculiaria, referri merentur, qvae alias e Pazmanni testimonio recensui. (§. CCX.) Qvod autem recensebo, proprium est duntaxat uni. Ius pallii Archiepiscopalis, qvod Calano Qvinqveecclesiarum Episcopo, sub finem saeculi XII. collatum est, sub Georgio Klimo, ad petitionem Augustae Mariae Theresiae, per Benedictum XIV. postliminio restitutum fuit, hoc pacto, ut idem Georgius Episcopus, *et eius successores, Ecclesiae Qvinqveecclesiensis Praesules pro tempore existentes, de cetero perpetuis futuris temporibus sacrum pallium in solemnitatibus*, et *functionibus in Pontificali Romano descriptis, induere, et gestare, ac etiam crucem adinstar Archiepiscoporum ante se elevari, et gestari facere, in dicta Qvinqv. Civitate, et Dioecesi duntaxat, et non alibi omnino, sive in alienis Dioecesibus, sive in praedicti Hungarici Regni Comitiis, sive in qvibusvis aliis locis Episcopo praefato non subiectis, etiamsi Ordinariorum locorum licentia ad id ac-*

ce-

cederet, nec etiam in dicta Civitate, et Dioecesi Qvinqv. in praesentia alicuius ex S. R. E. Cardinalibus, vel Papae, et eiusdem sedis Apostolicae ordinarii, vel extraordinarii Legati, seu Nuncii, vel Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis huiusmodi nullitate; et dummodo qvoad pallium praedictum tam ipse Georgius, qvam illius successores, Qvinqveeccl. Episcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica sede, servatis de iure vel consvetudine servandis, et postulare, et consveto fidelitatis debitae iuramento edito recipere, aliaqve in similibus observari solita, adimplere teneantur, nec ante acceptum pallium, erectae crucis gestationem sibi licitam esse noverint; utqve demum, salvo in omnibus iure Metropolitico Ecclesiae Strigoniensis, illiusqve Archiepiscopi pro tempore existentis, et nihil immutato praecedentiae ordine inter Episcopos Qvinqveecclesienses, aliosqve Episcopos, sive eiusdem, sive alterius Provinciae, hactenus, de iure, usu, aut consvetudine, in qvibusvis functionibus, consessibus, aut Comitiis servari solito, huiusmodi

Pon-

Pontificalis honoris insigniis uti libere, et licite possint. i) Cum porro hoc pallium, detur Episcopis non metropolitanis, in meram honoris significationem, nec peti illud debet, neqve ex eius defectu, impedita est Episcopalis potestas. k)

§. CCXV.
Et iura dignit. Civil.

Inter iura dignitatis civilis, qvibus Episcopi Ecclesiae Hungaricae gaudent, memorandum est imprimis illud, qvod ex principio nuper commemorato, (§. CCII.) primum a Rege teneant locum, tam illo praesente, qvam etiam in Comitiis Regni. l) Non modo titulum *Consiliarii Regii*, plerumqve *in-*

i) Bulla haec data Kalen. Sept. 1754. praeterqvam in Originali suo loco, etiam in Bullario Romano legitur Tomo XIX. pag. 113. edit. Luxemb. anni 1758. Adde Bened. XIV. de Syn. D. Lib. XIII. cap. 15. Item de Calano cap. 15. de praesumpt. et cap. 12. de purgat. canon. Deniqve RR. Koller in Epp. Qvinqv. T. I. pag. 236. seqq. et Pray in specim. Hier. H. T. I. pag. 236. seqq. k) Bened. XIV. de Syn. D. L. II. cap. 6. num. 4. l) Lege Tripart. parte I. tit. 2. Omnium praeterea

intimi status, verum et munus gerant, partim in Cancellaria Regia Hungarica, partim in Consilio R. Locumt. Hungarico, partim deniqve in Curia Regis, qvae causas, litesqve decernit. m) Et, cum ante hos octo supra viginti annos, pleriqve, supremi Comitis munere fungerentur, n) nuper Agriensis, Comi-

diplomatum Regiorum, et plerorumqve art. Dioetalium clausulas. m) Adnotavit Pray in specim. Hier. H. parte I. pag. 149. petitionem Praelator. Hung. seqventem, una cum resolutione, nec tamen anno apposito: „Beatissime Pater! Qvoniam „propter consvetudinem et morem patriae, Prae„lati Regni Hung. debent, et tenentur interesse „iudiciis saecularibus, et nonnunqvam etiam in „causis criminalibus, qvamvis nulla dent vota, „tamen ut in conscientia sint tuti, suplicant Ve„strae Sanctitati pro dispensatione, et absolutione, „ne interessendo huiusmodi iudiciis, incurrant a„liqvam suspensionem, irregularitatem, aut aliam „qvamvis censuram Ecclesiasticam, et si incuris„sent hactenus, petunt dispensationem, et abso„lutionem, a praedecessoribus etiam Vestrae San„ctitatis, semper habuerunt facultatem, et licen„tiam. *SS. Dominus annuit. C. Sancti Georgii.*" n) Episcopo Nitriensi Thomae, dignitatem Supremi Comitis eiusd. provinciae, confirmavit Mathias

mitatuum Heves, et exterioris Szolnok articulariter unitorum *supremus ac perpetuus Comes* salutabatur. o) Zagrabiensis, hodieqve supremi ac perpetui Comitis I. Comitatus de Berzencze titulum gerit. p) Suos qvoqve habet nobiles *Praediales*, tam in Bonis Episcopalibus, qvam in Bonis Abbatiae B. M. V. de Topuszka, eius Episcopatui, perpetuo unita. q) Iaurinensis creat nobiles Praediales in sede Vetse, et Tapolczafö; cuius una perpetuus supremus Comes est, atqve collator. r) Epi-

Rex anno 1468. Rudolphus anno 1633. perpetuam esse instit. Vide Schmitth in Epp. Agr. T. II. pag. 80. Eundem in Com. Biharien. Episcopis M. Varad. an. 1464. in perpetuum addixit Mathias. De qva re Bonfin. rer. H. dec. 4. lib. 1. Restituit Wladislaus anno 1494. Pray Hier. H. parte II. pag. 151. Ganoczi in Epp. M. Varad. parte 2. pag. 357. Amissum denuo, Augustinus Benkovich Ep. M. Varad. anno 1687. iterumqve 1697. revindicavit. Ganoczi cit. loco. Causam cessantium eiusmodi honorum adduxi §. CCIII. in nota. o) Fundamentum utiqve est in art. 56. 1514. p) Ex diplom. Lud. IV. de an. 1277. ap. Kercselich in Hist. Eccl. Cath. Zagrab. pag. 89. q) Docum. de utroqve cit. nunc op. pag. 48. seq. r) Vide P. Romani a S. Venantio Carmelitae

Episcopus Weszprimiensis Stephanus II. in eiusdem nominis Comitatu supremi, perpetuiqve Comitis dignitatem, anno Christi 1313. consequutus erat. s) A prima vero Ecclesiae Weszprimiensis fundatione, huius Praesul, munus atqve titulum gerebat *Cancellarii Reginalis*; t) qvi collatus aliqvoties etiam aliis, u) rur-

Syllabum Praesulum Iaurinen. pag. 99. item Orat. RR. Mich. Paintner, die 7. Iunii 1791. dictam, dum idem Praesul muneris huius sui possessionem caperet; et alteram Comitis Antonii Amade de Várkony in ipso consessu in Tapolczafö recitatam. s) Vide Ioann. Róka in Epp. Weszpr. pag. 186. ubi MS. qvo usus est, haec verba adducit: *Hic anno* 1313. *decimas suas de maiori insula dedit Carolo Regi, a qvo in concambium accipit pro se, et successoribus suis Episcopis, honorem supremi Comitis, et fori tributum.* etc. t) Id testatur Ladislaus IV. anno 1274. qvod integrum legitur ap. RR. Ignatium Bärnkopf in *disqvisitione de iure coronandar. Reginarum Hung.* pag. 23. u) Mihi in promtu sunt, siqve locus admitteret, etiam documentis fulcirem: Akus Custos Albensis 1249. Ioannes Praep. Scepus. 1263. Philippus Vaciensis Episcopus 1272. seqq. Lucas Praep. Strigon. 1280. Thomas Ep. Vacien. 1281. Andreas Ep. Agrien. 1291. Paulus Praep. Scepus. 1309. Deinde repe-

rursum anno 1425. per Sigismundum Regem, pristino possessori reddebatur, cum iure qvotannis 500. marcas, e Regali Tricesima Iaurinense percipiendi. v) Qvamvis autem hoc emolumentum penitus desierit, nihilominus Antistes Weszprimiensis, hodiedum *Serenissimae Reginae Hungariae Aulae Cancellarius* nominatur. Cui praeterea, Eamdem coronandi qvoqve honorem, a tempore fundati Episcopatus competere, Ladislaus IV. anno 1276. contestatus fuit. w) De iure autem un-

rio septem sibi succedentes Episcopos Weszpr. hoc titulo usos. At vero ad ann. 1384. comparet Nicolaus Praep. Scepus. Ad ann. 1388. et seq. Ioannes de Kanysa A. Ep. Strigon. Ad an. 1423. et seq. Ioannes Episc. Zagrab. Denuo autem a restituta hac dignitate per Sigismundum, lego qvinqve Episcopos Weszpr. tit. hoc usos. Rursum vero hoc titulo usus est ad ann. 1525. Ioannes Gosthon de Szeleste Episcopus Iaur. postulatus Albensis Transylv. Plura me deficiunt usqve ad Martinum Biró de Padany Ep. Weszp. qvi hoc titulo usus fuit. v) Fragm. diplomatis ap. Pray cit. toties op. parte I. pag. 284. integrum ap. RR. Bärnkopff cit. op. pag. 45. w) Diploma ibid. pag. 22.

ungendi sacro chrysmate Reginam occasione coronationis, qvod Elisabetha Regina anno 1280. salvum omnino supponebat, x) tam anno 1437. inter Georgium de Palocz Strigoniensem, et Simonem de Rozgon Vesprimiensem: y) qvam et anno 1792. exorta qvaestio fuit. Cuius decidendae causa, non Romam, ut olim, z) sed ad Regis Aulam est recursum; atqve feliciter, hodie regnantis Mariae Theresiae peracta unctio ab Archiepiscopo Strigoniensi, Corona vero domestica, eiusdem sacro vertici, per Episcopum Weszprimiensem imposita fuit. Una superest dignitas memoranda, qvae solum uni Ecclesiae Hungaricae Praelato conferri potest: nimirum Praelatura Insignis Ordinis S. Stephani Regis Apostolici, die 6. Maii anno Domini 1764. per Apostolicam Reginam Mariam Theresiam instituti. Cuius excelsae constitutiones, capite XII. hoc modo decernunt: *ut autem haec Eqvitum societas, sua, pro instituti natura, habeat officia, hi, qva praecipui, per*

Nos,

x) Diploma ibid. pag. 26. y) Apud Pray cit. op. et parte pag. 286. z) Docum. in cit. disqvisit. pag. 15.

Nos, et Ordinis Ministerium constituti sunt: Praelatus Ordinis, qvi ex viris in eminentiori Ecclesiastica dignitate constitutis, per Nos, qva Summum Ordinis Magistrum, nominabitur. Ad huius munia pertinet, cum Festum Ordinis agetur, consveta Sacrorum solemnia peragere. a) Hanc Dignitatem postremus tenebat Strigoniensis Archipraesul Iosephus e Comitibus de Batthyán, die 23. Oct. anno 1799. vita functus; cui in ista Praelaturae dignitate, nemo in hunc usqve diem successit.

§. CCXVI.
Comm. Epp. obligat.

Expositis Episcoporum iuribus, munera qvoqve Illorum, praeteriri silentio non debent. Igitur secundum Pauli Apostoli doctrinam, a Domino constituti sunt, ceu Pastores et doctores *ad consumationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi;* b) ceu Episcopi, ut et sibi attendant,

a) Apud Carolum Seelmann in opp. Hung. de Ord. Eqvestr. Europae. Claudiop. 1793. pag. 160.

b) Ad Ephes. IV. 12.

dant, et universo gregi, in qvo illos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei. c) Nam, ut B. Augustinus aiebat: *Episcopi nomen est operis, non honoris. Graecum est enim, atqve inde ductum vocabulum, qvod ille, qvi praeficitur eis, qvibus praeficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. Ut intelligat Apostolus, non esse Episcopum, qvi praeesse dilexerit, non prodesse.* d) Qvapropter Concilium Tridentinum aiebat, optandum esse, *ut ii, qvi Episcopale ministerium suscipiunt, qvae suae sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, et sollicitudines, pro Dei gloria vocatos esse, intelligant.* e)

§. CCXVII.

Singillatim enarratae.

Verum haec generalia sunt. Speciatim vero praecipit universalis Ecclesiae lex Episcopis I. ut obtenta sui confirmatione, intra tri-

c) Act. XX. 28. d) L. XIX. de civit. Dei, cap. 19. e) Sess. XXV. de reform. cap. 1.

trimestre consecrentur. f) II. Ut resideant in propria Dioecesi. *Cum enim* docente sacra Synodo Tridentina *praecepto Divino mandatum sit omnibus, qvibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbiqve Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumqve miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia Pastoralia incumbere, qvae omnia neqvaqvam ab iis praestari, et impleri possunt, qvi gregi suo non invigilant, neqve assistunt, sed mercenariorum more deserunt:* g) iam sua sponte conseqvitur necessitas residendi apud eam portionem gregis Christiani, qvae cuivis a Domino credita fuit. Et qvoniam illis, *qvi legitimo impedimento, seu iustis et rationabilibus causis cessantibus*, per sex continuos menses extra suam Dioecesim commoraretur, certae poenae fuerant dictatae, h) ne qvis decretum, in pravum detorqvendo sen-

f) Trident. sess. XXIII. de ref. cap. 2. g) Sunt verba ex Trid. sess. XXIII. cap. 1. de reform. h) Trident. sess. VI. de ref. cap. 1.

sensum, inferret, per menses qvinqve liberam esse absentiam: correxit hanc opinionem sacra Synodus, causam assignans licitae absentiae, puta, *Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Ecclesiae, vel Reipublicae utilitatem.* Addens: *illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra praedictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id aeqva ex causa fiat, et absqve ullo gregis detrimento.* i) Obligatio hinc fluit, vitandi pluralitatem Ecclesiarum Cathedralium, aut qvorumvis Beneficiorum, qvae curam animarum deposcunt, *cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit.* k) IV. Obligatio, Deum precandi, ac incruentum Sacrificium, pro salute plebis suae Domino offerendi. *Omnis namqve Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constitui-*

i) Idem sess. XXIII. cap. 1. de ref. k) Idem sess. VII. de ref. cap. 2. Adde can. 1. dist. 89. item cap. 1. de consvet. in 6.

tuitur in iis, qvae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. l) Idcirco scribebat Paulus Apostolus Colossensibus ad Christi fidem conversis: *non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia, et intellectu spiritali* m) V. Obligatio dirigendi privatam populi atqve publicam devotionem, ne qvid superstitionem redolens irrepat. Nam *qvaecumqve in Dioecesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atqve iis, ubi oportet, provideri aeqvum est;* n) utqve diligenter provideatur, exemplo docuit gentium Apostolus; qvo cohortante in Ephesiorum urbe, multi veniebant confitentes, et annunciantes actus suos. *Multi autem ex eis, qvi fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.* o) Idem Apostolus, praescribens observandum ordinem in conventu sacro, tandem addidit: *omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant.* p) VI. Obligatio provi-

l) Ad Hebr. V. 1. m) Ad Coloss. I. 9. n) Trident. sess. XXI. de ref. cap. 8. o) Act. XIX. 19. p) 1. Cor. XIV. 40.

videndi, ut per Seminariorum institutionem, apti formentur animarum pastores. q) VII. Obligatio curandi, ut dignitates in Ecclesiis, praesertim Cathedralibus conferantur viris, *qvi suo muneri respondere possint.* r) VIII. *Qvia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, qvam Clericos*: s) curare debet Episcopus, ne inferiorum culpae redundent in ipsum; qvod fit desidibus negligentibusqve rectoribus, *qvi multam saepe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* t) Ceterum, *licet nonnumqvam accidant, qvae in Sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, qvam severitas, plus cohortatio, qvam comminatio, plus charitas qvam potestas. Sed hi, qvi, qvae sua sunt, qvaerunt, non qvae Iesu Christi, facile ab hac lege discernuntur: et dum dominari magis qvam consulere subditis qvaerunt,*

q) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 18. r) Idem sess. XXIV. de ref. cap. 12. s) Ex S. Hier. apud Gratian. Can. 21. caus. VIII. qv. 1. t) Ex S. Leone M. ap. eundem can. 1. dist. 86.

runt, placet honor, inflat superbia, et qvod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. u) Qvare monebat Synodus Tridentina Episcopos, *ut se pastores, non percussores esse, meminerint, atqve ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamqvam filios, et fratres diligant; elaborentqve, ut hortando, et monendo, ab illicitis deterreant, ne, ubi deliqverint, debitis eos poenis coërcere cogantur.* v) IX. Praesulis est obire creditas sibi Ecclesias, ut innotescat, qvinam sint tollendi abusus, et qvae constituenda salubriter, ad promovendam Dei gloriam, et plebis Christianae salutem. Fecerat hoc Episcoporum exemplar Paulus Apostolus, qvi Antiochiae commoratus aliqvanto tempore, dixit ad Barnabam socium praedicationis: *revertentes visitemus fratres per universas civitates, in qvibus praedicavimus verbum Domini, qvomodo se habeant. -- Perambulabat autem Syriam, et Ciliciam, confir-*

u) Ex eod. S. Leone ap. Grat. Can. 6. dist. 45. v) Trid. sess. XIII. de ref. cap. 1. Adde sess. XIV. de ref. cap. 4.

firmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum. w) Ne qvis autem ista consilii esse putaret, neutiqvam praecepti, sacra Tridentina Synodus cum alias non semel, x) tum vero sess. XXIV. praeprimis, mandabat, Canonicam visitationem qvotannis institui, et pro amplitudine Dioecesis, vel qvolibet anno, vel saltem intra biennium, eamdem terminari. y) X. Praesulis Dioecesani obligatio est, Synodum Dioecesanam celebrandi. (§.LXXXIX.) XI. Obligatio eiusdem est, vitam moresqve suos exigendi ad eas leges, qvas Beatus Paulus Apostolus, Timotheo ac Tito discipulis, diligenter observandas, inculcabat. z)

§. CCXVIII.

Desumtae e leg. domest.

Ex enumeratis Episcoporum obligationibus, pleraeqve per Hungaricas etiam leges, tam

w) Act. XV. 36. 41. x) Trid. sess. VII. decreto de ref. cap. 7. et 8. sess. XXI. de ref. cap. 8. Sess. XXV. decr. de regular. et monial. cap. 11. y) Decr. de reform. cap. 3. z) 1 Tim. cap. 3. et ad Tit. cap. 1.

tam synodicas, qvam politicas diligenter inculcantur. Cum nominati sunt, Regi fidelitatis iuramentum praestant. a) Primo qvoqve tempore, confirmationis Romanae, et consecrationis beneficium ut obtineant, curare iubentur. b) Verum ab onere petendae confirmationis, per Apostolicum Regem levantur, qvi hanc a vetustissimis inde temporibus, nomine suo petit. c) Deinceps haec illis inculcantur: ut moribus, exemplo, doctrina, praedicatione, gregi Dominico praesint. d) Ut resideant. e) Prospiciant de Parochorum intertentione. f) Idoneos constituant Parochos, et Catholicae doctrinae magistros, g) neqve tamen invitis Ecclesiarum Patronis. h) Erigant Seminaria Clero. i) Diebus

a) Trip. parte I. tit. 12. b) Syn. Prov. Tirn. anni 1611. cap. 1. num. 1. c) Vide meas Amoenit. Hist. Eccl. R. H. fasciculo VI. num. 1. d) Art. 6. 1548. a. 13. 1550. e) Art. 55. 1723. et a. 16. 1741. f) Art. 71. 1723. g) Art. 6. 1548. a. 13. 1550. et a. 59. 1715. h) Art. 66. 1498. a. 26. 1504. et a. 100. 1647. i) Synodus provinc. anni 1611. cap. 1. num. 4.

bus festis offerant pro populo sibi credito Sacrificium. k) Synodos celebrent. l) Visitent Dioecesim per se, vel per Archidiaconos, at vero nonnisi Regiis Patentalibus muniti. m) Vitia, abusus, et superstitiones tollant. n) Bona Episcopatus cum aedificiis conservent. o) Neqvaqvam oppignorent. p) Secundum Ferdi-

k) Ead, Synodus cit. cap. num. 8. l) Art. 68. 1498. et a. 41. 1559. m) Art. 41. 1559. Syn. provinc. Tirn. 1611. cap. 1. num. 3. Syn. Nationalis Tirn. 1638. cap. 6. Patentalium hic memoratarum, hactenus unicum inveni exemplum typis excusum, in *Relatione Actorum Generalis Canonicae Visitationis Dioecesis Weszprim.* Iaurini impressa anno 1760. Hae patentales die 8. Dec. 1745. in favorem Martini Biró Episcopi Weszpr. datae, inscribuntur cunctis iurisdictionibus, praecipientes, ut, dum, et qvando memoratus Episcopus in persona, vel medio Districtualium Archidiaconorum, cum praesentibus benignis Patentibus Literis Regiis, ad peragendam visitationem comparuerit, omnes, qveis hae inscriptae sunt, liberum accessum praebere teneantur, imo eidem omni favore, ope, et auxilio assistere debeant, et teneantur. n) Cit. Syn. prov. cap. 1. n. 10. o) Art. 65. 1498. a. 31. 1567. a. 60. 1715. a. 71. 1723. p) Art. 31. 1567.

dinandi II. decretum anni 1625. partem substantiae relinqvendam habent pro erectione Seminarii, vel si hoc fuerit in statu perfecto ad meliorandas Parochias. q) Qvod decretum, qvamvis liberam Episcopis Ecclesiae Hungaricae, *de mobilibus suis disponendi, atqve etiam testandi facultatem, et potestatem* concedat; *eademqve facultate, et potestate, absqve omni impedimento, vel contradictione in hunc modum* (qvi scilicet mox praescribitur) *et hac praescripta ratione, et ordinatione, qviete, et libere uti, frui, et gaudere* illos posse declaret: praxis tamen, atqve experientia docet, qvemvis Episcopum, debere specialem ab Rege Apostolico testandi facultatem habere, Testamentumqve confectum, mox a morte testatoris, Regiae confirmationi subiacere. Qvorum utrumqve in articulo decimo sexto anni 1715. fundamentum habet. Nonnulla dispositioni testamentariae neqvaqvam subiacent. Nam libros omnes Episcopus, pro erigenda in Capitulo Bibliotheca, relinqvendos habet. Indumenta Sacerdotalia, et

q) Ap. Péterffy Conc. Hung. parte 2. p. 434.

et ornatus altarium Ecclesiae Cathedrali; mensae vero, lecticae, scamna, hisqve similia, in Episcopatu futuro successori, manere debent. r)

r) Syn. prov. Tirn. 1611. cap. 1. num. 14. Conventio Cleri cum Camera Caesareo-Regia, die 15. Iunii anno 1703. inita; qvae legitur ap. Pray in specim. Hier. Hung. parte I. pag. 190. et apud Ioann. Bárdossy in Animadvers. de Insurrect. Nobil. editis ann. 1792. pag. 66.

CA-

CAPUT II.

De iuribus, et obligationibus eorum, qvi Episcopis auxiliantur in gubernando Grege Dominico.

§. CCXIX.
Coadiutores Epp.

Inter eos, qvi Praesulibus auxilio sunt in regenda plebe orthodoxa, primum tenent locum coadiutores, tam temporanei, qvam perpetui, de qvibus alibi iam sermo fuit. (§. XLVI.) Secundum ius commune, temporaneum assumere potest Episcopus, consentiente *saltem* maiore Capituli sui Cathedralis parte. Qvodsi foret Episcopus ad consultandum inhabilis, ius hoc soli Capitulo reservatur. s) Si coadiutorem prorsus necessarium, Episcopus nolit assumere, consulatur Papa, qvi

s) Cap. un. de cler. aegrot. in 6.

qvi renuentem cogere potest. t) Perpetuum coadiutorem, de lege communi, Pontifex Romanus designat. (§. CLXXXIII.) Utriusqve confirmatio semper est ab eodem petenda; qvi titulum Episcopi *in partibus*, u) et suscipiendae consecrationis facultatem impertitur. Eadem proëdria coadiutor, cum Episcopo gaudet. Cuius potestatem oportet metiri ex literis Apostolicis, ex fine assumti coadiutoris, ex habilitate praeterea, vel inhabilitate coadiuti. Cessat hoc munus, abdicatione spontanea, vel munere defungentis inhabilitate. Causa cessante. Morte coadiuti. Tunc enim, perpetuus duntaxat coadiutor, in Ordinarii dignitate succedit.

§. CCXX.
Episcopi Auxiliares.

Auxiliares Episcopi, qvi vulgo *Suffraganei* dicuntur, haud sunt eos inter memorati, qvibus est propria, vel communicata exterior gubernatio; cum hi ob extensionem Dioe-

t) Cap. 5. eod. tit. u) Cap. 5. de elect. etc. in Clement. Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. II. cap. 7.

Dioecesis, vel fractam Ordinarii aetatem, aut valetudinem constituantur, cum titulo Episcopi *in partibus*, illo duntaxat fine, ut eumdem suppleant in iis, qvae ad exercitium Ordinis spectant, absqve ullo pro foro exteriori iurisdictione. Hi duntaxat a Pontifice dari possunt. v)

§. CCXXI.
Eppi Titul. in Eccl. Hung.

In sensu Tridentinae Synodi, Titulares Episcopi sunt, qvi amissis Eoclesiis, in partibus infidelium olim existentibus, incertam habent sedem, ac sine proprii Ordinarii facultate, qvemqvam ordinare prohibentur. w) Apud nos vero *titulares* Episcopi dicuntur, qvorum Ecclesiae sub Corona Hungariae dudum existentes, in manus deinde, vel Turcarum, vel Venetorum transierunt. Qvarum nihilominus titulos, sub spe illas tamqvam iniuria sibi ereptas, revindicandi, Reges Apostolici, hodiedum conferre solent, nulla prorsus ad id Pontificis consensione petita: cum

v) Cap. 5. de elect. in Clem. w) Trident. sess. XIV. de reform. cap. 2.

cum virtute huius tituli spiritualis potestas nulla competat, verum distinctio qvaedam in vestitus externi colore, ac praerogativa civilis, ut Episcopi titulares, in conclusione articulorum Diaetalium, ante Regni Barones nominentur; titulum habeant *Illustrissimi Episcopi;* ceterisqve gaudeant praerogativis, Praelatorum Statui de lege patria competentibus, qvae suo loco exponentur. In diversis Regni legibus, earum clausulis, aliisqve documentis, aetate nostra hi nominantur: Almisiensis, Ansariensis, Arbensis, Bacensis, Belgradensis, Biduanensis, Bosonensis, Catariensis, Corbaviensis, Corczolensis, Drivestensis, Dulcinensis, Dulmensis, Makariensis, Noviensis, Fharensis, Pristinensis, Rosonensis, Samandriensis, Sardicensis, Scardonensis, Scopiensis, Scutariensis, Serbiensis, Sibenicensis, Stagnensis, Temnensis, Tinniniensis, Traguriensis, Tribunicensis, Vegliensis, et Vovadrensis. x)

§. CCXXII.

x) Videatur Schematismus I. R. Hung. partiumqve eid adnexarum, typis R. Univ. Pestien. qvotannis imprimi solitus. Lego alios etiam in periodica o-

§. CCXXII.

Archidiac. Iura.

Vices Episcoporum obeunt in externa Ecclesiae gubernatione Archidiaconi; (§. XLVII.) qvorum ampla fuit olim iurisdictio, in iure scripto fundata: y) verum hodie nuda est ferme praerogativa, qvam *Personalem* dicunt; potestas vero potius e consvetudine, tum ex literis, per qvas creantur, cognosci debet. Etiamnum subsistit alicubi, munus Episcopo praesentandi ordinandos. z) Mittendi Parochos in corporalem Beneficii possessionem, qvae apud nos, *installatio* nominatur. a) De triennio in triennium, habito Praesulis annutu, Archidiaconatum proprium canonice visitandi, *ubi hactenus visitationem exercere legitime consveverunt;* b) si id ab Episcopo neqveat praestari. c)

§. CCXXIII.

pella: *Zeitschrift von und für Ungern.* 1. Band. Sed ab iis memorandis, sponte abstineo. y) Can. 1. dist. XXV. Cap. 7. de off. Archid. Adde Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 12. cap. 1. z) Cap. 9. de off. Archid. a) Cap. 7. eod. b) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 3. c) Cap. 1. et 6. de off. Archid.

§. CCXXIII.

Iura, et oblig. eor. ap. nos.

Memoratam visitationis canonicae obligationem, leges nostrae pluries, et acriter inculcant; d) per se, et non per substitutos, sub amissione Beneficii adimplendam. e) Olim, ad visitandas Parochias, Regia Maiestas Archidiaconis mandatum expediebat. f) Qvibus leges paulo vetustiores, *cathedratici* (§. CCXI.) desumendi facultatem concedunt. g) Hodie tamen passim, nec visitatio, neqve cathedraticum viget.

§. CCXXIV.

Vicarii Gen. Ep. iura.

Qvicumqve Vicarius Generalis, seu Officialis, (§. XLVIII.) iuxta mentem Synodi Tri-

d) Art. 41. 1559. Conc. provinc. 1611. cap. 5. e) Conc. Nationale 1633. §. 4. Provinc. 1638. cap. 6. num. 14. f) Inter postulata Synodi provincialis anni 1611. haec leguntur: *ut more solito ad visitandas Parochias, sua Maiestas Archi-Diaconis mandata expediat.* apud Péterffy in Conc. Hung. T. II. pag. 218. g) Art. 53. 1498. a. 38. 1500. a. 43. 1569. Synodus prov. 1611. cap. 4. num. 4. Synod. national. 1633. num. 5.

Tridentinae, sit saltem in iure Canonico doctor, vel licentiatus, vel alias, qvantum fieri potest, idoneus. h) In iis, qvae iurisdictionis sunt, censetur una esse persona cum Episcopo, et idem est utriusqve tribunal. Hinc a sententia Vicarii Episcopalis ad Metropolitanum appellatur; i) ipse qvoqve sub nomine *Ordinarii* est intelligendus. Qvare subordinatur illi iurisdictio qvaevis, Episcopo subordinata, etiam Archidiaconorum; extenditurqve potestas illius in omnia, qvaecumqve Episcopo ipsi, *ordinario* iure competunt, nisi per legem, aut per eumdem Episcopum fuerint reservata: vel saltem propter sui gravitatem, in generali concessione non supponantur inclusa fuisse. k) Nominatim: Vicarius Generalis, licet insignitus Episcopali caractere, non potest exeqvi sine peculiari Praesulis consensu, qvae spectant ad potestatem *Ordinis*; neqve haec peragendi facultatem, alteri Episcopo largiri: qvoniam in iurisdictionis tantum exercitio, vices eiusdem gerit.

h) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 16. i) Cap. 2. de consvet. in 6. Cap. 3. de appell. in 6. k) Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. II. cap. 8.

gerit. Neqve concedere potest literas dimissorias pro susceptione Ordinum, nisi fuerit Episcopus nimium remotus, nec sine magna difficultate conveniri possit. l) In materia qvoqve Beneficiali, qvaecumqve sunt merae liberalitatis, et gratiae, vel speciem habent liberalitatis, disponere neqvit sine mandato speciali. Neqve potest Beneficia conferre; aut certe ad illa, qvae sunt Iurispatronatus Episcopalis, eligere Clericos, nominare, vel praesentare. Nam haec omnia redolent qvamdam liberalitatem, ac donationem. m) Non potest Beneficia supprimere, unire, vel dissolvere unita; nam id qvoqve donationem sapit. Uti nec Beneficiorum resignationem admittere, sive simpliciter, seu ex causa permutationis; qvoniam ius hoc, reqvirit potestatem destituendi, qvae sine mandato speciali, ad Vicarium non spectat. n) Neqve potest sine mandato speciali, qvamvis pro foro conscientiae tantum, dispensare in irregularitatibus, et suspensionibus, ex occulto crimine na-

l) Cap. 3. de tempor. ordinat. in 6. m) Cap. 3. de off. Vic. in 6. n) Cap. 2. de off. Vicarii in 6.

tis; uti nec absolvere in eodem perinde foro, a criminibus, Apostolicae sedi reservatis. o) Qvibus utiqve sunt adiungenda, qvaecumqve Episcopus, non ut Ordinarius, verum ut sedis Apostolicae Delegatus disponit. p) Speciatim, Vicarius Generalis Metropolitani Praesulis, qvamqvam hoc a Provincia remoto, neqvit afficere censura suffraganeos, id enim reverentia Episcopalis officii vetat. q) Neqve Synodum Provincialem convocare. Qvemadmodum Vicarius Episcopi, sine Huius mandato speciali, Synodum Dioecesanam, indicere, aut celebrare neqvit. An autem sine mandato speciali possit Vicarius praesentatos a Patronis, instituere, lis est inter doctores. Benedictus XIV. Pontifex, opinionem affirmativam, notat esse magis receptam; qvoniam institutio, non est liberalitatis, et gratiae, verum necessitatis, ac iustitiae actus. r) Qvantacumqve autem sit Generalis Vicarii po-

o) Trident. sess. XXIV. de ref. cap. 6. p) Tale est, qvod adfert Trid. sess. VI. de ref. cap. 3. sess. VII. de ref. cap. 14. q) Cap. 1. de off. Ordinarii in 6. r) Bened. XIV. cit. superius libro, et cap. num. 2.

potestas, qvae ex Episcopi cuiuslibet instructione colligi debet, omnimode exspirat, renunciatione muneris; revocatione item, vel morte Praesulis. Qvo per sententiam ab exeqvutione muneris suspenso, Vicarii qvoqve potestas intelligitur esse suspensa.

§. CCXXV.

Reqvisita in ipso ap. nos.

Lex Hungarica forenses a munere Vicarii penitus removet, sub poena nullitatis sententiae per eos pronunciandae. s) Qvicumqve autem Vicarii et Officiales, causas ad forum non suum pertinentes, prohibentur tractare; t) imo has, receptis literis praeceptoriis, ad forum competens remittere haud volentes, Beneficio Ecclesiastico privati declarantur; qvod Regia Maiestas ipso facto alteri conferre possit. u) Ut autem Vicarii Generales periti sint patriarum legum, et Iuris Ecclesiastici, Synodus Provincialis Tirnaviensis anno 1638. celebrata, deposcit. v)

s) Art. 32. 1495. a. 35 1500. t) Eod. art. ultimo citato. u) Art. 46 1492. v) Cap. 10. §. 1. ap. Péterffy Concil. H. T. II. pag. 372.

§. CCXXVI.

Poenit. et Theol. Episc.

Tridentina vero praecipit, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus; ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarius aliqvis, cum unione praebendae proxime vacaturae, ab Episcopo instituatur, qvi magister sit vel doctor, aut licentiatus in Theologia, vel iure Canonico, et annorum qvadraginta, seu qvi aptior pro loci qvalitate reperietur. Qvi dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur. w) Alibi decernebat, ut in Metropolitanis et Cathedralibus, imo et Collegiatis, ubi numerosus fuerit Clerus, constituatur Theologus, qvi Sacram Scripturam praelegat, teneatqve in Capitulo praebendam, qvae inde *Theologalis* est dicta. Hoc si fieri neqviret, Ecclesiae nihilominus saltem *magistrum* habeant ab Episcopo, cum consilio Capituli eligendum, qvi Clericos, aliosqve scholares pauperes grammaticam gratis doceat; ut deinceps ad ipsa Sacrae Scripturae studia, annuente Deo transire possint.

w) Sess. XXIV. de ref. cap. 8.

sint. x) Hoc autem docendi munus concredi iubet nonnisi doctoribus vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in iure Canonico, et aliis personis idoneis, et qvi per seipsos id munus explere possint. y) Verum haec magis historice dicta sunto. Nam Theologi, atqve Poenitentiarii, apud qvasdam Hungariae Cathedrales Ecclesias, ne qvidem adpellatio est in usu. In una Qvinqveecclesiensi residuus est *Poenitentiarii* titulus. Et tam hic, qvam in nonnullis praeterea Capitulis, *Theologi*, *Scholastici*, *Magistri* nomen, qvamvis nudum, reperitur.

§. CCXXVII.
Iura Capit. qva Colleg.

Capitula Canonicorum debent spectari, velut collegia ab Episcopis separata: rursumqve, ceu sacri Senatus, influentes in externam Dioecesis gubernationem, Episcopali sede tam plena, qvam vacante. Qvodlibet Capitulum, qvatenus est universitas, habet dignitates, officia, et personatus. (§. XLIX.)

 At-

x) Sess. V. de reform. cap. 1. y) Sess. XXIII. de ref. cap. 18.

Attamen est omnibus atqve singulis idem ius, habendi vocem, et suffragium in Capitulo, qvicumqve fuerint in ordine subdiaconatus. z) Ad illum porro conventum, seu (ut nos dicere solemus) *Consistorium*, in qvo de re communi, atqve propria tractabitur, vocandi sunt omnes, iure suffragii gaudentes, per illum, ad qvem istud de iure, vel consvetudine spectat. a) Attamen praesentium duntaxat est ratio habenda. b) Exceptis rebus summe arduis; item qvibusvis, qvae iuxta consvetudinem cuiuslibet Capituli, absentium qvoqve sensum, sententiamqve deposcit. Rite vocati, si non compareant, vota praesentibus accrescunt. c) Qvi neglectus est e praesentibus, qveri potest de sui contemtu, et evertere, qvod ceteri decreverunt. d) Qvodsi Capitulo debite congregato, minor pars recesserit, maior in negotio procedat. e) Cu-

z) Cap. 2. de aet. et qvalit. et ord. praef. in Clement. a) Trid. sess. XXV. de ref. cap. 6. b) Cap. 5. de his qvae fiunt a Praelato sine cons. Capituli. g) Cap. 19. de elect. d) Arg. cap. 36. de elect. sub finem. Cap. 28. eod. tit. e) Cap. 48. de elect.

Cuius conclusa tenebunt, modo fuerint saniora; f) qvae scilicet nec morum integritati, nec Ecclesiae, neqve civilis reipublicae bono repugnant. Qvae pro talibus reputentur, nisi probetur oppositum; ad qvod comprobandum, illi pauciores admitti debebunt. g) Sed fallit haec regula in casu eligendi coadiutoris Episcopo deliranti. Tunc enim duae partes capituli debent in eumdem consentire. h) In iis vero negotiis, in qvibus agitur de iure singulorum amittendo, vel minuendo, vota omnium deposcuntur. Nam de communi regula iuris, *qvod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* i) Tandem, ut acta Capituli retineant sui memoriam, debitamqve autoritatem, in scriptum sunt redigenda, muniendaqve sigillo communi, et a maiore saltem capitularium parte subscribenda. k) Ius qvoqve est Capitulis condendi statuta, l) qvae ta-

f) Cap. 42. eod. tit. g) Cap. 1. 3. 4. de his qvae fiunt a maiori parte Capituli. h) Cap 1. de Cler. aegrot. in 6. i) Ex reg. iuris 29. tit. de regul. iuris in 6. k) Cap. 5. de probationibus. l) Supponit cap. 6. de constit. Conc. Trid. sess. XXI. de ref. cap. 3. sess. XXII. de ref. cap. 3. sess.

tamen legi communi, m) vel alieno iuri n) ne obvient, sintqve per Episcopum adprobata, cuius iudicio substerni debent. o) His munita cautelis, observanda erunt instar legis ab omnibus, per qvos sunt condita, cum veterem Catonis sententiam: *Patere legem, qvam ipse tuleris*, etiam Ecclesiae lex, observandam decernat. p) Illorum successores in Canonicatus honore, ad eadem statuta sancte observanda, cum ipso ad capitulum ingressu, iurando iure obstringuntur. q) Hi tamen communi consensu abrogare statuta decessorum possunt, eo, qvod sint eiusdem cum antecessoribus iuris. Sed casum excipe iuramenti; et adprobationis Pontificiae, in forma, qvam *specificam* adpellant, (§. CXXVII.) factae. Nam hoc modo, statuta eiusmodi in

XXIV. de ref. cap. 12. post medium. sess. XXV. de ref. cap. 6. m) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 12. et 14. n) Cap. 6. et 12. de constitut. o) Cap. 9. de consvet. Conc. Trident. sess. XXIV. de reform. cap. 14. p) Cap. 6. de constitut. q) Merito expendendum, qvod docet Van Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 7. cap. 5. item parte II. sectione 3. tit. IX. cap. 2.

in legem Pontificiam transmigrarunt. Deniqve Capitulo salva est, sine Praesulis influxu, bonorum suorum administratio, ac omnimode intacta. r)

§. CCXXVIII.

Iura Eorum sede plena.

Cum sit Capitulum cathedrale, Episcopi et Ecclesiae Senatus, unumqve hoc nomine corpus efficiat cum Praesule suo: s) decernit lex, ut in qvibusdam Episcopus, consilium Capituli poscat; in aliis paucos, verum necessario consulat; de qvorum omnium, vel maioris eorum partis consensu decernatur. Sunt autem causae arduae, cum universo capitulo tractandae seqventes. I. Dum ipsius Capituli res adtinguntur; t) ut, si res Ecclesiae mobiles vel immobiles alienandae forent. u) II. In praesentatione, vel collatione Beneficii, utriqve partium competente. v)

III.

r) Trident. sess. XXV. de ref. cap. 6. s) Cap. 4. de his, qvae fiunt a Prael. sine cons. Cap. t) Cap. 4. et 5. cit. nunc tit. u) Cap. 1. et 8. eod. tit. Cap. 2. de donationibus. v) Cap. 6. de his qvae fiunt. etc.

III. Si est Ecclesiae pensionis onus imponendum. w) IV. Si haec est in Monasterium convertenda. x) V. Qvoties instituendi, vel destituendi sunt, ecclesiastica dignitate fulgentes. y) VI. Dum Capituli detrimentum vel commodum involvitur; ut, si agatur de augendo, minuendove numero Canonicorum, aut dignitatum. z) VII. Qvando eligendus venit Episcopi coadiutor. a) VIII. In inqvirendis, puniendisqve gravioribus Clericorum delictis. b) At vero, duorum tantummodo capitularium consilio uti debet Episcopus, cum sunt piae fundationes commutandae. c) In publicatione Indulgentiarum, qvae porrigenti manus adiutrices, promittuntur. d) In Seminariorum debita coordinatione. e) Haec tamen, aut ex his nonnulla, utrumne ita neces-

w) Cap. 9. eod. tit. x) Can. 73. caus. XII. qv. 2. Cap. 9. de donat. y) Cap. 4. de his qvae fiunt. etc. z) Arg. cap. 8. de constitut. Cap. ult. de verb. signif. a) Cap. un. de Cler. aegrot. in 6. b) Can. 6. caus. XV. qv. 7. Cap. 1. de excessib. Prael. et subditor. c) Trident. sess. XXV. de reform. cap. 8. d) Idem sess. XXI. de ref. cap. 9. e) Idem sess. XXIII. de ref. cap. 18.

cessario fieri debeant cum adsensu capitularium, ut absqve hoc, etiam irrita sit Praesulis dispositio, locorum consvetudo consuli debet.

§. CCXXIX.
Et sede vacante.

Episcopali sede per mortem, vel translationem, aut aliter legitime vacante, succedit in iura spiritualia Capitulum Cathedrale cum *subsidiaria* potestate, eum in finem, ut ne populus cura spirituali destituatur. Qvod vetustissimis Ecclesiae temporibus factitatum esse, alibi fuit insinuatum. (§. LXX.) Et vero, cum Episcopus unum efficiat corpus cum capitulo: (§. praec.) uno membro deficiente, reliqva operantur. f) Exercitium itaqve iurisdictionis Episcopalis, in qvibuslibet casibus proprium est capitulo, qvoscunqve Ius positivum noluit exceptos esse. Exercitium Episcopalis Ordinis, natura sua est exceptum. Sed potestas exercendi Pontificalia munia, per capitulum indulgeri potest. Qvamvis neqveat per annum, a die vacantis Epi-

f) Cap. 11. et 14. de maior. et obed.

Episcopatus computandum, potestatem concedere impertiendi Ordines, aut elargiri dimissorias literas suscipiendorum Ecclesiae Ordinum causa, nisi qvispiam fuerit Beneficio arctatus, qvod certum Ordinem natura sua deposcit. g) Nulla qvoqve potestas est Capitulo post mortem Episcopi in his, qvae illi velut delegato sedis Apostolicae competere lex indicat, aut qvae ex privilegio habebat; qvalis est collatio Indulgentiarum. h) Cumqve lex sit irrestricta: *ne sede vacante aliqvid innovetur*: i) totum illud prohibetur agere capitulum, qvod vel statum vacantis Ecclesiae mutaret, vel iuribus Episcopalibus praeiudicium inferret. Qvalis esset collatio Beneficii, qvae ad solum Episcopum spectabat.

g) Trid. sess. VII. de reform. cap. 10. sess. XXIII. de ref. 10. Hinc derogatum est capiti 3. de temp. ordin. in 6. decernenti: *Sede vacante, capitulum, seu is, ad qvem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* h) Cap. 12. de excess. Prael. Adde Ben. XIV. de Syn. D. lib. II. cap. 9. num. 7. i) Libri III. Decretal. Greg. IX. tit. 9. inscriptio. Revoca in memoriam dicta §. CVI.

bat. Aliter enim se res habet, dum collatio simul ad Capitulum pertinebat. k) Vetatur etiam alienatio rerum Ecclesiae immobilium, ac etiam mobilium, qvae conservari possuut, nisi adesset necessitas urgentissima, has alienandi. l) Prohibetur qvoqve unio, vel exstincto Beneficiorum Ecclesiasticorum, nisi aeqve necessitas urgeret; m) item eorum, qvae spectant ad mensam Episcopi, translatio ad Capituli possessionem. n) Qvaeritur vero: num Capitulum conferre possit Beneficia, qvorum collatio, propter negligentiam Patronorum, ad Episcopum devoluta fuit? Qvod cum in iure non sit exceptum, Capitulo adiudicandum esse videtur. Cuius tamen omnis potestas modo enarrata, in Vicarium transit. (§. LII.)

§. CCXXX.

k) Cap. un. ne sede vac, etc. in 6. l) Can. 43. caus. XII. qv. 2. Item. arg. cap. 1. et 8. de his qvae fiunt a Praelato etc. m) Cap. 1, ne sede vacante aliqvid innov. et arg. Concilii Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 15. n) Can. 38. 43. caus. XII. qv. 2. Cap. 9. de off. Ord. Cap. 40. de elect. et electi potest. in 6.

§. CCXXX.

Iura dign. cap. ap. Nos.

In capitulis Ecclesiae Hungaricae, *Praepositus Maior*, o) sicuti primum tenet locum, ita praecipuam habet curam temporalium ad iura capituli spectantium; qvorum proinde causa, potest capitulum convocare. Huic amplior est, qvam ceteris portio e proventu communi, pro consvetudine capitulorum. Sicubi vero privativa bona possidet, nihil hinc ceteris obtingit. *Lectoris* est custodire Tabularium capituli, ac documenta fidei Capituli per alios credita, simul cum sigillo capitulari. In Ecclesia vero Zagrabiensi, capitularis alter, votis ceterorum e gremio delectus, haec omnia custodit. p) Porro iubente articulo 39. anni 1723. universae expeditiones, in Capitulis conservandae, praeter referentes, etiam per Lectorem, vel hoc absente, per alium capitularem; non secus etiam authentica documenta, qvae debent

o) Causam huius *comparativi*, ut cum grammaticis loqvar, reddet hic §phus L. p) Testis est Kercselich in hist. Cath. Eccl. Zagrab. pag. 96. et meamet experientia anni 1783. et seq.

bent extradari, cum nominis proprii appositione subscribenda sunt, et si eadem in voculis qvibusdam essent corrigenda, per subscribentem huiusmodi correctae voculae denotentur, et anteqvam fuerint extradata, praesente capitulo perlegantur. q) *Cantoris* munus est, Ecclesiastici cantus, officiorumqve Divinorum in Ecclesia suà rite peragendorum, curam habere, r) et ita directioni chori sollicite intendere, ut nec circa libros, neqve circa cantum, vel chori ministros, aliqvi defectus committantur. s) *Custodis* est, Ecclesiae materialis custodiam, luminarium, totiusqve sacrae supellectilis curam habere. t) Atqve hi sunt, e qvorum numero unus, nomine et in persona capituli, dum agitur de iuribus possessionariis, in iudicio iurare debet. u)

§. CCXXXI.

q) Adde Szegedi in Tiroc. iuris Hung parte 2. tit. 13. Szörényi in manuali Canonicorum cap. 10. r) Cap. unic. de off. primicerii. s) Synodus prov. Tirnav. anni 1638. cap. 2. num. 18. t) Cap. 1. et 2. de off. Custodis. u) Tripart. parte II. tit. 49. Ubi *Decanus* qvoqve memoratur, tamqvam qvinta in capitulo dignitas. Qvintum revera locum Decanos Capitulorum Ecclesias

§. CCXXXI.
Iura Capitulor. Hung.

Iura vero, qvibus ipsa Collegia Canonicorum, iuxta patrias leges apud nos gaudent, ferme sunt isthic expressa. Possessiones privative ad se pertinentes, absqve Praesulis influxu tenent, atqve in his disponunt. v) Capitulum qvodvis, unum habet de lege scripta votum in Comitiis Regni. w) De more, bini plerumqve mittuntur, per vota electi. Demtis qvibusdam, qvae hactenus articulariter *locis credibilibus* adnumerata non sunt, cetera vocantur, suntqve *Loca credibilia*, seu *authentica;* x) atqve membra illorum, appel-

Hungaricae olim tenuisse, animadverteram ex documentis patriae, in meis Amoenit. Hist. Eccl. Hung. fasc. V. num. I. §. 25 et Num. II. §. 18. Munus vero ipsorum discimus e Verböczii citata parte, tit. 53. qvod scilicet in medio Iobbagionum capitularium, autoritate capituli, temporalem exercuerint iurisdictionem. Hodiernum munus illorum expressi hic §. L. v) Art. 102. 1647. w) Art. 1. post coronat 1608. x) Tripart. parte 1. tit. 28. et 63. Parte 2. tit. 23. 57. Item art. 22. 1681. a. 9. 41. 42. 1723. art. 24. 1729. art. 25. 1741. art. 11. 1765.

pellantur *fidedignitates Regni.* y) Enimvero, cum testimonio capitulari, fiunt admonitiones, aestimationes, evocationes, inqvisitiones, metarum reambulationes, oculatae, statutiones, et restatutiones; apud capitula deponuntur pecuniae; coram illis peraguntur fassiones; constituuntur plenipotentiarii, et procuratores. Interponuntur prohibitiones, protestationes, ac iuramenta. z) Haec autem omnia partim ab illis, partim coram illis peragi

y) Art. 8. 1435. a. 9. 1498. a. 9. 1723. a. 24. 1729.

z) Sigism. decr. I. de anno 1404. §§. 9. 15. et 17. Eiusd. Decr. V. de an. 1435. art. 9. Item decr. VI. anni eiusd. art. 4. 5. 8. 10. Alberti decr. de an. 1439. art. 29. Mich. Szilágyi Gubernatoris decr. de an. 1458. a. 8. Mathiae decr. I. de an. 1462. art. 1. Eiusd. decr. II. de ann. 1464. a. 12. Eiusd. decr. VI. 1486. a. 8. 10. 14. 74. 75. 77. Ulad. II. decr. I. de anno 1492. art. 14. 40. 53. 95. 97. Eiusdem decr. II. de anno 1495. a. 3. 9. Eiusd. decr. III. de an. 1498. art. 8. Eiusd. decr. IV. de anno 1500. art. 13. Eiusdem decr. VI. de ann. 1507. art. 2. Item Tripart. parte I. tit. 60. 86. 127. 128. Parte II. tit. 16. 19. 21. 22. 27. It. art. 3. 1608. post. coron. Item art. 74. 1609. Art. 15. 1622. Art. 31. 1638. Art. 78. 1647. Art. 18. 1659. Art. 29. 1662. Art. 22. 1681. Art. 24. 1729.

agi possunt intra Dioecesim, in cuius gremio sunt, et in Comitatibus vicinis, *usqve dum per emendationem legum, classificatio Districtuum elaborari valeat, et ubi qvod capitulum procedat, superinde provideatur.* a) Porro capitularium in functione ex enumeratis una, actualiter et legitime procedentium detentores, arestatores, verberatores, aut vulneratores, poenam actus maioris potentiae incurrunt. b) Sigilla Capitulorum sunt authentica, fidem publicam habentia, qvae confirmant relata in chartis, qvibus appressa fuerunt. c) Sub iisdem sigillis, constituere sibi possunt procuratores, atqve plenipotentiarios, non tamen sibi ipsis dare testimonium, vel pro semet ipsis fassiones celebrare. d) Qvamobrem, hac in parte derogatum est antiqvo iuri. e) Sigillis huiusce modi authenticis, ca-

a) Art. 40. 1723. b) Art. 10 1723. Incurrunt scilicet poenam amissionis bonorum vel capitis, iuxta art. 34. 1729. c) Tripart. parte II. tit. 13. 15. Item art. 44. 1492. d) Art. 41. 1723. e) Tripart. parte II. tit. 13. in fine ait: *iudices siqvidem Regni ordinarii, ac ipsa loca testimonialia, sigilla authentica habentes, sub eorum sigillis tam pro-*

carent novissima Capitula: Albaregalense, Neosoliense, Rosnaviense, ac Sopronienre Collegiatum. f) Sabariense vero non institutum noviter, verum e Collegiato, qvod antehac *de Castro ferreo* dicebatur, Sabariae residens, ad Ecclesiae Cathedralis honorem evectum, et veterem fidedignitatem, g) et sigilli authentici ius retinuit, cum nova hac perigraphe:

curatores constituendi, qvam etiam cunctas alias fassiones (rite tamen, et legitime) faciendi habent authoritatem. f) In diplomate Regio anni 1800. in favorem Collegiati huius capituli edito, conceditur eidem *publicum et authenticum sigillum*, referens effigiem S. Georgii, cum perigraphe: *Sigillum Capituli Ecclesiae Sopron.* indulgetur huius impostemum usus, hoc addito: *ubi videlicet idem Capitulum (accedente Constitutione Regnicolari) inter loca authentica receptum, et fidedignitate publica provisum fuerit, ad normam aliorum - - - Hungariae Capitulorum, in omnibus, et qvibusvis literalibus instrumentis, expeditionibus, item functionibus capitularibus, interea vero tantum privatis suis capitularibus expeditionibus rubra cera signandis.* Ex copia simplice, sed acuratissima, inter mea MSS. g) Consule art. 32. 1574. a. 46. 1587. a. 120. 1647.

phe: *Sigillum Capituli Cathedral. Eccl. Sabariensis de Castro Ferreo.* h) Scepusiense qvoqve Capitulum, qvod anno Dômini 1776. e Collegiato in Cathedrale transmutatum est, retinuit cum authentico sigillo, pristinam fidedignitatem, qvam habuisse, leges patriae testantur. i) Capitulorum vero, Cathedralis Bosnensis, seu Diakovariensis, k) et Soproniensis Collegiati, sigilla fidem publicam non sunt hactenus conseqvuta.

§. CCXXXII.

h) Apud Schönvisner in antiqvit. et hist. Sabarien. pag. 366. i) Vide art. 21. 1557. art. 12. 1608. post coron. item art. 49. 1609. k) Bosnense olim iuxta art. 12. 1498. et trip. parte 2. tit. 21. in qvibuscunqve executionibus, per totum Regnum Hung. et partes sibi subiectas procedendi habebat autoritatem. De qvo in Comitiis anni 1790. ex parte Regnorum Dalm. Croat. et Sclav. haec est reflexio facta: „Capitulum Cathedrale Bosnense, „alias Diakovariense per Serenissimam Reginam „Apostolicam M. Theresiam collata Praepositura „S. Petri de Posega erectum, benigno privilegio „super publico et authentico sigillo effigiem S. Pe„tri poenitentis Apostoli in se complectente, pro „faciendis publicis fidedignis expeditionibus dota„tum, suplicat, reliqvis articulariter receptis Capi-

§. CCXXXII.

Propria qvorumd. Decora.

Praeter communia omnibus Ecclesiae Hungaricae Capitulis iura, sunt etiam pecuil ria nonnullis decora, nunc a Pontifice, modo a a lege patria, vel etiam a Rege specialiter obtenta. Metropolitanum Strigoniense Capitulum, ab anno Domini 1777. et die 15. octobris, defert e collo pendens ornamentum crucis aureae desinentis in angulos, cuius medium in adversa parte icon occupat S. Adalberti, Stephanum Geyzae filium sacro latice tingentis, cum hac perigraphe: *Archidioecesis Strigoniensis Patronus*; et in aversa parte, nomen Mariae Theresiae literis duabus M. T. sibi invicem intextis. Cui scutum Hungariae impositum est, e rubra ligu-

H 2 la,

„tulis adnumerari, collatiqve authentici sigilli u„sum in omnibus expeditionibus legalem reddi." Atqve legitur inter documenta Actorum Comit. huius anni pag. 312. Porro Capitulis adnumeratum est, nam inter ablegatos Capitulorum in comitiis anni 1792. locum habuere RR. Georgius Korpar, et Franciscus Monaldi, uti Acta perhibent anni huius, versionis latinae pag. XIII.

la, uti et crux ipsa dependens. l) Dein ex actis Diaetalibus, et paulo vetustioribus monumentis, eruit Capitulum Strigoniense anno Domini 1790. receptum esse morem, ut crucem Regi Apostolico praeferat e gremio Capituli Strigoniensis iunior Canonicus, Episcopali ornatus titulo, delectus per Strigoniensem Archiepiscopum, et ab Rege pro hac functione confirmatus. m) Archipraesulem Ecclesiae Strigoniensis, Iosephum e Comitibus de Batthyán, imitatus Colocensis qvoqve Ar-

l) Visitur eius forma in orat. qvam hac occasione dum singulorum collo impositum est hoc ornamentum, dixit Ill. D. Comes Sigismundus Keglevich Metrop. huius Capituli Praepositus Maior.

m) Ex Ephemerid. Budensibus latinis anni 1790. num. 17. ubi cum cetera isthuc spectantia, sint prolixiora, unicum profero breve documentum: „Eminentissime etc. Factae per Emin. V. in eo „propositioni, ut honor, tempore solemnis inau„gurationis, praeferendae Apostolico Regi, cru„cis, Archi-Capituli Strigoniensis Praeposito Ma„iori, Episcopo Comiti a Keglevich obtingat, di„gnata est sua M. sacratissima benigne annuere. „- - - Eminentiae V. Viennae 8. Maii 1790. Ob„seqventiss. servus Com. Çar. Pálffy m. p.“

Archiepiscopus, Adamus L. B. Patachich, suae Metropolitanae Ecclesiae Canonicis obtinuit ab eadem Regina Apostolica Maria Theresia, crucem coloris caerulei, e ligula perinde caerulea cum limbo coloris argentei, pendentem; cui Hungariae crux cum anchora, imminet. Pars adversa refert Astricum S. Stephano diadema offerentem, cum perigraphe: *Allatae S. Coronae memoria.* Pars autem aversa, elementa nominum Iosephi II. et Mariae Theresiae, cum hac perigraphe: *sub Augg. renovata.* 1779. Benedictus XIV. Pontifex anno 1745. concessit, ut dignitates Cathedralis Ecclesiae Iaurinensis, insignis Pontificalibus intra et extra eamdem Ecclesiam uti possint, qvovis tempore, et ubiqve locorum, etiam in Synodis qvibuscumqve, ac praesentibus qvibuslibet, etiamsi Cardinales fuerint, aut sedis Apostolicae Nuncii, vel Legati. n) Eius insuper Capituli Praepositus Maior, sedis Nobilium de Bátsa, supremus ac perpetuus Comes est, atqve collator. Successor Benedicti XIV. Clemens XIII.

Ca-

n) Legitur Pontif. Breve ap. Laur. Károlyi in speculo Eccl. Iaurin. pag. 139.

Capituli Weszprimiensis Collegium, simili decoravit honore, dum qvatuor huius Collegii *Columnis*, ut dicunt, Infularum insignia, usumqve, Pontificia liberalitate concessit. o) Peculiare decus conseqvutum est Capitulum Zagrabiense, cum Benedictus Vinkovich, eiusdem Praepositus, talem in Comitiis anni 1625. articulo 61. conseqvutus est declarationem: *ut imposterum futuris semper temporibus, Praepositus Zagrabiensis pro tempore existens, peculiaribus Literis Regalibus vocetur ad Comitia, et inter Dominos Praelatos, Barones, et Magnates locum, et vocem habeat.* Mox ad petitionem Ferdinandi II. Pontifici Romano depromtam, idem Praepositus, per Bullam specialem, perpetuis temporibus valituram, Infula qvoqve decoratus fuit. p) Postqvam insuper anno 1632. eidem Prae-

o) Ita lego in oratione funebri dicta Martino Biró Episcopo Weszprimiensi 16. Kal. Oct. 1762. per Norbertum Conradi e scholis Piis, et typis Pestien. edita eod. anno, pag. 18. p) E diplom. Ferd. II. qvod mihi anno 1785. Zagrabiae Theologiae Professori Regio, inspicere, et qvaecumqve sine possessoris praeiudicio exscribi poterant, in adversaria qvoqve mea transferre licuit.

Praeposito Maiori Zagrabiensi, *et per eum faturis qvoqve, et cunctis Praepositis Maioribus eiusdem Ecclesiae Zagrabiensis*, castrum *Bela* adpellatum, Ordinis olim Cruciferorum Prioris Auranae, in Regno Sclavoniae, et Comitatu Varasdinensi existens, uti et universas possessiones ad idem spectantes, in perpetuum donavisset: q) successor Ferdinandus III. Nicolaum Dianesevich aeqve Praepositum et Canonicum Ecclesiae Zagrabiensis, anno Domini 1652. *Prioratus Auranae Gubernatorem, et suos successores Praepositos Maiores Zagrabienses universos, in veros et legitimos dicti Prioratus Gubernatores* creavit. r) Cum igitur Auranae Prior, olim *privilegio Praelatorum uti gaudereqve* consveverit, dictus Ecclesiastico more *Venerabilis*, at simul more civili, tamqvam Regni

q) Ex eod. r) Perinde ex originali. Hinc patet bonae memoriae Georgium Pray in dissert. *de Prioratu Auranae* inscripta, pag. 100. imperfecte rem expressisse, cum scripsit, hodie titulum Gubernatoris Prioratus Auranae, penes Praepositos Capituli Zagrabiensis *fere* manere

gni Magnas, titulo *Magnifici* honoratus: s) duplici iam nomine Praepositus Capituli Zagrabiensis, inter Praelatos numeratur, et usisato hodie, *Illustrissimi ac Reverendissimi* titulo gaudet. Qvi praeterea ex speciali concessione Romana, sub Georgii Branyugh Episcopi gubernio obtenta, cum ceteris qvibusqve Cathedralis Capituli sui membris, adpellatione *Protonotarii Apostolici*, honoratur. t) Unum addo Capitulum Sabariense de Ca-

s) Tripart. parte 2. tit. 54. Exempla vero ap. Steph. Kaprinai Hung. diplomat. etc. parte II. pag. 434. et 478. t) Ex relatione fidedigna Capitularium. Olim praeterea specialis fuit praerogativa huius Capituli, qvam discere licebit e propositionibus statuum Regn. Dalm. Croat., et Sclav. in Comitiis anni 1790. factis, qvae inter Acta eorumdem pag. 312. sic ad verbum habent: „Capitulum „Cathedrale Zagrabiense, in possessione territorii „et fortalitii Dubicensis ab antiqvo inde tempore „praefuit. Occasione factae anno 1750. Confinii „Banalis regulationis, gremialis Canonicus in ca„ractere Vice-Colonelli, cum salario fl. 900. ex „aerario Regio solvendo, Commendans constitu„tus est. Cum autem eiusmodi Commenda sub„lata haberetur, iustum esse cognoscitur, ut di-

Castro ferreo, qvod per articulum 120. Comitiorum anni 1647. dignum esse ad id censebatur, ut a persolvendo domorum censu liberum existat.

§. CCXXXIII.
Reqvisita et oblig.

Ut Cathedralis Capituli membrum fieri quis possit, saltem sex antea mensibus, in Ordine sacro fuerit, est necesse. Ortus sit honestis parentibus; aetate, moribus, et scientia praeditus. u) Imo, ut in qvibuslibet Capitulis dimidia saltem pars, e graduatis constet, Tridentina Synodus optat. v) Fidei Catholicae professionem negligenti, fructus Beneficii prorsus negandi decernuntur, w) ex-

„ctum Capitulum ad usum iuxta privilegium reponatur, in 18000 fl. capitale, seu interusurii „900 fl. recipiat." Reipsa in schematismo I. R. H. anni 1764. legitur Nic. Sigism. Thanſzy Can. Zagrab. S. C. R. A. Maiest. Confinii Dubiczensis Commendans, et I. Banalis Confiniarii Koſztanicensis pedestris Regiminis V. Colonellus. u) Trid. sess. XXII. de ref. cap. 2. v) Idem sess. XXIV. de ref. cap. 12. w) Ibid.

exceptis distributionibus qvotidianis, dum preces canonicas cum reliqvis fratribus persolvit. x) Ad qvas reverenter, distincte, ac devote, per seipsos, et non per substitutos, persolvere; tum Antistiti suo celebranti missarum solemnia, aut alia Pontificalia exercenti, assistere iubentur. y) Sponte hinc seqvitur obligatio residendi. Ut adeo Concilium Tridentinum, ultra tres menses per annum absenti poenas, z) et contumacia crescente, secundum iuris antiqvi tenores, a) privationem qvoqve Beneficii comminetur. At usus obtinuit, a sacra Concilii Tridentini Interpretum Congregatione, die 17. Dec. 1718. probatus, ut is, qvi non interrupto XL. annorum spatio, diligenter Ecclesiae, seu Cathedrali, sive Collegiatae deservivit, ab omni deinceps absolvatur Ecclesiae huius servitio, et ubicumqve degens, etiam qvoad distributio-

x) Lege Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. V. cap. 2. nnm 5. y) Trid. cit. nunc sess. cap. 12. Adde ex iure vetere cap. 9. de celebr. Missar. z) Trident. cit. cap. a) Cap. fin. de cler. non resid.

tiones qvotidianas, pro praesente habeatur. b) Veniunt autem distributionis istius nomine, *certa qvaedam emolumenta, distribuenda iis, qvi horis Canonicis intersunt.* c) Qveis tantum, neqve aliis ista competere, dudum edixerat Bonifacius VIII. illis exceptis, *qvos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necesssitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret.* d) Qvam constitutionem non modo salvam esse voluit Concilium Tridentinum, e) at praecepit etiam, proventus capitularis partem tertiam, in distributiones huiusmodi necessario converti. f) Ubicumqve sunt in usu

b) Vide Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. III. cap. 5. num. 6. c) Bened. XIV. cit. op. Lib. XIII. cap. 12. num. 22. Adde Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. VII. cap. 7. et 11. d) Cap. un. de Cler. non resid. in 6. adde cap. 15. x. eod. tit. et Bened. XIV. cit. op. Lib. IV. cap. 4. num. 1. e) Sess. XXIV. de ref. cap. 12. f) Sess. 21. de ref. cap. 2. et sess. XXII. de ref. cap. 3. Plura de his distrib. Bened. XIV. in Institut. Ecclesiasticis, Institutione CVII. §. 7. seq. Istiusmodi distributionum faciendarum obligationem, Capitulo Strigoniensi imponere voluisse magnae memoriae Archiepiscopum Franciscum Barkóczi, disco e repraesenta-

usu hae leges, ibi *Punctatores* reperias, qvorum est adnotare, qvis, qvando, et qvibus

Di-

tione Archicapituli, die 9. Iulii anno 1762. adornata, cuius accuratissima copia, haec notabilia, etiam reliqvis Eccl. Hung. Capitulis forsan merito applicanda, continet: „Sed et distributiones qvo„tidianae, qvas Celsitudo Vestra exercendas be„nigne praecipere dignatur, haudqvaqvam in pra„xim deduci poterunt. Nam, ut perbelle Celsi„tudini V. perspectum est, redditus nostri, in ma„xima parte in frumento, et vino consistunt. Vi„na fere in toto decimalia, circa finem anni perci„piuntur. Frumenti perceptio, prior qvidem est, „sed raro eodem anno adaeqvate a stramine seqve„stratur; neutrum vero anno, qvo nascitur, di„venditur. Unde poenus exigua, qvae qvando„qve ex Dominiis affertur, fere semper ad annos „praeteritos pertinet, interqve eos partienda, qvi „annis praeteritis fructus suos fecerunt. His ita „se habentibus, qvomodo pro distributionibus „qvotidianis recens ad Capitulum venientes, in „florenis 500. concurrent? si vero non concurre„rint, qvomodo de massa distributionum, qvae „ex fructibus antiqvorum Canonicorum, superio„ribus annis eosdem fructus suos facientium, in „tali casu conflari deberet, portionem recipient, „nihil prorsus iuris ad massam de aliorum redditi„bus conflatam, habentes? etc."

Divini officii partibus, semet subduxisset. g) Ulterior Canonicorum obligatio est, subiici omnimode Praesuli suo: (§. CCVIII.) nisi privilegium exemtionis probetur; h) honorem, qvi dignitati eiusdem convenit, exhibere, in choro, in Capitulo, in Processionibus, aliisqve publicis actibus, et ad mandatum ipsius Conventum, qvi domi nostrae vocatur *Consistorium*, celebrare. i) Deniqve Capitula, non obstantibus exemptionibus, consvetudinibus, aut concordiis, Episcopi visitationi subiacent, atqve correctioni, toties, qvoties ita res, ac necessitas feret. k) Adde obligationem, ex iure superius asserto (§. CCXXIX.) fluentem, Praesulis mortem Clero Dioecesano annunciandi. Item, sibi mox Vicarium eligendi, (§. LII.) atqve hanc electionem notam reddendi.

§. CCXXXIV.

g) Ben. XIV. de Syn. D. Lib. IV. cap. 4. num. 2. h) Cap. 13. de off. iud. ord. Cap. 13. de foro compet. i) Trident. sess. XXV. de ref. cap. 6. k) Idem sess. VI. de ref. cap. 4. Sess. XIV. de ref. cap. 4.

§. CCXXXIV.

In Hung. reqvis. et obl. Spir.

In Ecclesia Hungarica, honor Canonicalis conferri debet personis idoneis, l) qvae scilicet negotia etiam profana, ad mentem legis patriae, exeqvutioni mandare possint. (§. CCXXXI.) Collegium Canonicale debet constare numero sufficiente. Hunc esse qvinarium oportet, ut fidem publicam habere censeatur. m) Nominatus per qvemcunqve, canonice est instituendus; n) atqve illi deinceps incumbit, omnium horarum canonicarum devota persolutio. Nimis benigna Synodus Nationalis, anno 1633. Tirnaviae celebrata, deposcit, ut choro *semper unus ad minimum Canonicorum intersit.* o) Verum Synodus provincialis anni 1638. hanc obligationem omnibus imponit. p) Synodus alia provincialis anni 1611. praecipit, ut Canonici Dominicis festisqve diebus, pro se ac populo Missas celebrent. q) Has ut per seriem

l) Art. 39. 1723. a. 16. 1741. a. 11. 1765. m) A. 41. 1552. a. 39. 1723. n) Syn. provinc. Tirn. anni 1638. cap. 9. §. 3. o) §. 9. p) Cap. 2. §. 1. q) Cap. 1. num. 8.

riem decantent, illa anni 1638. mandat. r) Addit Forgáchiana anno 1611. celebrata, tum Nationalis convocata anno 1630. ut Canonici propter sacerdotum penuriam, Párochias administrent, sine proventuum suorum capitularium iactura, et, qvin propterea Divini officii recitatio in Ecclesia intermittatur. s) Eadem nationalis, aeqvitati consentaneum esse affirmat, ut *opulentiores Canonici, semper aliqvid pro sua qvisqve pietate, ac devotione, post decessum Seminario relinqvant.* t) Ceteras obligationes Canonicorum in Ecclesia Hungarica, non e iure communi, sed e propriis cuiuslibet Capituli statutis, discere oportebit.

§. CCXXXV.
Obligat. Civiles.

Civiles Canonicorum, seu potius Capitulorum Ecclesiae Hungaricae obligationes, ferme sunt, uti seqvuntur: defuncto Praelato, tres fidei probatae, per Capitulum e gremio suo debent eligere, qvorum unus Regio nomine

r) Cap. 2. §. 9. s) Prior cap. 1. §. 7. posterior statuto 3. t) Statuto XV. Omnes ap. Carolum Péterffy in Concil. H. T. II.

mine deputetur, ad defuncti Episcopi funus curandum, inventarii confectionem, fidelemqve omnium conservationem, et consignationem, sub periculo amittendi honoris, et reddendarum de cunctis rationum obligatione. u) Canonici, qvatenus fidedignitates (§. CCXXXI.) sunt, ad iuramentum decretale praestandum obligantur; cuius vigore, omnes omnino, cuiuscunqve demum speciei executiones peragere possunt. v) Tenentur Capitula, percepto *Mandato compulsorio* Regis, aut unius ex Ordinariis Regni iudicibus, w) testimonia sua mittere ad executiones. x) Exmissi vero, sub poena perdendi Beneficii, et perpetui carceris, relationem facere debent genuinam atqve sinceram. y) Abstinendum

u) Ex diplom. Ferd. II. §. CCXVIII. cit. v) Art. 10. 1486. a. 50. 1559. a. 39. 1723. w) Sunt hi: Palatinus, Iudex Curiae, Summus Secretar. Cancellarius, aut suus Locumtenens, iudiciale sigillum portans, ut enumerantur art. 68. 1486. x) Art. 53. 1492. a. 29 1543. y) Art. 8. 1435. a. 10. 1486. a. 43. 1492. Qvid autem hic nomine executionum veniat, consule Szegedi tyroc. Iuris, parte II. tit. 21.

dum habent a literis falsis, authentico sigillo muniendis, sub poena, qvae alias ob notam infidelitatis incurri consvevit. z) Tenetur Capitulum, Instrumenta literalia, ad mandatum reqvisitorium Ordinarii iudicis Regni, in ea forma, qvae in articulo XLII. anni 1723. praescribitur, extradare, a) et qvidem sub poena 600 fl. toties, qvoties fuerit legi contraventum, incurrenda. b) Relatorias autem super qvalibet executione, per Capitulares homines peracta, Capitulum tenetur partibus interessatis, intra spatium anni, sine mandato Reqvisitorio, sub poena refundendi damni, extradare. c) Taxa qvarumlibet expeditionum legalis esto, sub poena amittendi sigilli. d) Qvamvis hodie abolitis veteribus taxis, e) cum non adsit articularis taxatio,

z) Art. 9. 1723. Non ergo stigmatizationis poena viget, de qva trip. parte II. tit. 16. et art. 14. 1498. a) Art. 43. 1723. b) Art. 11. 1765. c) Art. 58. 1550. a. 42. 1723. d) Art. 23. 1495. a. 56. 1523. e) De his Art. 21. 1351. a. 10. 1405. a. 32. 1439. a. 22. 1471. a. 16. 1481. art. 10. 74. 75. 1486. a. 95. 1492. a. 23. 1495. a. 36. 1546. a. 67. 1548. a. 74. 1609.

qvae in articulo 34. anni 1723. promissa fuit, post Carolinam anno 1730. publicatam, f) illa hodie, qvae anno 1770. Mariae Theresiae Reginae Apostolicae iussu edita fuerat, g) observetur. E pecunia, apud se tamqvam locum Credibilem deposita, Capitulum nonnisi partem vicesimam desumere potest, ad rationes partis, qvae causa fuit, ut pecunia sic deponi deberet, imputandam. h) Tenentur Capitula, qvae fide publica gaudent, registrare Tabularia. i) Sed horum Acta, prohibentur aliter extradare, qvam pro sola expeditione, et erga seqvuturam immediate peracta expeditione, eorumdem repositionem; et Notariis qvidem eorumdem Tabulariorum, ad eorum hospitia; aliis vero non secus, qvam in praesentia duorum Capitularium volvenda, in-

f) Vide ap. Szegedi cit. op. parte II. tit. 21. §. 18. g) Systema Taxarum adnexum est Corpori iuris Hung. et observari iubetur, per Resolutionem anni 1774. qvam legito in Collectione B. normal. Resolut. T. I. pag. 45. h) Art. 74. 1609. art. 31. 1638. Proinde abrogati sunt art. 75. 1486. et art. 95. 1492. qvi nonam ac decimam admiserunt. i) Art. 11. 1765.

investigandaqve. k) Praeterea, universae expeditiones in Capitulis conservandae, uti et Authenticae extradandae, inserta habere debent in fine, singulorum Capitularium nomina; subscribenda, corrigenda, et perlegenda sunt eo modo, qvi alias insinuatus fuit. (§. CCXXX.) Novum sigillum, vetere vel detrito, vel deperdito, peti qvidem debet a Rege; in Comitiis autem produci, ut authenticum evadat. l) Canonico in emenda capitis convicto, m) nec habente bona separata, seu mobilia, sive immobilia, Collegium satisfacere obligatur. n) His adde obligationem, Vicarii Capitularis electionem Excelsae Cancellariae Hungarico-Aulicae, prouti etiam Excelso Consilio Locumtenentiali Hungarico, in omni submissione notam reddendi.

 §. CCXXXVI.

k) Art. 25. 1741. l) Art. 46. 1587. a. 38. 1597. a. 38. 1598. a. 85. 1635. a. 39. 1655. a. 44 1723. a. 7. 1751. m) Id est in fl. 400. iuxta trip. parte II. tit. 43. n) Idem eadem parte, tit. 47. Adde Szegedi cit. op. ad h. tit.

§. CCXXXVI.
Iura Vicarii Capitul.

Qvoniam ius, qvod obtinet Capitulum Episcopali sede vacante, (§. CCXIX.) mox in Vicarium suum transferre debet, (§. LII.) qvaecumqve agere poterat Capitulum de iure communi, ad eadem agenda extenditur, ac etiam restringitur Vicarii Capitularis potestas. Dubitant vero, num ille vi muneris agere possit, ad qvae perficienda, Vicarius Episcopalis indiget mandato speciali. (§. CCXXIV.) Unus mihi suffecerit pro multis Benedictus XIV. Pontifex, qvi hoc modo ratiocinatur: Voluit sacra Tridentina Synodus Vicarium a Capitulo eligi, ad evitandas Capitularium dissensiones, multaqve praecavenda, qvae docente experientia, seqverentur, si Episcopalis iurisdictionis administratio, penes Capituli corpus resideret. Atqvi haec non minus possent metui, qvodsi constituto Capitulari Vicario, nihilominus Capitulum, suo iudicio illa reservaret, qvae ceteroqvin indigent speciali mandato. Qvare sententia doctissimi Pontificis est, Vicarium Capitularem nullo indigere speciali mandato, ut ab eo Synodus

Dioe-

Dioecesana convocetur, dummodo annus effluxerit ab ultima Synodo, per Episcopum celebrata. o) Qvo temporis spatio praeterlapso, Vicarium eumdem, habere potestatem Canonicae Visitationis per Dioecesim, et in Capitulo peragendae, sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, anno 1721. die vero 13. mensis Septembris, declaravit. p) Utrum Indulgentias qvoqve largiri possit, qvas concedere, Praesuli scriptum ius admittit? (§. CCXIII.) eruditi qvaerunt. Sacra Congregatio, qvam nunc memoravi, eatenus consulta, nolensqve iuris controversiam decidere, anno 1688. die vero 13. Novembris, respondit: *Vicarius Capitularis se abstineat.* q) Qvamvis autem Iurisdictio *radicaliter* sit penes Capitulum, et solum exercitium eius iurisdictionis penes Vicarium resideat: huius tamen revocatio non est arbitraria, sed fieri debet ex causa, qvam sacra Congregatio Cardinalitia (§. CXXXII.) ratam habebit. r)

§. CCXXXVII.

o) De Syn. Dioec. Lib. II. cap. 9. num. 4. p) Ibidem num. 6. q) Ibid. num. 7. r) Ibid. num. 4. Adde Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 9. cap. 4.

§. CCXXXVII.

Reqv. et obl. Prael. Regul.

Ut Regulares Praelati, (§. LVII.) non modo suis, de qvibus aget ius privatum, praeesse qveant, verum ut influere qvoqve possint in externum Ecclesiae regimen, et agere omnia, qvaecumqve ipsis utriusqve Reipublicae leges concedunt, qvaepiam in illis reqvisita, et certae ab iisdem obligationes deposcuntur. Nimirum aetas maior annis viginti qvatuor. s) In eo Instituto Regulari, in qvo praeficiendi sunt, elicita professio Religiosa. t) Confessio fidei Catholicae, qvam Pius IV. anno 1564. praecepit. u) Suscepti minores saltem Ordines. v) Et cum illi qvoqve ceteris adnumerentur, qvi Missae Sacrificium pro suis offerre debent, w) obligatio seqvitur, qvantocius Ordinem Presbyteratus suscipiendi. Intra annum a die electionis computandum, petere debent sui benedictionem;

s) Cap. 1. de statu Monachor. t) Citato cap. item 37. de elect. cap. 28. eod. in 6. u) Legitur ad calcem Conc. Trident. et incipit: *Iniunctum Nobis.* v) Cap. 10. de aetate et qvalit. et ordine praeficiendor. w) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 1.

nem; x) ac de iure qvidem communi, a proprio Antistite, non antea semet immissuri in officium: nisi ter rogatus Praesul, deferre petitioni nollet. y) Verum Archiabbas montis Pannoniae, qvi hisce admodum diebus, ab Rege Apostolico Francisco, cum omni illo iure et privilegio, sicut tempore suppressionis anno 1786. praefuerat, restitutus est: z) ex

x) Ex constitut. Bened. XIII. *Commissi nobis.* Adde Bened. XIV. de Syn. D. Libro II. cap. 11. num. 9. y) Cap. 1. de suppl. neglig. Praelator. z) Benignae Resolutionis, mecum liberaliter communicatae in Copia, primus §phus ita habet ad verbum: „Cum Benedictinos in Hungaria in integrum restituendos decreverim, suapte intelligitur, eos in plenum Archi et Abbatiarum suarum, actuqve praeexistentis fundi instructi Possessorium, cum omni illo iure, et Privilegio, sicut tempore suppressionis anno 1786. praefuerunt, reponendos esse, nihil enim ex iis, qvae „Proto-Regis D. Stephani liberalitas, Ordini huic „pro meritis contulit, decerptum esse volo etc. „- - - Qvod vero concernit terminum Resignationis Bonorum, et introductionis modalitatem, „hunc pro 25. Aprilis anni currentis (1802) defigo et pro Introductione A. Abbatis et Benedictinorum, pro Commissario meo A. Episcopum

ex indulto S. Stephani Regis, a qvocunqve Episcopo velit, sui benedictionem petere potest. a) Et qvamqvam Regulares generatim, ratione exterioris curae animarum, Synodis Episcopalibus iubeantur interesse: (§. XCI.) ab hac tamen obligatione idem Archi-Abbas exemtus est per sanctissimum Regem. b) Qvi etiam

„Colocensem, aut hoc nefors valetudine impedi„to, Episcopum Albensem Milasin denomino.“
a) Ita enim in diplomate S. Stephani, qvod legitur in novi Archi-Abbatis Ill. Chrisostomi Novák opere inscripto: *Vindiciae Diplomatis, qvo S. Stephanus - - Monasterium S. Martini - - anno* 1001. *fundaverat:* habetur: „sit id ipsum monasterium ab omni inqvietudine semotum, habeantqve Mo„nachi post transitum sui cuiusqve Abbatis ali„um Abbatem securiter eligendi, et a qvocun„qve velint Episcopo consecrandi eum“ etc. b) Qvamvis enim id in memorato S. Stephani diplomate verbis expressis non dicatur, at vero Paschalis II. Pont. ann. 1103. sensui memorati diplomatis innixus aiebat: „Secundum praeceptum „B. mem. Stephani Pii Regis, per praesens pri„vilegium confirmamus. - - Decernimus etiam ut „nulli Episcoporum liceat in iam dicto Monaste„rio ordinationes facere, - - - vel in Ecclesiis ei„dem Monasterio subiectis, sacerdotem excom-

etiam Abbati S. Mauritii de Beel, eiusmodi privilegium concesserat, ut nullius Episcopi subiaceat potestati, soliusqve Strigoniensis Archiepiscopi Synodo generali assistat, ut ibi salutaria monita audiendo, se, suosqve, salubriter instruere possit. c)

§. CCXXXVIII.
Iura e lege communi.

Praelati Regulares, per benedictionem (§. praec.) conseqvuntur ius Mitrae Episcopalis,

„municare, vel ad Synodum vocare, aut Abba„tes, vel Monachos." Integrum legitur ap. Ill. Novák, op. cit. pag. 9. Interfuerunt qvidem anno 1263. nationali Synodo Budensi, Abbas montis Pann. et plures eiusd. ord. Abbates. Verum hanc convocaverat Angelus, Urbani IV. Pont. in Ungaria Nuncius. De qva Syn. in meis Amoenit. fascic. IV. num. I. paragropho 4. c) Datum dipl. anno 1037. legitur apud Pray in dissert. de S. Dextera S. Steph. pag. 145. et apud Batthyán in legib. Eccl. R. H. pag. 385. Invectis exemtionibus, abolitae sunt obligationes Abbatum, qvas legere est decr. S. Lad. libro I. cap. 21. 35. 36. et in Syn. Strig. an. 1114. cap. 37. et 38.

palis, d) et Ordines inferiores, qvamqvam propriis duntaxat subditis, e) conferendi potestatem. f) Alienis vero, neqve cum proprii Praelati literis dimissoriis, conferre possunt. g) In Synodis, tametsi seqvantur corpus Canonicorum Cathedralium in sedendo: attamen singillative sumtos, tam hic, qvam alibi praecedunt. h) Hisce Synodis interesse possunt mitrati, sic tamen, ut exemti qvidem, mitris aurifrisiatis, absqve laminis argenteis, aureis, vel gemmis: non exemti vero simplicibus, et albis utantur. i) Sed cum

d) Cap. 6. de privil. in 6. e) Trid. sess. XXIII. de reform. cap. 10. f) Can. 11. dist. 69. Cap. 11. de aet. et qvalit. et ord. praef. g) Sacra Congr. Conc. Trid. Interpr. sub Urbano VIII. ita decidit, teste Ben. XIV. de Syn. D. Libro II. cap. XI. num. 12. h) Ita Caeremoniale Episc. Lib. I. cap. 31. num. 15. „Dignitates, et Canonici Cathedralis Eccle-„siae, cum Capitulariter procedunt, aut sunt, prae-„feruntur ceteris omnibus; alias Abbates Titula-„res, et habentes usum Mitrae praecedunt, et post „eos Commendatarii, deinde Dignitates, mox Pro-„curatores Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, „deinde ceteri, pro cuiusqve dignitate, et gradu.“ i) Cap. 6. de privil. et excessib. privilegiator in 6.

cum lex, privilegium hoc memoratos Regularium Praelatos, in provincialibus, et Episcopalibus Synodis habere dicat, utrum in Oecumenicis, qvibus assidendi privilegium habent, ornamento hoc uti possint, decidere non ausim.

§. CCXXXIX.

Iura et oblig. Commendatar.

Qvum leges nostrae magis refugiant, qvam adprobent Commendatarios, (§. LVIII.) de his paucula dicam. Commendatarii partium est, onera ferre, reparationes suscipere, ornamenta Ecclesiae procurare, eleemosinas erogare. Ceteroqvin proventibus libere utitur; de his disponit, sicut verus Abbas, qvamvis alienare nec immobilia, neqve mobilia possit. Collator fit Beneficiorum. Habet locum, atqve honorem vero Abbati competentem. Qvapropter etiam in Episcopali Synodo, proximum ab Abbatibus locum tenet. (§. praec.) Religiosi tamen permanent sub Regulari iurisdictione. k)

§. CCXL.

k) Vide Fleuri institut. Iuris Eccl. parte II. cap. 26. Espen Iuris Eccl. univ. parte I. tit. 31. cap. 7. et 8.

§. CCXL.
Praelatorum Hung.

Nomine Praelatorum Hungariae, de qvorum iuribus et oneribus, partim loqvuti, partim loqvuturi sumus, intellige non solum Archiepiscopos, et Episcopos, verum Abbates etiam, atqve Praepositos, tam saeculares, qvam et Regulares. l) Nam, etsi conditus anno 1608. post coronationem articulus primus, qvibusdam utatur circumscriptionibus: at vero par illorum per Literas Regales ad Regni Comitia fieri solita evocatio, docet, adversus qvaspiam in ea lege factas expressiones, eo modo fuisse praescriptum, qvo contra articulum 8. anni 1439. et contra articulum 24. anni 1514. praescriptum esse, vetus experientia docet. Recentiore demum aetate, Praelatos inter, Barones, et Magnates, connumerati sunt: Praepositus Maior Capituli Zagrabiensis, (§. CCXXXII.) et Ordinis Praemonstratensium Abbas Lucensis, qva per Hungariae Regnum perpetuus sui Ordinis Vicarius Generalis, et Praepositus S. Stephani de promontorio Varadiensi. m)

§. CCXLI.

l) Tripart. parte II. tit. 49. m) Art. 73. 1715. In

§. CCXLI.

Iura communia.

Praelatorum nostrorum singillative sumtorum iura spiritualia, atqve civilia, suis iam lo-

continuationem adnotationis factae sub §pho LVII. et §. CCXXVII. memoratae B. Resoi, Regiae particulam, velut loco oportuno, hic adpono, qvae sic habet: „Circa Praemonstratenses et Cisterci„tas placent omnia, qvae Cancellaria proponit „eo addito, ut, cum Soproniense Gymnasium Be„nedictinis assignaverim, Praemonstratensibus „Keſzthelyiense substituatur. - - Pro Praeposito „Iaſzoviensi Andream Zasio, pro Csornensi au„tem, cum Türje, et Iánoshida Praeposituris u„nita, Stephanum Harsányi, cum remissione ta„xae clementer denomino. Pro Páſztojensi au„tem Abbate, praestolor propositionem suae Cel„situdinis Regiae Palatini, pro futuris vero va„cantiarum casibus, idem apud Praeposituras has „obtineat, qvod superius de A. Abbate consti„tui." Addo notulae historicae adinstar: dudum Auranae Priorem, numeratum fuisse inter Hung. Praelatos.! De qvo Tripart. parte II. tit. 54. et Pray dissert. de Prioratu Auranae. Generalem Paulinorum ex art. 1. 1608. post coronat. et hic §pho LX. in nota. Imo etiam PP. soc. Iesu, qva Bonorum ad Abbatias et Praeposituras pertinen-

locis enumeravi. Communia vero iura, ferme huc revocantur. Nihil obstantibus qvibusdam Regni articulis, n) Praelati etiam mere Titulares, tam iuxta vetustiores, o) qvam secundum recentiores Comitiorum leges, in Curia Regia iudices agere possunt. p) Imo in Tabula septemvirali, tres e Statu Praelatorum, debent locum et votum habere. q) Iidem Praelati, separatum a Capitulo suo habentes possessorium, per annum a die electionis computandum, gaudent privilegio pupillari, ne in facto iurium possessionariorum respondere teneantur. r) Ceteroqvin, qvilibet Praelatus, Abbas, et Praepositus infulatus, et annulatus, ex officio, pro decem personis nobilibus, habet iurandi potestatem;

et

tium, actuales possessores, sessionem cum voto inter Status et OO. Regni habuisse, iuxta art. 73. 1715. Qvem sibi honorem Regia scientiarum Universitas Hungarica, eodem ex fundamento conferri, nuper postulabat. n) Art. 6. 1608. ante coronat. item art. 99. 1647. o) Art. 2. 1498. a. 10. 1500. a. 3. 1507. p) Art. 13. 1557. a. 39. 1559. a. 24. 1563. a. 22. 1566. q) Art. 24. 1715. a. 24. 1723. a. 24. 1741. r) Tripart. parte II. tit. 50.

et qvilibet horum in Ecclesia sua, coram testimonio alicuius Capituli vel Conventus per iudicem deputato, ad conscientiae puritatem fatetur, vel testimonium praebet. s)

§. CCXLII.
Et obligat. communes.

Communes autem Praelatorum Hungariae obligationes, in domestica lege fundatae, sunt ferme seqventes: Regi Apostolico fidelitatis iuramentum praestant. t) Extranei, Praelaturam in Ecclesia Hungarica conseqvuti pingviorem, aureos mille: tenuiorem qvi obtinuerunt, ducentos aureos ad cassam Regni persolvendos habent. u) Evocati ad Comitia, si nec ipsi compareant, nec per Ablegatum, florenos 800. persolvunt. v) Inde vero sine Palatini scitu recedentes, duplum prioris pendunt. w) Dudum abolita Praelatorum insurrectione personali, x) huius loco, aes, aut militem statuere debent. y)

§. CCXLIII.

s) Ead. parte tit. 40. t) Trip. parte I. tit. 12. u) Art. 26. 1687. a. 17. 1741. a. 70. 1791. v) Art. 1. 1498. a. 79. 1635. a. 53. 1662. w) Citatus ult. loco art. x) Merito de epocha cessantis mi-

§. CCXLIII.

Vic. for. et Decan. rur. iura.

Inter eos, qvi Praelatis inferiores sunt animarum Pastores, memorantur Vicarii foranei, (§. LIII.) item rurales Decani, seu dicti more nostro, Vice-Archidiaconi. (§. LIV.) De propriis illorum seu iuribus, sive oneribus, nihil uspiam reperio praeceptum; nisi omnia haec nomina, cum interpretibus sacrorum Canonum, prorsus idem sonare dicam. z) Tunc enim praeceptum invenio, *ut singulae plebes Archipresbyterum habeant, - - - qvi non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam Presbyterorum, qvi per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiant, et qva unusqvisqve industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuncient, - - nec aliqvid contra eius decretum ordinare praesumant.* a) Ceterum, qvan-

litiae ap. Praelatos Hung. legeris Ignatii C. de Batthyán, praemissam legib. Eccl. dissertationem, cap. XIX. §. 1. y) Art. 8. 1715. a. 63. 1741. z) Espen iuris Eccl. univ. parte I. tit. 12. cap. 2. Remig. Maschat. Instit. Canon. lib. I, tit. 23. a) Cap. 4. de off. Archipresb.

qvanta sit hodie potestas ruralium Archipresbyterorum, aut, si dicere malis, Vice-Archidiaconorum, consvetudo locorum consuli debet. Nonnulla horum munera, domesticae leges, tam Ecclesiasticae, b) qvam profanae, c) verum paulo vetustiores retulerunt.

E

b) Synodus Nitrien. 1499. cap. 31. ordinandos in absentia A. Diaconi, per V. Archid. praesentari iubet. Synodus Vesprim. 1515. mandat V. Archidiaconis, ut ter in anno, coram fratribus congregatis, huius Synodi constitutiones publicent. Ordinandos Episcopo, vel examinatoribus deputatis, per literas sigillis munitas repraesentent. Synodus provinc. Tirnav. 1611. cap. 5. idoneum V. Archidiaconum vult constitui. Dioecesana Agriensis celebrata Iaſzoviae ann. 1635. cap. 7. §. 2. praecipit, ut ubi Archidiaconi visitationem peragere neqveunt, eam V. Archidiaconi peragant. Synodus Zagrab. anni 1669. cap. 3. decernit, ut Parochi obitum V. Archidiaconus significet. c) Artic, 39. 1439. Ne Archidiaconi pro funeribus interfectorum solutionem exigant. Art. 63. 1486. idem decernit. Art. 29. 1492. idem vetat. Art. 6. 1495. idem prohibet. Art. 60. 1514. Presbyteri non beneficiati, deferentes arma, ad V. Archidiaconum deduci iubentur. Art. 17. 1537. praecipit, ut Ple-

E recentioribus vero Praesulum nostratium statutis, tum ex literis Episcopalibus, virtute qvarum, pro hocce munere destinantur, haec ferme iura ipsorum eruere licet. Existentes in Districtu Parochi, omnesqve Curati debitam eis reverentiam, in iis vero, qvae ad V. A. Diaconale munus pertinent, debitam qvoqve paritionem exhibere tenentur. Potestatem habent, Districtus suos freqventius visitandi. Congregationes Districtualibus fratribus indicendi. A recto tramite devios, privatim admonendi. Exigendi, revidendiqve singulis annis Ecclesiarum rationes. Defectus et errores, si qvi irrepserint, corrigendi. Causas privatas cognoscendi, controversiasqve componendi. Sacram supellectilem, in qva non adhibetur unctio; item Instrumen-

bani, Capellarum, et altarium Rectores, iuxta factam a V. Archidiaconis conscientiosam limitationem, pro intertentione militiae solvant. Art. 6. 1548. iubentur Episcopi mittere V. Archidiaconos ad docendam plebem. Et ibid. art. 10. decernit, ut V. Archidiaconi idiotas, et non sacerdotes concionari vetent.

menta Ecclesiastica: veluti etiam statuas, cruces, et imagines, pro qvarum conservatione, aut si eas desolari contingat, restauratione, dos competens fuerit assignata, intra Districtus sui ambitum benedicendi. A casibus Ordinario reservatis, in Sacro Tribunali absolvendi; atqve hanc absolvendi potestatem, in particulari casu, moram atqve recursum ad eumdem Ordinarium, non admittente, intra Districtum suum delegandi. Obitum fratris sui Condistrictualis, mox referendi.

§. CCXLIV.
Et obligationes.

Qvaecunqve praeterea Hungariae Rex Apostolicus, seu communi illo supremis Potestatibus iure inspectionis, (§. CLXX.) vel Advocatiae: (§. CLXXII.) seu reservato iure Supremi Patronatus, (§. CLXXVIII.) decrevit, illa V. Archidiaconus communicata secum ex Officio Dioecesano, sine mora fratribus Condistrictualibus nota reddere obligatur. E districtu autem referenda habet seqventia: omni trimestri, qvasvis intra Districtum suum factas noviter fundationes, seu

pia legata; d) imo et de harum non existentia, in forma, per Exc. Consilium R. Loc. Hung. praescripta. e) Qvolibet semestri scholastico, praescriptas de scholis nationalibus in Districtu suo existentibus informationes, non qvidem Ordinario suo, verum Superiori earumdem scholarum Regio Inspectori. f) Qvovis anno, relationem tabellarem de prolibus, qvae ex mixtis matrimoniis, per decursum illius anni, in districtu suo natae fuerunt. g) Eius praeterea muneris est, de fratrum Condistrictualium, qvi ex fundo publico qvidpiam annui participant, abitu, aditu, vel obitu, ad Regium Officium solutorium testari. h)

§. CCXLV.
Reqvis. ad off. Parochi.

Porro tam ab istis, qvorum nunc memini, qvam a ceteris, qvatenus Parochi sunt, seu Plebani, (§. LV.) peculiaria qvaedam po-

d) Intim. 24. Augusti 1793. e) Intim. 6. Febr. 1798. f) Int. 28. Aug. 1795. g) Int. 25. Iunii 1793. h) Int. 12. Martii 1799. Qvae omnia in protocolis Parochialibus habentur.

poscuntur, suo ut munere defungi libere possint. Et vero, cum ars artium sit, regimen animarum, necesse est, ut, qvi praeesse vult gregi Dominico, eam habeat scientiam, qvatenus *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qvi contradicunt, arguere;* i) atqve propter adnexa munera, qvae duntaxat a Presbytero peragi possunt, eam qvoqve habere aetatem, ut Presbyteratus Ordinem, intra annum, a die obtenti Parochialis officii computandum, suscipere qveat. k) Ne praeterea sumat qvispiam temere sibi Pastoralis officii honorem, vestiganda est iussu Concilii Tridentini, cuiusvis aptitudo in concursu, per edictum publicum indicendo. l) Verum haec Tridentina lex apud nos hodie locum obtinet non alias, qvam si Parochiale Beneficium Regio Patronatus iuri subsit. m) Ceteroqvin in Ecclesia Hungarica Beneficium Parochiale obtinetur, vel per liberam Episcopi collationem; vel ab Ecclesiae Patrono vigore scripti il-

i) Ad Tit. cap. I. v. 9. k) Cap. 7. de elect. cap. 14. eod. in 6. Cap. 2. de aetate etc. in Clem. Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 12. et 14. l) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 18.

illius, qvod *Praesentam* dicimus. Qvamqvam enim ius istud reputetur velut rei Spirituali adnexum, n) ideoqve laicis incompetens: attamen indulgetur iisdem, o) atqve Concilium Tridentinum, ius hoc stare supponebat. p) Praesentantio tamen minime sufficit ad capessendum Parochiale munus; cum lex Ecclesiastica doceat, Beneficium Ecclesiasticum non posse licite sine Canonica institutione. q) Qvam sicuti fieri debere, supponunt leges Hungaricae, tam Ecclesiasticae videlicet, r) qvam civiles, s) ita, invitis Patronis attentari, vetant. t) Institutio haec, seu *Investitura*, spectat principaliter ad ius Episcopi, u) imo etiam Episcopalis Vicarii, nisi fuerit nomi-

m) Intim. Exc. Cons. 12. Aug. 1800. n) Cap. 16. de iure patronat. o) Cap. 7. eod. tit. p) Sess. XXIV. cap. 18. de reform. q) Cap. 1. de reg. iuris in 6. r) Syn. Nitrien. anni 1494. cap. 23. Weszpr. a. 1515. pag. 250. edit. Poson. Tyrnaviensis. anni 1560. cap. 24. §. 6. item altera 1630. statuto 8. Tum anni 1633. statuto 15. Deniqve anni 1638. cap 9. §. 3. s) Art. 6. 1548. et art. 13. 1550. t) Art. 66. 1498. item a. 26. 1504. deniqve art. 100. 1647. u) Trid. sess. XIV. cap. 12, 13. Sess. XXIV. cap. 18. de ref.

minatim excepta. v) Episcopali sede vacante, mox in Capitulum devolvitur; w) protinus tamen, in eius Vicarium transit. (§. LII.) E privilegio, etiam aliis competere potest. x) Atqve nuper admodum, illud Archi-Abbas de Sacro monte Pannoniae, velut iurisdictione *qvasi-Episcopali* inde a primis Regni Hungarici incunabulis gaudens, in bonis ad Monasterium suum pertinentibus, gratia Regis Apostolici Francisci recepit. y) Cum Institutione coniungitur fidei Catholicae professio, intra bimestre ab obtento Beneficio, in manibus Episcopi, aut Eius Vicarii, seu Officia-

v) Cap. 3. de institut. w) Cap. 1. de institut. in 6. x) Cap. 6. de institut. y) In B. resolutione alias memorata: item in Diplomate S. Ordini Benedict. 12. Martii 1802. dato, haec leguntur: „Ut „A. Abbas, velut Episcopali Iurisdictione, inde „a primis Regni incunabulis, anteqvam ullus al„ter in Regno praefuisset Episcopatus, in Bonis „gaudens, idoneis animarum Curatoribus Paro„chias et Locales Capellanias in fundationalibus „Bonis, absqve ullo fundi, sic dicti Religionarii „aggravio, providere, qvin tamen ad reqvisitio„nem cuiuscunqve Episcopi, ad aliena Bona, Re„ligiosum sui Ordinis exponere teneatur.“

ficialis, elicienda. z) Cui de more nostro, additur iurata promissio, cuncta diligenter observandi, qvaecumqve in Instrumento Investiturae sunt expressa. Post institutionem verbalem, praecipitur realis in possessionem Beneficii Parochialis introductio, qvam domi nostrae *Installationem* dicunt. a) Haec de lege, atqve de Stylo ad Archidiaconum spectat. b)

§. CCXLVI.
Iura intra Parochiam.

Cum sint determinati Parochiarum limites, c) seqvitur, ea, qvae sunt iurisdictionis Pa-

z) Trid. sess, XXIV. de ref. cap. 12. a) Cap. 5. de elect. in 6. Cap. 18. de praebend. et dignit. in 6. b) Cap. 7. de off. Archid. Investiturae mihi die 7. Febr. an. 1798. extradatae, haec leguntur inserta: „Tibi praefatae Parochiae beneficium - - - conferimus, inqve eodem Te canonice instituimus, ac „in eius, et pertinentiarum eiusdem reale possessorium, vigore praesentium introducendum, RR. „Domino Georgio Dervarics Archi-Diacono Simighiensi committimus.“ c) Can. 1. caus. 13. qv. 1. Can. 4. caus. 21. qv. 2. Conc. Trid. sess. XIV. de ref. cap. 9. Sess. XXIV. de ref. cap. 13.

Parochialis, neminem posse respectu alienorum Parochianorum exercere, absqve Parochi proprii consensu, nisi urgeat necessitas praesens, qvae nullatenus evitari potest. d)

§. CCXLVII.

L a b o r i o s a.

Porro cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, qvibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiqve Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumqve miserabilium personarum curam paternam gerere: patet nimis qvam aperte, Iura Parochialia, neutiqvam voluptuosa, verum maximopere onerosa esse; neqve ad otium, sed ad labores atqve sollicitudines destinari. Qvare non tantum residentia deposcitur a Parocho; verum si ferendis laboribus impar sit, alius ei Sacerdos adiungi debet. e)

§. CCXLVII.

d) Cap, 2. de Parochiis etc. e) Trid. sess. XXI. cap. 4. et sess. XXIII. cap. 1.

§. CCXLVIII.
Circa baptisma.

Sacri baptismatis, proprius minister est Parochus. Neqve tamen omnibus illud indifferenter, etiam in Parochia sua conferre potest. Regia namqve Resolutio, anno 1775. die 30. Maii, per Exc. Consilium Hung. intimata volebat, ne proles Iudaicae impuberes, insciis, aut invitis parentibus, tutoribusve, et curatoribus baptisentur, nisi versentur in manifesto vitae periculo, vel fuerint derelictae. Casum in contrarium, proles tametsi illicite baptisata, abstrahenda est a parentibus, et impensis eius, qvi hanc baptisavit, educanda. Hoc autem destitutó mediis, in Orphanotrophio tamdiu alenda, qvoad artem discere possit. Rata vero illam concernens, a parentibus extradanda. Indulgetur ibidem, ut pars coniugum iudaicorum, Christianam Religionem amplectens, proles qvoqve suas, adhuc teneras, neqve annos discretionis habentes, ad sacrum regenerátionis lavacrum, deducere possit, qvamvis invito coniuge, qvi in iudaismo perseverat. Imo avo qvoqve paterno, maternove, ad Christianam

Re-

Religionem transeunti, qvoad nepotes, ac neptes, rationis usu necdum pollentes, eadem potestas adtributa fuit. Qvod vero in eadem Resolutione disponitur, ut nimirum proles Iudaica, si iam annos discretionis asseqvuta, optaret Christiana fieri, citra difficultatem baptisetur: correctum est per novam Resolutionem anno 1791. die 16. Septembris publicatam, qvae alteram anni 1789. Resolutionem stabiliendo, ne videlicet Iudaeus ante decimum octavum aetatis suae annum baptisetur, declarat: Suam Maiestatem, dedisse potestatem Excelso Consilio Locumt. Hungarico, ut in casibus illis, ubi momentosae subversantur rationes, qvoad baptisandas illas Iudaeorum proles, qvae qvartum decimum aetatis annum iam superarunt, et bonum a malo discernere valent, praeterea baptismum ipsae desiderarent, ac in desiderio perseverarent, dispensare possit. E principio articuli 26. §. 15. anno 1791. conditi, seqvitur, proles e mixtis matrimoniis natas, dum pater Catholicus est, omnes in Ecclesia Parochiali baptisandas esse; qvodsi mater dumtaxat fuerit Catholica, solas foemellas debere illic sacro ab-

lui

lui fonte. Liberum tamen est iuxta eiusdem articuli §phum sextum, Evangelicis opera Catholici Sacerdotis uti. Mox post collatum baptisma, arripiendus est liber, qvem dicimus Matriculam, atqve huic inseratur annus, mensis, dies, nomen baptisati, patrini, parentes, baptisans, et locus natalis. Cetera ritualis liber edocebit. g) Regium vero mandatum, anno 1793. die 25. Iunii publicatum, decernit: Pro eo, ut prolium mixti matrimonii, qvae catholice educandae sunt, tali educationi Parochi in suis Parochiis, et filialibus, mature, ac in tempore invigilare possint, separatam matriculam, aut regestum super mixtis matrimoniis, et ex his progenitis prolibus haberi debere. Matriculae, ad praecavendas fraudes (uti est correctio, aut evulsio foliorum) per Intimatum Exc. Consilii anno 1778. die 13. Februarii publicatum, sub clave custodiri iubentur. Aliud vero Intimatum, anno 1771. die 10. Maii editum, praecipit,

g) Praecipit huiusmodi librum Syn. Trid. sess. XXIV. decr. de ref. matrim. cap. 2. Synodus provinc. Tirnavien. anni 1611. cap. 3. §. 8. Item Syn. Tirnav. dioecesana anni 1630. statuto tertio.

cipit, ut in testimonio Natalium, seu literis baptismalibus, matriculae verba, et apices, religiose observentur.

§. CCXLIX.
Circa Sacram. Confirmat.

Cum Sacramenti Confirmationis ordinarius minister sit Episcopus, h) atqve hac aetate nostra, novem supra decem orthodoxi Praesules Latini ritus, in Ecclesia Hungarica numerentur; (§. XXXIX. seq.) nec illa proinde sit isthic terrarum necessitas, ob qvam Romani Pontifices, qvandoqve secundi etiam ordinis sacerdotibus latini ritus, conferendi Sacramentum Confirmationis potestatem, concessisse leguntur: i) id unum competit, aut potius incumbit cuivis Parocho, ut de virtute Sacramenti istius oportuno tempore plebem suam edoceat, secundum ea praeprimis, qvae in Catechismo Romano, k) atqve in Synodis Ecclesiae Hungaricae l) leguntur.

§. CCL.

h) Conc. Trid. sess. VII. de confirm. canone 3. i) Lege Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. VII. cap. 7. seq. lib. XIII. cap. 15. k) Parte II. cap. 3. l) Nitrien. 1494. cap. 2. Weſzprim. 1515. ap. Péterff.

§. CCL.

Circa Eucharistiam.

Eucharistiam fidelibus porrigendi, adeo proprium est ius Parochiali Presbytero, m) ut sacra Congregatio Tridentini Concilii in- interpres, anno 1650. die 11. Iunii declaraverit, praecipi posse Regularibus, ut personis saecularibus die Paschatis non administrent Eucharistiar Sacramentum, etiamsi dictae personae, praecepto Ecclesiae annuam communionem inculcanti, iam satisfecissent. Qvod rursus anno 1682. die 31. Ianuarii repetitum fuit. n) Atqve domestica Synodus provincialis, anno 1611. Tirnaviae celebrata, praecepit, ut *ubi monasteria habentur, moneatur populus, ut circa Pascha omnes in sua Parochia communicent.* o) Adnotavit nihilominus Ecclesiastici rigoris qvam tenacissimus Antistes Ioannes Szili, primus Ecclesiae Sabariensis, Episcopus, anno 1799 vita functus; in Hun-

T. I. Conc. Hung. pag. mihi 235. Tirnavien anni 1560. cap. 4. Item Tirnav. 1629. cap. 1. §. 5.
m) Cap. 1. de privil. in Clem. n) Apud. Bened. XIV. de Synodo dioec. Lib. IX. cap. 16. num. 3.
o) Cap. 3. §. 10.

Hungaria praecepto communionis Paschalis, etiam extra Ecclesiam Parochialem satisfieri; professus tamen est, se cupere, ut generalis lex communionis paschalis, p) in Parochia sua a qvolibet perficiendae, in Dioecesim suam inducatur. q) Eucharistiam aegre de-

cum-

p) Cap. 12. de poenit. et remiss. Cuius haec sunt verba nimis notabilia in rem nostram: „Omnis u- „triusqve sexus fidelis, postqvam ad annos dis- „cretionis pervenerit, omnia sua solus peccata „saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio „Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam pro- „priis viribus studeat adimplere, suscipiens reve- „renter ad minus in pascha Eucharistiae Sacramen- „tum: nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob „aliqvam rationabilem causam ad tempus ab hu- „iusmodi perceptione duxerit abstinendum: alio- „qvin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et „moriens Christiana careat sepultura etc." q) In instructione Cleri Sabariensis, edita typis Vindob. anno 1777. cap. 8. Reperi qvoqve in Protocolo Parochiae meae literas Vicariales anno 1759. die 18. editas, qvae isthanc monitionem continent: „Cum autem et Confessionis Paschalis tempus iam „incoeptum sit, curandum est, ut Parochiani te- „stimonium Confessionis apud Regulares, vel ex- „tra Parochiam confitentes, exhibeant, ac saltem

cumbentibus porrigendi adinstar viatici, ius est parochiale, r) aut si mavis, obligatio qvam strictissima, qvamvis morbus sit aut pestifer, s) aut contagiosus. Ut autem pro dignitate sua excipiatur tam Augustus hospes, Regina Maria Theresia dudum providit. Namqve huius nomine, Excelsum Consilium Locumt. Hung. anno 1752. die 10. Aprilis praecipiebat: ut in civitatibus, et Praesidiis, sanctissimum altaris Sacramentum ad infirmos publice semper deportetur, et de casu in casum,

„ad Communionem paschalem, in propria Parochia peragendam, adstringantur." Qvae salutaris monitio legitur in ipso Rituali Libro, titulo *de Communione Paschali:* neqve, nisi pigritantibus animarum Pastoribus, displicere potest. r) Cap. 1. de privil. etc. in Clem. s) Legito hac de re Bened. XIV. aureum opus de Syn. Dioeces. libro XIII. cap. 19. Item Cl. viri Georgii Háifzler medicinae Doctoris opus inscriptum: *Orvosi Munka*, editum Weszprimii 1801. magno eruditionis adparatu, ordine singulari, sermonis Hungarici nitore. Cuius additio ad tract. de peste, Pastores animarum adtinet. Precor, uti opus adeo praecellens, faventibus Superis, atqve Moecenatibus, continuare possit.

sum, in locis Praesidiorum, fine praestandae Sanctissimo comitivae, Officiali in capitali vigilia existenti insinuatio praemittatur. Idem praeterea Exc. Consilium iussu Regio, haec anno 1772. die 21. Augusti praecepit, ut, qvoad-fieri potest, et media, ac locorum circumstantiae admiserint, Sanctissimum ad aegrotos, reflexe etiam ad praescriptum Ritualis Romani, omni cum decentia publice deferatur, invigeleturqve, ut inprimis in Civitatibus decentia debita observetur.

§. CCLI.
Circa Sacr. Poenit.

Sacramenti Poenitentiae administratio, sic est propria Sacerdoti Parochiali, t) ut asseruerint olim haud pauci, praecepto de Paschali Confessione dudum edito, haud satisfieri per Confessionem Sacerdoti Religioso factam. Qvorum tamen assertio convulsa est a Pontificibus Romanis; atqve imprimis a Clemente X. qvi anno Christi 1670. declarabat: *Eos, qvi dictis Religiosis, simpliciter approbatis, Paschali tempore confessi fuerint,*

t) Cit. alias cap. 12. de poenit. et remiss.

rint, constitutioni, qvae incipit: omnis utriusqve sexus etc. qvoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. u) Ut proinde, nonnisi testimonium Confessionis peractae, apud nos exigi iubeatur. v) Dum porro haec Paschalis Confessio, atqve etiam alias, peragenda est a captivis, observetur praeceptio Regia, anno Domini 1772. die 30. Novembris publicata, ut nimirum, ob reverentiam Sanctissimo Eucharistiae Sacramento praestandam, adhibita omni securitate, captivis toties, qvoties Sacramentis uti voluerint, vincula singillative, si plures fuerint, deponantur. Qvodsi Confessionem Sacramentalem more Catholico peragere velint illi, qvi ex acatholicis parentibus nati sunt: iuxta benignum Regis mandatum, qvod anno 1797. die 2. mensis Octobris publicatum est, ad ungvem observari debet normalis Resolutio, anno 1782. die 21. Maii edita, secundum cuius declarationem, ut manifestatus ex parte eiusmodi prolis ad Sacra Catholica transeun-

u) Vide Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. XI. cap. 14. num. 2. et tribus seqq. v) Constitutiones Dioecesanae. Item praxis.

eundi animus attendi, factaqve idcirco eiusmodi declaratio acceptari valeat, certi aetatis anni praefigi in antecessum, determinariqve neqveunt, cum ad ipsius intellectus lumen, rerum temporumqve adiuncta, clarum rei conceptum, perfectam in hoc libertatem, non praemissa illicia, aut minas, poenarumqve terrores, vel deniqve qvampiam a vocatione aversionem, qva remotissimas etiam causas inclinatae determinataeqve voluntatis, eodem tempore diligenter adverti oporteat. Qvodsi proinde in praemissa, praesentibus parentibus, consangvineis, nonnullisqve Religionis eiusdem asseclis, solerter investigatum, cunctaqve ita se habere compertum, evolutoqve semestri spatio, comprobatum denuo fuerit, adtunc proles eiusmodi, ut primum transeundi ad Sacra Catholica animum manifestaverit, nullo habito ad aetatis annos respectu, ad eadem suscipi, et in his instrui, initiariqve non modo poterit, sed debebit. E converso autem, si vel unica e praemissis reflexionibus desiderata fuerit, proles eiusmodi qvemcunqve aetatis annum agat, ut primum sui iuris non est, parenti-

 bus,

bus, ac consangvineis suis, ob defectum verae vocationis, eripi, aut detineri nullo modo poterit.

§. CCLII.
Extr. unct. et matrim.

Extremae qvoqve unctionis proprius minister est Parochus; w) uti etiam Sacramenti Matrimonii; x) ut adeo sine Ordinarii, vel Parochi expressa facultate, alius Sacerdos invalide coniungat sponsos, et poenam suspensionis incurrat. y) Neqve tamen liberum est Parocho, qvoslibet intra terminos Parochiae suae degentes, ad nutum copulare. Enimvero, sicuti iam anno 1786. et hunc praecedentibus, autoritate Regia mandatum fuerat, z) ita rursum praecipiebatur die 19. Iulii anno 1796. ne Germanicarum haereditariarum suae Maiestatis provinciarum subditi, ad Regnum Hungariae immigrantes, qvin con-

w) Cap. 1. de privil. etc. Clem. Rituale. x) Conc. Trid. sess. XXIV. decr. de ref. matrim. cap. 1. y) Ibidem. z) Leguntur Resolutiones illae, in collectione normalium Resolut. iussu Exc. Consilii edita, tomo II. pag. 363. 371. 376. 380. 382.

concessum eatenus indultum, immediatae Superioritatis suae dimissorialibus, ac concernentis Gubernii, et armorum Praefecturae authenticis testimonialibus adaeqvate legitiment, ad incolatum isthic assumendum, seu etiam ineundum matrimonium admittantur. Secundum Intimatum Excelsi Consilii die 6. Maii anno 1771. publicatum, Officiales militares, ad statum pensionis reducti, licentiam pro ineundo matrimonio, a suprema illius provinciae, aut regni, in qvo domicilium tenent, aut matrimonium inire intendunt, armorum Praefectura petere debent; atqve illos, veluti ad forum militare spectantes, absqve productione supradictae licentiae, Parochi copulare vetantur. Eadem est Regia dispositio, de qvibuslibet emeritis militibus stipendiatis, qvos dicimus *Patentales*, ut legere est in Intimato 19. Sept. 1771. item 4. Iunii 1772. praeterea 4. Ian. 1793. et 10. Martii 1799. Insuper anno 1765. 16. Septembris, ac rursum 31. Ianuarii anno 1771. praeceptum fuit, ne Parochi, personas militares, citra praescitum et indultum Regiminum suorum, Capellanorumqve castrensium annu-

tum,

tum, copulare ausint. Iam anno 1775. die 6. Iulii dispositum fuit, ut Zingari, aliter *neo-coloni* dicti, non secus copulentur, qvam si concernentis Iudicis Nobilium testimonium produxerint, qvod mediis licitis uxorem ac proles alere possint. Fixum est, atqve per articulum 26. anni 1791. decretum, ut mixta matrimonia, semper coram Parochis Catholicis ineantur. Atqve etiam causae huiusmodi matrimoniorum, spiritualibus Catholicorum Sedibus maneant reservatae. Dudum qvidem, puta anno 1768. die 28. Iulii constitutum fuerat, ne mixta matrimonia secus permittantur iniri, qvam si pars acatholica Reversales literas dederit, qvod proles suae utriusqve sexus in Catholica Religione sint educandae; verum anni 1791. articulus 26. declaravit: proles e mixtis matrimoniis ortas, dum pater Catholicus est, eius seqvi Religionem debere, si mater sola fuerit Catholica, ad suscipiendam huius Religionem, foemellas adstringi. Qvemadmodum autem anno 1762. 25 Februarii per Decretum speciale cautum fuit, ne matrimonialis coniunctio ex hoc solo capite impediatur, qvod pars una sponsorum

nata

nata esset ex parentibus Catholicis; ita rursus id ipsum inculcatum fuit novo decreto, die 16. Ianuarii anno Domini 1766. promulgato: atqve demum communi etiam Regni lege, utpote articulo 26. anni 1791. Qveis omnibus accessit Intimatum Excelsi Consilii Locumt. Hungarici die 31. Augusti, anno 1792. declarans, Maiestatem Regiam decrevisse, ne Parochi Catholici, in casibus ineundi inter sponsos diversae Religionis mixti matrimonii, qvoad copulationem eorum, praecise sub spe et scopo, sponsum vel sponsam Evangelicae confessionis, ad amplectendam Religionem Catholicam permovendi, nisi aliae legales reflexionos, et obstacula subversentur, impedimenta ponant, vel plane impediant. At ne libertati qvoqve per legem concessae, proles in Religione Catholica educandi vulnus infligatur, provisum est Decreto die 12. Februarii anno 1793. per Exc. Consilium R. Hungaricum publicato, ubi praecipitur nomine Regio, ut, si proles catholice educandae, in fide Catholica non educarentur, occurrentes eiusmodi specifici casus, et impedimenta circa talem educationem

nem subversantia, repraesententur, ut vi supremae legum executivae potestatis, Maiestati Sacratissimae competentis, remedium fieri possit. a) Liber copulatorum, iuxta praescriptum legis Ecclesiasticae; b) matricula vero prolium e mixtis matrimoniis natarum, subindeqve in Catholica Religione educandarum, iuxta Regium mandatum, anno 1793. die 25. Iunii publicatum, praesto sit, oportet. Dum nata est qvaestio, utrumne proles vigore specialium Reversalium, catholice debeat educari? iuxta memoratum superius Mandatum, qvod die 12. Februarii 1793. editum fuit, huiusmodi qvaestio Regiae Maiestatis decisioni substerni debet. Unicum superest, qvod hic addendum habeo; iuxta Intimatum Excelsi Consilii, die 27. Oct. 1777. et alterum 31. Octobris 1791. editum, qvilibet intuitu dispensationis ad ineundum matrimonium necessariae, semet immediate ad

a) Frustra Resolutionem hanc qvaesieris in protocolo Parochiali; qvam ego peculiari cura ex Archivio I. Com. Weszprim. sum conseqvutus. b) Trident. sess. XXIV. decr de ref. matrim. cap. 2.

ad concernentem suum Ordinarium convertere debet. c)

§. CCLIII.
Circa Sacramentalia.

Sunt praeterea qvaedam, nomine *Sacramentalium* a Theologis vocitata, eo qvod efficaciam non ab intrinseco, veluti Sacramenta, sed ab extrinseco habeant, puta ex intentione Ecclesiae; tum operantis, atqve precantis Ministri dignitate. Veluti sunt variae benedictiones, et orationes, in Rituali cuiuslibet Dioecesis libro Parochis praescriptae. Circa fidelium sepulturam nonnulla sunt notanda, qvae in eo libro frustra qvaeres. Regium namqve Mandatum est anno 1777. die 21. Septembris publicatum, qvo seqventia de cryptis, pro sepultura fidelium destinatis praecipiuntur. Ut harum videlicet portae, dum sine capitalis muri detrimento fieri potest, ab extus fiant. Singulis tumbis, singulae parentur cellulae: postqvam cadaver aspersum cal-

c) Hoc qvoqve Intimatum frustra qvaesitum in Parochiali protocolo, ex archivio largi Praesulis obtinui.

calce, impositum fuit, caemento obturandae, cum inscriptione nominis sepulti, mense item, die, et anno. Dein ante 30. annorum effluxum, cellulam huiusmodi cautum sit reserare. Peste infecti eo inferendi non sunt; cavendumqve, ne inde exhalationes fiant. De coemeteriis vero iam anno 1775. die 17. Iulii, dispositum erat, ut haec videlicet extra locorum ambitum transferantur, et cincta, ne pecoribus, pecudibusqve patere possint, conserventur. Repetitum anno 1777. die 21. Septembris Decretum, plura etiam addebat; ut nimirum scrobes, continuata ordinis serie fodiantur, nulla opulentiae, parentelae, consangvinitatis, alteriusve nexus cum antea sepultis, habita reflexione; utqve ante triginta annorum effluxum haud reserentur. Ideoqve iubentur Parochi diem, mensem, et annum adnotare, qvo primum cadaver in novo coemeterio sepultum fuit. Decernebatur praeterea, ut efformato novo coemeterio, in altero, qvod intra loci ambitum exstiterat; nemo deinceps permittatur sepeliri, verum illud absqve omni fodicatione, aut structura aedificii, pro usibus in superficie exercendis,

re-

relinqvatur. De ipsa tandem sepultura, Regum Apostolicorum autoritate, qvaedam praecepta habemus. Decernitur enim in illo anni 1775. Mandato, ut cadavera mortuorum ultra biduum intecta non serventur; verum qvo citius tumbae imposita, inclaventur, neqve funeris occasione ad Ecclesiam, verum directe ad coemeterium deferantur, terrae profundius illico mandanda. Haec tamen funeratio institui prohibetur ante 48. horarum effluxum, nisi sepeliendus, morbo contagioso laborasset, iuxta Intimatum Excelsi Consilii Hungarici die 21. Septembris 1777. publicatum; qvod revocatur in memoriam, atqve denuo inculcatur die 18. Decembris, anno 1795. iterumqve die 5. Aprilis 1796. cum istiusmodi declaratione: posse recedi a termino 48. horarum, si vel certo constet, epidemico, aliove contagioso morbo, defunctum laboravisse: vel si in ipso cadavere evidentia putredinis iam invalescentis signa praesto fuerint. Qvae tamen praevie per medicum, aut chyrurgum artis peritum, pro talibus recognita esse debent. Id qvod denuo inculcatum est die 1. Augusti anno 1797.

red-

reddita qvoqve praeceptionis causa; ut tali nimirum ratione, infelices illi casus, dum homines semivivi, aut tales, de qvorum morte, certa indicia haud adfuerant, sepulti referuntur fuisse, qvantum humanitus possibile est, praecaveantur. Praeter haec, memoratum anni 1775. Decretum praecipit, ut funeris occasione conviviis, et reliqvis huiusmodi consvetudinibus supervacaneis, et caeremoniis, plebi penitus interdictis, necessarii solum, et inevitabiles sumptus, qvi Parocho, Ludimagistro, et campanatori competunt, admittantur; sed et hi superfluo campanarum pulsu non augeantur. Deniqve Decretum die 23. Februarii anno 1794. editum declarat: Maiestatem Regiam, ad praecavendas in futurum qvoad communem coemeteriorum usum, inter Catholicos, et Evangelicae confessioni addictos exoriri qveuntes dissensiones, seqvens principium stabilivisse: Ut in locis illis, ubi id situs physicus admitteret, et incolae diversae Religionis in communi usu coemeterii convenire non possent, et causa ad utriusqve partis contentum accomodari neqviret, pro cuiuslibet Religionis in-

colis

colis coemeterium distinctum exscindatur. De reliqvo vero ordines de dato 12. Augusti 1788. qvam exactissime observentur; puta: ut incolis eiusdem communitatis, de tertia qvadam Religione, qvi proprio coemeterio provisi non sunt, liberum sit ad illud, ad qvod exoptant, ex praeexistentibus coemeteriis sepeliri, qvin ad unum vel alterum sint alligati; utqve vicinior Curator illius Religionis, in qva defunctus erat, munere suo defungatur; qvi si tempori adesse neqviret, in loco existens, funus debeat comitari. Cuiqve liberum sit decernere, ut cum publica solemnitate, Religioni suae propria sepeliatur, eriganturqve supra eiusdem sepulcrum insignia, apud istius Religionis asseclas usitata, qvin illa vel prohiberi, vel tolli possint. Ut, si novum coemeterium defigendum sit pro communitate, qvae partim Catholicam, partim ab hac diversam Religionem profitetur, Comitatensis iurisdictio provideat, ut, nisi maior communitatis pars, vel situs loci aliud deposceret, commune coemeterium erigatur. Ut erecto communi coemeterio, liberum sit pluribus Religionum partibus, vel illud inter

se

se dividere, vel sine Religionis discrimine, in eo sepeliri velle. Ut, si qvis ex defectu coemeterii propriae Religionis, ad vicinum eiusdem Religionis cupiat sepeliri, neutiqvam impediatur. Peregrini qvoqve Religionum, qvae in Regno hoc vigent, in praehabito caemeterio, sive illud commune sit, sive cuipiam Religioni addictorum particulare, sepeliantur. Necrologium in qvavis Parochia haberi, Ritualis liber praescribit.

§. CCLIV.
Circa ext. Dei cultum.

Parochi qvoqve munus est, exteriorem Dei cultum sedulo promovendi. Hic vero imprimis exhibetur per incruentum Missae Sacrificium. Cuius iccirco peragendi obligationem, proqve suis ovibus offerendi necessitatem, omnibus animarum Pastoribus inculcavit Synodus Tridentina; d) cunctos autem Dominicos, festosqve dies, ad exeqvutionem huiusce muneris, Benedictus XIV. Pontifex destinavit. e) Qvamqvam hoc iam in Syno-

d) Trid. sess. XXIII. de reform. cap. 1. e) Constitut. qvae incipit: *Cum semper.* data die 19. Aug.

nodo nationali Tirnaviensi, anno Christi 1638. celebrata, praescriptum legatur. f) Unde vicissim inculcant sacri Canones, g) atqve inculcandum est a Parochis, ut fideles iisdem diebus intersint Missae Parochiali, atqve hoc pacto suam, cum Pastoris intentione coniungant. Qvamqvam sit minime dissimulandum, Leonem X. Pium V. et Clementem VIII. declaravisse, praecepto Ecclesiae fieri satis, dum Missa memoratis diebus in Ecclesia Regularium auditur. h) Dies illi, qvibus animarum Pastores pro populo Missam celebrare, populus vero hanc audire de praecepto debet, in patria nostra, secundum Breve Apostolicum Clementis XIV. anno 1771. die 22. Iunii datum, sunt seqventes: dies Resurrectionis Dominicae cum seqventi, et Pentecostes cum seqventi, aliiqve per annum dies Do-

1744. Qvam non modo in Bullario, recentioribusqve Canonistis, sed etiam in protocolis Parochialibus reperire licet. f) Cap. 2. §. 6. g) Cap. 2. de Parochis et alienis parochianis. Cap. 2. de Trenga et pace. Conc. Trid. sess. XXII. decr. de observ. et evit. in celebr. Missae. Sess. XXIV. de reform. cap. 4. h) Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. XI. cap. 14.

Dominici, nec non Nativitatis D. N. I. C. Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Christi; tum qvinqve dicati B. Mariae virginis honori, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumtionis, Nativitatis, et Conceptionis. Praeterea Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, omnium Sanctorum, S. Stephani Protomartyris, et unius tantum principalis Patroni. Qvi cum tam Augustae Mariae Theresiae Reginae Apostolicae voluntate, qvam et omnium Ungariae Praesulum votis, delectus fuerit S. Stephanus Rex Ungarorum: iussu Regio, medio Excelsi Consilii Regii Hungarici, anno 1774. die 8. Augusti declaratum fuit cunctis Ecclesiae Hungaricae Praesulibus, ne alium Patronum in sua Dioecesi cum obligatione audiendi sacri, et abstinendi a servilibus laboribus, celebrari admittant. Liberum nihilominus cuiqve loco sit, ut Patroni sui festivitas in loco illo, solemniter qvidem in Ecclesia propria, absqve tamen obligatione Sacri audiendi, et abstinendi a servilibus laboribus, celebrari possit. Dum his, ceterisqve diebus Missae Sacrificium celebratur, in Canone facienda est post

Epi-

Episcopum, mentio Regis Hungariae legitime coronati, secundum Breve Clementis XIII. Papae, qvod anno Domini 1761. die 5. Maii editum fuit. i) Porro, qvemadmodum memorata nunc festa populo annunciare, sic etiam curare debet sedulo Parochus, ut fideles a Domino sibi crediti, hisce diebus ea, qvae Divina et Ecclesiastica lege praecepta sunt, diligenter adimpleant; et, ne tam hi, qvam alii qvicumqve, intra Parochiae ipsius terminos, diebus iisdem agere talia ausint, qvae per legem patriam, vel per Mandata Regum prohibentur. Qvare habebunt prae oculis anni 1791. articulum XXVI. k) Re-

i) Verba, qvae huc faciunt, sunt seqventia: „De „benignitate pariter Apost. permittimus - - ut „legitimi successores tui in praedictis Hungariae „et Bohemiae Regnis etc. nullo tamen addito Con„iugis nomine - - per haec tantum verba: *Pro* „*Rege nostro*, si fuerit masculus, *pro Regina no*„*stra*, si fuerit foemina, in eod. Canone Missae „nominari possint.“ k) Huius §pho 17. haec habentur: „Festivitates Catholicorum nunc usitatas „qvoad forum externum, non tamen in privato „(ubi, praeter strepitosos, qvivis alii labores „peragi poterunt) ad evitandas publicas offen-

giamqve huius articuli declarationem, qvae anno 1793. die 25. Ianuarii publicata fuit; l) item

„siones, Augustanae, et Helveticae Confessioni „addicti, observandas habebunt, eo addito, ut „Dominis Terrestribus, cunctisqve patribus fa- „milias, sub actione fiscali interdictum sit, sub- „ditos, ac servitores suos, seu Catholicos, seu „Evangelicos, ab observatione festorum, suiqve „ritus, ac devotionis impedire.“ l) Qvam cum frustra qvaeres in protocolis Parochialibus, ex O- riginali ad I. Com. Weszpr. misso, et mecum li- beraliter communicato, pro necessaria directione habeto: „Relate ad qvaestionem illam, qvalite „festivitates Catholicorum per Augustanae, et „Helv. Confessioni addictos observari debeant, „in diverso sensu obmotam, et altissimae deci- „sioni substratam; siqvidem totum substratum eo „recidat, ut parte ex una Divina Catholicorum „non turbentur, parte vero ex altera, publicae „offensiones evitentur; Sua Mai. Sacr. altissimam „suam mentem in eo aperuit: Praeceptum articuli „26. 1791. pure intravillanum ambitum ipsarum „Possessionum concernere, adeoqve in talibus „locis, ubi Ecclesiae Catholicorum existit, in „qva Divina peraguntur, per Augustanae, et Helv. „Confessioni addictos, diebus festivis Catholico- „rum in privato omnes labores, exceptis strepi-

item decretum illud, per qvod die 12. Novembris, anno 1799. inculcatur aliud multo vetustius, utpote die 15. Decembris anno 1772. editum ab Augusta Maria Theresia mandatum, declarans, qvid agendum sit festis diebus, et a qvibus abstinendum. m) Aget

M 2 etiam

„tosis, extra ambitum vero Possessionum, seu „ruri, ne strepitosis qvidem exceptis, irrestri„ctim exerceri posse; in locis vero talibus, ubi „nulla adest Ecclesia Catholica, Evangelicis in„tegrum esse, omnes labores indiscriminatim ex„ercere, tanto magis, qvod hac ratione Divina „Catholicorum tam parum, ac per non unitos tur„bentur" etc. m) Qvamvis illud prolixius, opusculo etiam meo, inscripto: *Officia hominis Catholici erga Deum*, edito Budae 1783. insertum sit, gratum erit lectori, si hic inseratur, qvod sic habet: „I. Dom. et festis dieb. nemo servilib. ma„nuum laborib. aut artium suarum exercitatio„nib. *vacet*. Omnis autem pro ratione Religio„nis suae Divinis officiis - - interesse *studeat*, et „neqve citra legitim. impedimentum negligere, „aut plane contemnere, vel etiam in tabernis tem„pore Divinorum officior. commessationib. com„potationib. aliisq. incongruis actionib. semet de„tinere; aut clamores, tricas, et contentiones ex„citare, sub poena arbitraria per concernentes

etiam verbis efficacibus Pastor animarum, ut in Parochia sua diligenter observetur Mandatum

„iurisdict. Magistratus pro qvalitate delicti con-
„travenientib. dictanda, et effective desumenda,
„*audeat*. - - II. Iisd. Dom. et fest. dieb. specta-
„cula theatral. ante horam 7. amphitheatralia ve-
„ro ante horam 4. pomer. non inchoentur. Mu-
„sica vero seu in tabernis, et popinis, seu etiam
„in domib. priv. et qvidem in Civitat. ante hor.
„3. pomer. vetita sit; sed neqve in popinis, do-
„mib. crematariis, et cerevisiariis ante hor. 4.
„extra urbes autem ante hor. 3 pomer. clamo-
„rosus otiosor. concursus admittatur. Itinerantib.
„tamen esca, et potus praeberi *possit*. Lusus de-
„niqve omnis generis, incluso etiam Billiart, seu
„in domib. Caffeariis, seu popinis, et aliis eiusm.
„locis, usqve 4. pomer. interdicantur, et ultra
„10. aut 11. noctis nullibi protrahantur. III. Dom.
„et Fest. dieb. graviore onere currus non oneren-
„tur, praevie autem oneratis, in Urbib. ante ho-
„ram 9. matut. extra has autem, ante persoluta
„Divina motus interdicatur; subinde vero progre-
„dientib. in prosecutione itineris, nullibi impedi-
„mentum ponatur; qvin, si currus reparandus
„foret, sine difficult. eidem auxilium admittatur.
„IV. Omnes fornices mercantiles, aromatici, ta-
„bacarii, et alii eiusmodi, tota die occlusi mane-
„ant; et sub poena amissionis rerum, nullibi prae

tum die 8. Augusti 1774. publicatum, qvo nundinae qvalescunqve, Dominicis festisqve diebus celebrari vetantur. Praeter solitas, et in

„foribus Ecclesiar. forniculae aperiantur, ut rosa„ria, oratiunculae, et his similia, dieb. Dom. et „festis publice distrahantur. Fornices nihilominus „Capillamentar. usqve horam 9. antemerid. tonso„rum autem, apothecae, et balneator. domus, si„ne restrict. apertae tolerentur. Dulciariis deni„qve, et ceroplastis, cerae et dulciarior. distra„ctio, finitis Divinis libere admittatur. Smigma„tores nihilominus, in hyeme ante hor. 4. in ae„state vero ante 6. pomer. materiale suum vendere „prohibeantur. Mechanici porro contubernales, „coetus suos a meridie finitis duntaxat Divinis ser„vare, relinqvantur. V. Ultra haec, sicut aliar. „rer. ita esculentor. qvoqve in foris, plateis, et a„liis fornicibus publica venditio Dom. et festis „dieb. prohibita intelligatur. Carnium tamen e„macillatio, prout, et piscium, panis, fructuum, „et lacticinior. publica distractio, in Civitat. us„qve hor. 9. matut. extra Urbes vero, ubi ante „Divina tres pulsus campanae praemitti solent, „usqve ad secundum pulsum libere admittatur, „idqve cum restrictione, ut lac, et fructus non „publice in plateis, sed lac sub portis domor. fru„ctus autem in cellariis, et repositoriis in ipsa „clausura vendi possint."

in Rituali libro praescriptas processiones, si qvando e speciali devotione duxerit ad locum remotiorem, eodem die populum reducere satagat, cum autoritate Regia praeceptum sit die 8. Augusti, anno Domini 1774. ut eiusmodi processiones, qvae emansionem per noctem exigunt, penitus tollantur. In qvibuslibet vero devotionibus, ac processionibus duo adhuc habebit cavenda Parochus: ne in his videlicet circumferantur statuae vel imagines, habitu indecoro vestitae: n) ne item explosiones tormentorum, mortariorum, vel scloporum fiant, ubi vel minimum adest incendii periculum, qvemadmodum adhuc anno 1775. die 12. Octobris, a Regia Maiestate, via Excelsi Consilii Locumtenentialis, edictum fuit. Necesse praeterea est, ut decorem Domus Dei, magnopere diligat Presbyter Parochialis; curet idcirco, ut templum, et sacristia non instar harae sordibus ac pulvere obsitum, sed nitidum, ac mundum conservetur. o) Eucharistia illic semper

sic

n) Conc. Trid. sess. XXV. decr. de venerat. etc. SS. It. Synodus prov. Tirn. 1638. cap. 3. §. 7. o) Syn. prov. Tirn. 1611. cap. 3. §. 4. item antea citata cap. 2. §. 19.

sit praesto, ad succurendum infirmis; p) et sacra olea mundo conserventur loco. q) Ne qvid tamen nimium in curando Ecclesiarum decore fiat, anno 1770. die 17. Maii iussu Regio edictum fuit, ut nulla Ecclesiae aedificatio permittatur, qvam remonstrato aedificationis fundo; vel, si hic penitus deesset, Ecclesiae tamen adesset necessitas, priusqvam inchoetur aedificium, id ipsum cum delineatione, et sumptuum proiecto, in antecessum via Consilii Locumtenentialis Hungarici, Re-giae

Laudabat B. Hieronymus epist. ad Heliodor. scripta, Nepotianum Presbyterum, qvod sollicitus esset, si niteret altare, si parietes absqve fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta essent. p) Syn. provinc. Tirn. 1611. cap. 3. §. 5. q) Ead. Syn. eod. cap. §. 6. Praesens paragraphus suo iam erat loco, dum novum supervenit Intimatum die 17. Martii 1802. congruens Resolutioni anni 1770. qvo declaratur: ut Parochi a ponendis qvibuslibet, cumprimis autem ex cassa Ecclesiarum suscitandis aedificiis, sine Patroni, et Ordinarii annutu, siqve subsidia e fundo Relig. postularentur, etiam sine Exc. Cons. annutu, sub responsionis, ac bonificationis onere, prohibeantur.

giae Maiestati demisse repraesentetur. Nec tamen qvemvis Ecclesiae fundum attingere liberum est. Enimvero anno 1792. die 27. Iulii medio eiusdem Excelsi Consilii, praecepit Maiestas Regia, ne ullo sub praetextu, sub onere secus praestandae refusionis, Depositarios, et respective Curatores mansuro, Legata, aut fundationes pro dote Ecclesiarum destinatae, citra Benignum indultum Regium, in alios usus convertantur. Fundamento autem art. 74. 1715. et art. 70. 1723. conditorum, Apostolici Regis nostri iussu, tam anno 1797. qvam et anno 1801. praeceptum est, ut status activi, et passivi Ecclesiarum, certa determinataqve methodo deducti, cum fine cuiuslibet anni militaris, Excelso Consilio Locumtenentiali Hungarico substernantur.

§. CCLV.
Circa instit. plebis.

Parochi praeterea munus est, oves sibi creditas, pascendi praedicatione Verbi Divini. r) Atqve huius potissimum audiendi causa, freqventationem Ecclesiae Parochialis exoptant

r) Conc. Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 1.

ptant sacri Canones. (§. praec.) Attamen Benedictus XIV. Pontifex, eodem iure Parochianos ab obligatione audiendi Verbi Divini in propriis Parochiis, absolutos esse affirmat, qvo sunt ab auditione Missarum absoluti. s) Verum Parochi nullo modo dispensati sunt ab annunciandis veritatibus Evangelicis, qvolibet Dominico et Festo Die; t) imo tempore qvadragesimae, et Adventus Domini, tres saltem in hebdomada dies ad hoc munus consecrandi sunt, dum id fieri oportebit. u) Ut praeterea plebs orthodoxa, ea intelligat, qvae in Missa aguntur; praeceptum est, ut Parochi freqventer, Missarum inter solemnia, vel per se, vel per alios, ex iis, qvae illic leguntur, et aguntur, nonnulla explanent. v) Haec est legis Ecclesiasticee dispositio. Regis autem Apostolici ea mens est, medio Exc. Consilii Regii Hungarici, die 30. Octobris 1798. declarata, ut populus ad Divina diligenter freqventanda, sacrasqve institutiones

s) De Syn. Dioec. lib. XI. cap. 14. t) Trid. sess. V. de ref. cap. 2. Syn. prov. Tirnav. 1611. cap. 3. §. 4. u) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 4. v) Idem sess. XXII. decr. de Sacrif. Missae cap. 8.

nes excipiendas, etiam cum concursu autoritatis publicae, disponatur. Insuper, ad avertenda freqventia nimis latrocinia, furtaqve, de benigno iussu Regio, die 3. Aprilis, anno 1795. publicata, eo singularis cura iubetur ab animarum Pastoribus converti, ut rudis plebs, et imprimis pastores campestres, qvoad officia et obligationes Christiani, boniqve civis, plene informentur. Ad impediendam vero Catholicae Religionis desertionem, Rex Apostolicus, medio Excelsi Consilii sui Hungarici die 12. Februarii anno 1793. illud desiderium suum manifestabat, ut Clerus, pro munere sibi alioqvin incumbente, omnes suos conatus eo convertat, ut non solum Catholicos pastorali curae suae concreditos, principiis Religionis Catholicae fundate imbuendo, in hac firmos conservet, sed aliam qvoqve Religionem profitentes, exemplari praesertim vivendi ratione, de puritate, et Divinitate Catholicae doctrinae convincere possit. Unde eventurum est, ut casus defectionum a Religione Catholica, rarius emergant. Atqve mox, puta die 26. Aprilis eiusdem anni significabatur: non posse suam

Ma-

Maiestatem Sacratissimam, freqventes a fide Catholica transitus indifferenti oculo spectare; atqve ideo Clerum Catholicum, monendum praecepisse, ut populum pastorali suae curae creditum, maiori cum sedulitate, principiis Catholicae Religionis fundate imbuat. Qvodsi nihilominus qvispiam pertinaciter Catholicam Religionem deserere meditetur, eius causa, ad altiorem potestatem spectabit. Ne enim huiusmodi desertio temere fiat, decernit articulus 26. anni 1791. ut occurrentes eiusmodi casus, ad Sacratissimam suam Regiam Maiestatem referantur. Qvae si decreverit instructionem catecheticam huiusmodi homini, Religionis Catholicae desertionem meditanti, prae oculis erit habendum, qvod die 1. Iulii anno 1794. publicatum est, Regis Apostolici mandatum: ut nimirum instructioni subiiciendus, semper cum testimonio localis Iudicis, duorumqve Seniorum instructioni sistatur; pro casu autem, qvo eandem instruendus interrumperet, interruptionem talem, mox idem, cui instructio delata est, proximiori Magistratuali notam reddere; hic vero, nisi qvaestio sit altioris indaginis,

me-

medelam ponere, ac ita omnem qvae circa tempus obversari posset, difficultatem, praeoccupare valeat; ad obtinendam vero eatenus securiorem certitudinem, Parochi medio Dioecesanorum eo invientur, qvo Diaria, qvibus dies datae, a Catholica Religione deficere volentibus, instructionis, exacte inserendi erunt, servent, et eosdem per loci Notarium, aut aliam fide dignam personam, separatim adnotari faciant. Qvae porro cura deposcitur a Parochis, ne fiat Religionis Catholicae desertio, eadem ipsos manet, ne ab ea seductio, per qvospiam attentetur. Qvamobrem alta retineant mente Regis mandatum, die 25. Septembris 1792. publicatum; w) legem-

w) Ad rem praesentem, haec verba Decreti sufficiant: „Sua Maiestas Sacrat. altissime decrevit, ut „omnes, et singuli, qvi absqve obtento altissimo „indultu, aut qvin institutionem, per suam Ma„iest. ordinandam subeant, desuperqve coram Mi„nistris exhibenda testimonia accipiant, ad Ora„torium fine cultus Religionarii, vel participandae „communionis accedere, aut seu Catholici, seu „Protestantes, proles suas Catholice educandas, „vel qvoscunqve alios Catholicos ad Oratoria ad„ducere, aut eorsum imperiose mittere, vel etiam

gemqve Regni decernentem anno 1791. art. 26. ut iniungatur sub severa poena, ne qviscunqve demum, ullum Catholicum, ad amplectendam Religionis Evangelicae professionem, qvocunqve praesummat allicere medio.

Apa-

„Oratorta accedere volentes, pro obligamine suo „non impediverint, aut qvaqva demum ratione se„ducere praesumpserint, Nobiles qvidem actione „fisci Magistratualis, poena pecuniaria, ignobiles „vero pari itidem fisci Magistratualis actione, poe„na carcerum, imo pro ratione circumstantiarum tam „hi, qvam illi, gravioribus etiam poenis, ob trans„gressionem legis, et Benignarum ordinationum Re„giarum, in exemplum etiam aliorum puniantur. „Praeterea autem in Ministros illos, qvorum prae„textuata ignorantia, ex confrontationibus, et in„vestigationibus, aut plane, aut qvasi cum prae„sumptione evenerit, tanto gravius animadverten„dum erit, qvanto difficilius est, dolosam, et in „elusionem Altissimarum ordinationum Regiarum „tendentem, eiusmodi simulatam, ignorantiam re„monstrare. Sed et illi qvoqve pro demerito poe„nae subiiciendi erunt, qviqvi liberum esse a Re„ligione Catholica deficere vulgaverint, vel hac „ratione qvempiam ad deficiendum persvadere ten„taverint, aut etiam obtrusione librorum, Catho„licos depravare nihili duxerint.“

Apage vero cum Atheis, Indifferentistis, alisqve Religionis expertibus, qvos neqve lex nostra patitur, x) neqve Rex Apostolicus tolerat. Atqve idcirco iam anno 1770. die 17. Septembris praeceptum fuit autoritate Augustae Mariae Theresiae, ut huiusmodi sectariis invigiletur, omnibusqve modis efficaciter obvietur.

§. CCLVI.

Ac pubis.

Ut praeterea Parochi teneram pubem, Dominicis, festisqve diebus fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes edoceant, lex Ecclesiae decernit, y) atqve nuper admodum Rex Apostolicus, peculiari decreto, die 17. Martii hoc anno 1802. medio Excelsi Consilii Hungarici, id ipsum inculcabat. Cui additum est novum Decretum die 23. Iunii publicatum, praecipiens, ut parentes sub poena per publicam Iurisdictionem infligenda, proles suas pro recipienda Religio-

x) S. Steph. decr. lib. 1. cap 2. Art. 5. et 6. 1548. Art. 31. 1563. pluresqve. y) Conc. Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 4 Syn. Tirnav. prov. 1611. cap. 3. §. 12. Nationalis 1638. cap. 1. §. 2.

gionis doctrina solerter mittant. Ac pro illis qvidem, qvi fortiori indigent esca spirituali, deserviet catecheticus liber, qvem dicimus *Romanum;* z) pro tenerioribus vero, qvi lacte indigent doctrinae, Catechismus, qvem *Normalem* compellamus, à cunctis Ecclesiae Hungaricae Praesulibus anno 1779. adoptatum. a) Vigilandum qvoqve est Parochis, ut proles, qvae seu iuxta art. 26. 1791. seu vigore specialium Reversalium (qvae per Decretum anno 1792. die 25. Septembris editum, in salvo relinqvuntur) more Catholico sunt educandae, hoc pacto reipsa educentur; cui negotio sua Maiestas Regia praecipit accuratius invigilari, iniungendo, ut mox, atqve

z) Commendat hunc Clemens XIII. Constitut. qvae incipit: *in Dominico.* data 14. Iun. 1761. et praefixa legitur eidem Catechismo edit. Tirnav. 1775. ubi etiam historia legitur eius Catechismi edita a Petro de la Haye. Cui addi potest dissert. Antonini Reginaldi de catech. Rom. autoritate. Qvae est inserta Supplemento ad Historiam Natalis Alexandri. a) Huius prolixior explanatio, e Germanico in Hungaricum versa, prodiit Vaci 1800.

qve huiusmodi proles recipiendae institutionis in Fide Catholica capaces fuerint, seu, ubi septimum aetatis annum agere coeperint, si in Fide Catholica non instituerentur, necessaria eatenus per talium prolium (si id circumstantiae exigerent) etiam authoritate Magistratuali procurandam ademptionem, mox disponantur. Additum est anno 1793. die 12. Februarii, ut si proles Catholico more educandae, hoc pacto non educarentur, occurrentes eiusmodi specifici casus, et impedimenta circa talem educationem subversantia, Regiae Maiestati repraesententur, ut vi supremae legum executivae potestatis eidem comqetentis, remedium fieri possit. Qvonam pacto agendum sit cum illis, qvi ex parentibus acatholicis nati, ad Sacra Catholicorum transire cupiunt, alibi dictum fuit. (§. CCLI.) De prolibus vero parentum, a fide Catholica desciscentium, illa est Regiae Maiestatis voluntas, die 9. Novembris, anno 1792. medio Excelsi Consilii Regii Hungarici declarata, ut normalis Resolutio, die 22. Augusti 1785. edita, et 14. Septembris eiusdem anni, omnibus Regni Comitatibus intimata, deinceps

ceps etiam observetur. b) In cuius nexu, meminisse oportet animarum Pastorem re-cen-

b) Praecipua sunt in rem nostram seqventia: „Clementer admittit sua M. ut proles, qvae XII. aetatis annum nondum attigerunt, aut in fide Catholica nondum eousqve instructae sunt, ut ad Poenitentiae, et Altaris Sacramentum admissae fuerint, patriam potestatem, adeoqve Religionem, qvam pater finita sex hebdomadarum instructione, se confiteri velle declarat, seqvantur. Longe aliud tamen ratione matris observari vult, iubetqve Sacr. sua Maiestas, ut, qvamvis mater a Religione Catholica deficiat, proles tamen Religionem patris seqvantur, cum potestati patris subesse debeant. Mandat praeterea Altefata sua Maiestas, ut matre qvoqve, aut in viduitatem recidente, aut ad secunda vota transeunte, proles, utpote sub publica tutela constitutae, in Religione Catholica educentur. Semper tamen parentes de congrua, et statui commensurata intertentione usqve ad aetatem 18. discretionis utpote annum, providebunt; ad qvem si pervenerint, parentibus suis, ut in eadem cum illis domo degere valeant, extradare possunt, cum praesumendum sit, eas, utpote solida iam instructione suffultas, neutiqvam seductionis periculo ampli-

centioris mandati, die 23. Iunii 1801. ad omnes perinde Comitatus dimissi, qvo praescribitur modus agendi cum prolibus minorennibus, in Religione Catholica, qvam de lege seqvi deberent, neutiqvam educatis. c)

§. CCLVII.

„us exponi; ea nihilominus semper cum inviatione: ut prolibus his etiam, anteqvam decimum octavum aetatis annum adtingant, matrem, „vitricum, fratres, sorores adire, cumqve illis „conversari integrum sit. Qvodsi vero eiusmodi „proles duodecimum aetatis annum implevissent, „atqve usus Sacramentorum eisdem concessus fu„isset, usqve ad aetatis decimum octavum, ut„pote discretionis annum, in fide Catholica edu„candae erunt, cum iudicio discretivo, pro eli„genda alterutra Religione adhuc destitutae, sex „hebdomadarum instructionem asseqvi non va„leant." c) Cum illud via solita non obtinuerim; Spect. D. Ign. Márkus I. C. Weſzprim. Ord. Notarius et Assessor, pro sua erga me amicitia, ex Archivio Comitatus, per se authenticatum, extradedit. Pro qvo erga Publicum studio, Cleri ruralis nomine, publicas isthic gratias reddens, Intimatum ipsum ad verbum refero: „Illustrissi„mi etc. Complures profugarum a Catholica in„stitutione prolium casus, Magistratuales perso„nas continuis perqvisitionibus et resignationi-

§. CCLVII.

Scholasticae.

Meminerit idem Pastor animarum eius mandati, qvod die 16. Octobris 1793. Su-

„bus occupantes, ac perpetuis remonstrationibus „ansam praebentes, aperte evincunt, eam insti- „tutionem in principiis fidei Catholicae, ad qvam „proles minorennes, qvacunqve de causa in Cath. „Rel. qvam de lege seqvi deberent, haud edu- „catae relegantur, passim cum ea, qvae Perso- „nis, discretionis annos ingressis, et transitum „e Catholica Religione ad Evangelicas confessio- „nes petentibus praescribitur, confundi, hincqve „evenire, qvod prioris cathegoriae proles a pa- „rentibus avulsae, et Parochis fine institutionis „resignatae, post expletas in catechisatione sex „hebdomadas, ad patrios lares redeant, aut ali- „orsum profugiant, operose perqvirendae, ea fal- „sa opinione imbutae, sibi exercitium alterius „Religionis iam liberum esse. Hinc praetit. DD. „VV. hisce committitur, ut occasione translatio- „nis similium prolium, concernentes partes di- „serte edoceant; institutionem istiusmodi, sex „hebdomadis haud circumscribi, sed eousqve pro- „trahi debere, donec tales Catholicam Religio- „nem professae fuerint. Parentes demum, aut „qvoscunqve pro abducendis a simili institutione

perintendentibus Augustanae, ac Helveticae Confessioni addictorum cautelas enumeravit, cum qvibus Catholicae proles, Eorum scholas freqventare permittuntur; d) huic etenim mandato penitus insistendum esse, alterum,

die

„prolibus comparentes, aut easdem, omni Parochorum vigilantia elusa, ad fugam disponentes, „severae animadversioni subiectum iri." d) Praecipua verba haec sunt eius Decreti: „Ad praecavendam defectionum a fide Catholica occasionem, sua Maiestas Sacr. docentes Scholarum „Evangelicae Confessionis, in eo inviari clementer praecipit, ut, si ad eosdem seu ob defectum „scholae Catholicae, sive aliam qvamcunqve causam, proles Catholicorum, vel e mixtis qvidem „Matrimoniis progenitae, sed Catholice educandae, fine capiendae institutionis mittantur, tales per eosdem occasione praelectionum, et examinum e doctrina Religionaria instituendorum, „ex Schola dimitti debeant, ac eiusmodi proles „per magistros Evangelicos, nec ad Ecclesiam „nec ad Divina, minime vero ad Communionem „Evangelicae confessioni addictorum seu ducantur, seu ire permittantur; cum secus iidem, si „per id prolem aliqvam a fide Catholica deficere „contigerit, qva allectores, ad sensum articuli „26. 1791. puniendi sint."

die 5. Februarii 1799. via Excelsi Consilii Regii Hungarici publicatum, edixit. Qvivis praeterea Parochus, localis Director est scholae trivialis in Parochia sua existentis, iuxta intimatum 28. Augusti 1795. ideoqve usqve decimam Aprilis, et decimam Septembris, informationem de schola sua, in Tabella praescripta deducendam, transmittere debet V. Archidiacono, qvi hanc scholarum nationalium Inspectori mittendam habet. Qvae autem obiecta, qvave methodo sint in talismodi scholis tradenda, docebit ubertim Instructio, iuxta qvam scholae triviales vernaculae administrandae sunt, anno 1801. iussu Exc. Consilii Loc. Hungarici typis vulgata. In hisce scholis Magister alius esse neqvit iuxta Intimatum 18. Sept. 1795. editum, qvam a Superioritate Scholastica ope testimonii approbatus, et iuxta aliud die 8. Nov. 1799. publicatum, a Districtuali Scholarum Nationalium Inspectore confirmatus. Cum videlicet officium magistri vacabit, Parochus, qva localis scholae Director, habito cum iis consilio, qvibus scholae procuratio, sumtuumqve omnium, ac aedium administratio in-

cum-

cumbit, Candidatum Inspectori Regio proponet, ab eodem adprobandum, aut in casu defectus Candidatorum pro tali munere, hunc ab eodem Inspectore missum, acceptabit. Porro, iuxta Intimatum Excdlsi Consilii Hungarici hoc anno 1802. die 23. Iunii editum, Regiae Maiestatis haec est voluntas, ut, ubi qvinqvaginta proles scholas freqventandi capaces adsunt, ibi scholae vernaculae iuxta hactenus praescriptum modum aperiantur, imo etiam, ubi pauciores existunt proles, dummodo sufficiens dotatio adsit. Ubi scholae normali locus esse neqvit, talis a Parocho deligatur Ludimagister, qvi Catholicus, et moriger sit, ad fidei Catholicae professionem eliciendam cogendus. f)

§. CCLVIII.
Circa pauperes.

Dixeram superius (§. CCXLVII.) Parochi munus praeterea esse, ut et exemplo pascat suos Christifideles, et pauperum curam paternam gerat. Sed haec oportunius tunc tra-

e) Citata instructio de Scholis trivialibus §. 9. f) Synodus provincialis Tirnav. 1611. cap. 3. §. 13.

tractabuntur, cum de communibus Cleri obligationibus agam. At vero istud fraternae caritatis officium, Parochis impositum, omitti hic minime debet; ut illorum videlicet, qvi post defensam armis Religionem aut Patriam fractis iam viribus, amissove membro, annuum ab Rege pensum meruerunt, et *Patentales Invalidi* compellantur, promte lubenterqve signent Chyrographa, qvae nobis *Qvietantiae* audiunt, signato habitationis loco; qvod ceteroqvin Decreto Excelsi Consilii Hungarici, die 3. Septembris 1799. dato, facere iubentur.

§. CCLIX.
Iura Paroch. utilia.

Cum porro dignus sit operarius mercede sua; et eum, qvi altari servit, de altari vivere oporteat: Parochi cum oneribus, iuribusqve onerosis, etiam utilia habent. Enimvero iure gaudent exigendi a Parochianis qvasdam praestationes in operis, frugibus, ac aere, secundum cuiuslibet loci contractum, vel oblationem Patroni. Qvod postea redigitur in Scriptum, confirmatur Praesulis

Dioe-

Dioecesani autoritate, et ab eo tempore *Visitationis Canonicae* nomen adipiscitur. Huic more nostro, inseritur *stola* etiam, ut vocant, sive honorarium, qvod occasione qvarumpiam functionum sacrarum datur. Oblatum sponte, sacri Canones minime reprehendunt. g) Exactionem, et extorsionem damnant. h) Status qvoqve Regni Hungariae articulo 12. 1751. sic obtestabantur: *Sacratissima Sua Maiestas, auditis praevie audiendis, universalem normam in re Stolari ponere dignabitur, hocqve modo clementer providere, ut excessibus, qvi in exigendis stolis hactenus evenerunt, remedium adferatur.* Reipsa Mandatum Regis Apostolici, die 7. Septembris anno 1792. publicatum, stolae Baptismalis desumtionem vetat; novum vero die 26. Ianuarii anno 1796. editum, declarat, constantem esse Maiestatis Sacratissimae intentionem, ut exactio stolae Baptismalis et Coledae apud animarum Curatores serio, et sub responsionis onere prohibeatur, at vero si sponte offeratur, acceptari possit. Et vero,

cum

g) Can. 1. et 4. causa 1. qv. 2. h) Cap. 42. de Simonia etc.

cum habeat Ecclesia Bonorum abundantiam, e qvorum sana distributione, Ministros suos alat; siqve non haberet, Civilis Reipublicae intersit, ita his prospicere, ut Divinae etiam legi, paternam miserabilium personarum eis curam iniungenti, (§. CCXLVII.) satisfacere possint: plenissime confidimus, futurum esse, ut in Regni Comitiis, dum ista scribo, feliciter inchoatis, Episcopi, et Ecclesiarum patroni, memores articuli 71. anno 1723. conditi, de Parochorum futura deinceps intertentione, ita provide sapienterqve in medium consultent, ut tam dantium, qvam et acceptantium qverimoniis indesinentibus, aeternum omnino silentium imponatur. Evangelici utriusqve Confessionis, a qvacunqve solutione Parochis Catholicorum facienda, iam per articulum 26. 1791. redditi sunt immunes, nisi velint eorum opera sponte uti, qvo casu stolam cum Catholicis aeqvalem persolvere tenentur. Ceterum Parochi pluribus in casibus, patriae legis tutamen habent. Nam articulus 71. 1723. decernit, ut illis *sedecima* decimarum ubiqve, et etiam octava, ubi antehac fuit in usu, dependatur. Praecipit articu-

ticulus 53. 1498. ut ab illis Archidiaconi titulo Cathedratici, ultra florenum exigere non possint. Deinde articulus 10. 1557. Ne bona Parochorum, seu testati decesserint ex hac vita, sive intestati, occupent Episcopi, vel Patroni. Tum articulus 95. 1647. ne a Parochiarum pertinentiis, a primaeva earum fundatione possessis, decima desumatur. Deniqve art. 11. 1557. Ut Bona Ecclesiastica, ab Ecclesiis avulsa, per Parochos, iisqve non valentibus, per Episcopos, etiam iuris ordine ac via, revindicari possint. Pro huiuscemodi Beneficiis ac utilitatibus, ut gratitudinem qvampiam ostendant Parochi, nimis est decorum. Synodus vero Nationalis anno 1633. Tirnaviae celebrata, etiam praecepit, ut *Parochorum, qvi ab intestato moriuntur, libri, et sacra supellex propria, maneat templo Parochiali, in qva moritur. Monentur vero Parochi, ut etiamsi testamentum condant, haec talia Parochiis legare pro animae refrigerio teneantur.* i)

§. CCLX.

i) Cap. 12.

§. CCLX.

Vicarii perp. iura et oblig.

Pauca nunc de Vicariis Parochialibus habeo dicenda, alias commemoratis. (§. LVI.) Ille, qvi *perpetuus* in iure dicitur, assumendus est, cum principalis Rector propter Beneficiorum pluralitatem, omnibus satisfacere neqvit, et, si Beneficium est Patronatus iuri obnoxium; non sine Patroni consensu. Qvodsi negligat ius suum Patronus, in solum devolvetur Ordinarium. k) Portio illi congrua per principalem Rectorem assignari debet. l) At vero plures neqvit habere Vicarias, m) et residere instar pastoris ordinarii debet, n) qvin alium perinde perpetuum sui loco substituere possit. o) Novum adeptus Beneficium, priori debet renunciare. p) Verbo: qvaecunqve dicta sunt de spirituali Parochorum

rum

k) Cap. 1. de iure patron. in Clem. Trid. sess. XXV. de ref. cap. 16. l) Cap. 12. et 33. de praeb. et dign. Cap. 1. de iure patron. in Clem. Trident. cit. cap. m) Cap. 2. et 3. de off. Vic. n) Cap. 6. de off. Vic. o) Cap. 4. eod. tit. p) Cap. 1. eod. tit. Cap. 27. de rescript. Conc. Trid. sess. VII. cap. 4. sess. XXIV. cap. 17.

rum obligatione, Vicariis qvoqve sonant. q) Principali tamen Rectori incumbit Ecclesiae, atqve iurium Parochialium protectio, ac tutela. Exspirat munus Vicarii perpetui, privatione, morte, resignatione, translatione, ipsius Principalis. r)

§. CCLXI.
Et Vicarii Amovibilis.

Vicarius amovibilis, qvi num talis esse debeat, Episcopus decernendum habet, s) dandus est, cum Ecclesia Parochialis vacat; t) dum abest Rector ex causa, per Episcopum adprobata; u) vel praesens licet, usqve adeo est literis vacuus, ut munus pastorale exeqvi haud possit. Cui Ius Ecclesiasticum indulget assumtionem Vicarii, dummodo ruditatem vitae innocentia compenset. v) Per se intelligi-

q) Cap. unico de off. Vic. in Clem. r) Remigii Maschat. Institut. Canonic. Lib. I. tit. 28. num. 3. Espen Iuris Eccl. univ. parte II. sect. 4. tit. 3. cap. 1. s) Trid. sess. VII. de ref. cap. 7. t) Idem sess. XIV. de ref. cap. 18. u) Idem sess. VI. de ref. cap. 2. sess. XXIII. de ref. cap. 1. v) Idem sess. XXI. de ref. cap. 6.

ligitur, ius Vicarii huiusmodi ad illa extendi, qvorum imprimis causa datus, assumtusve fuit.

§. CCLXII.
Capellani Localis.

Iuxta recentissimum in hac patria morem, constituuntur *Capellani Locales*; in illis videlicet locis, qvae ab Ecclesia matre nimium dissitae, Catholicis abundant. Hi iuxta mandatum Augustae Mariae Theresiae die 8. Augusti anno 1774. publicatum, Parocho, eiusqve vigilantiae subiiciuntur. w) Habentur nihilominus ceu Beneficiati Curati. x) Qvamqvam eorum subsistentia e publico Religionis fundo, non autem de mensa Parochi principalis desumatur. y)

§. CCLXIII.

w) Frustra reqviras illud in Parochiali protocolo; legitur vero in collect. Resol. in materia Commiss. Eccl. interventarum T. I. pag. 60. x) Ex Decr. Ios. II. dato 7. Oct. 1783. qvod legitur in collectione Germanica Ordinationum in publ. Eccl. parte 3. pag. 1. y) In ead. collect. parte 1. pag 305. 308.

§. CCLXIII.
Cooperatoris.

More loqvendi dudum apud nos recepto, *Capellani*, z) hodierno autem *Cooperatores*, nominantur illi Sacerdotes, qvi propter multitudinem plebis orthodoxae, fractasve Parochi vires, ab Ordinario assignantur. Facultas eorum, praedicandi, docendiqve, et Sacramenta populo rite, promteqve administrandi, ab Episcopo est; si matrimonium demas. a) Cui nihilominus, iuxta declarationem S. Congr. Concilii Trid. Interpretum anno 1581. factam, valide assistet Cooperator, prohibente assistentiam Episcopo, sed indulgente Parocho; cum prohibitio Episcopalis, dirimens impedimentum haud inducat. b)

§. CCLXIV.
Regularium.

Regulares qvoqve Viri, qvos *Religiosorum* compellamus nomine, eo, qvod Deo per

z) Adpellationis istius originem legito in meis Amoenit. Hist. Eccl. H. fascic. I. num. 3. a) Trid. sess. XXIV. de ref. matr. cap. 1. b) Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. XIII. cap. 23. num. 1. et 3.

per tria vota sese consecraverint, in Ordine per sedem Apostolicam adprobato: c) tametsi vi status sui ad Regimen Ecclesiasticum haud influant, qvia nihilominus a Praelato suo moniti, sacros Ordines recipere debent, d) ac hodie, demtis qvam paucissimis, etiam solent, fiuntqve isto nomine participes Ecclesiastici regiminis, hac de causa, tractatio de illis fieri debet.

§. CCLXV.

Iura resp. sui ipsorum.

Habent illi iura qvaedam respectu sui ipsorum, ac praerogativas. Nam alii, omniumqve primi, sunt *Canonici Regulares*, qvi in communi sub Praeposito vivunt, praestitoqve paupertatis voto, regulam S. Augustini profitentur. Seqvuntur *Monachi*, verius Coenobitae e) qvi sub Abbate, commune incolunt domicilium, orationi, rerumqve Divinarum contemplationi, praeprimis intenti. f)

De-

c) Cap. un. de voto etc. in 6. d) Cap. 1. de statu monach. in Clem. e) Vide Macri Hierolexicon voce: *Coenobium.* f) Alia nunc instituti Monastici facies est, in Ecelesia Hungarica. Cum

Deinde *Eqvites*, et *Hospitalarii*, occasione cruciatarum expeditionum, partim ad levamen aegrotorum, partim pro defensione Christianorum ad Loca Sacra commeantium, instituti. *Mendicantes* postea, atqve *Eremitae* Ordinis Augustiniani, ad haereses, Divini Verbi gladio prosternendas, et in subsidium curae spiritualis collecti. Deniqve *Regulares Clerici* in specie dicti; qvorum aliis incumbit iuventutis literariae institutio; aliis restitutio disciplinae, emendatioqve morum. g) Hos inter si nascatur lis de praeceden-

Monachi Ord. S. Benedicti ea cum obligatione restituantur vitae pristinae, ut in Civitatibus per Maiestatem Regiam designatis, scholas doceant.

g) Egregie de his Ordd. tractavit Paul. Ios. a Riegger Institut. Iurisprud. Eccl. parte III. §. 522 — 560. Olim in Patria nostra vigentes enumeravit Petrus Pazmánus in append. II. ad Synodum anni 1629. ap. Péterffium in Concil. Eccl. Hung. parte 2. faxint superi! ut proxime lucem publicam aspiciat, solertissimi Viri, D. ac Patris Damiani Fuxhoffer Ord. S. B. *Monasteriologia* R. H. *in qva Originario - diplomatice describuntur omnia singulorum Religiosorum Ordd. Monasteria, qvae unqvam ab igressu Hungarorum in Pannoniam fundata fue-*

cedentia, in publicis supplicationibus, aut funeribus tenenda, iudex Episcopus erit. h) Si vero lites occurrant de iuribus atqve privilegiis, Sacra Congregatio, qvae negotiis praeest Episcoporum, et Regularium, (§. CXXXVI.) decernet.

§. CCLXVI.
Ius exemptionis.

Praecipuum est eorumdem Regularium ius *exemtionis;* qvo nomine intelligitur *independentia a potestate ac iurisdictione Ordinarii, cum immediata erga sedem Apostolicam subiectione.* i) Huius fundamentum videtur pendere ab ea qvaestione indecisa: A qvonam *immediate* accipiant Episcopi suam iurisdictionem? (§. CCVII.) Ferme prae ceteris Scriptoribus, Exemtionum progressionem enarravit Van-Espenius; k) aeqvitatem propugnavit Benedictus XIV. Pontifex Maimus. l)

runt. Ad qvod opus, si ego tantillam contuli symbolam, Publico gratulabor. i) Espen Iuris Eccl. univ. parte III. tit. 12. cap. 4. k) Idem eod. tit. l) De Syn. Dioec. lib. I. cap. 4. et lib. IX. cap. 15.

Lex autem Ecclesiae decrevit, libertatem, qvam nonnullis Apostolica sedes, per privilegia exemtionum indulsit, sic integram observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi eius limites non excedant. m) Idcirco monuit idem Pontifex, illam Concilii Tridentini Sanctionem: *ut omnes Regulares, tam viri, qvam mulieres, ad regulae, qvam professi sunt, praescriptum, vitam instituant, et componant;* n) per Episcopos in Synodis ab se celebrandis, totidem plane verbis renovari posse, cum sint ipsi in sua Dioecesi Canonicarum sanctionum praecipui custodes; ne tamen videatur ordinaria in exemptos iurisdictio exerceri, monuit idem Pontifex, sacram Congregationem Tridentini Concilii Interpretum decrevisse, ut Episcopi abstinentes a verbo: *Praecipimus;* aut: *Statuimus*, hoc modo Tridentinas praeceptiones inculcent: *intelligant Regulares, se teneri ad regulae, qvam professi sunt, praescriptum, vitam instituere.* o)

§. CCLXVII.

m) Cap. 1. de privil. in 6. n) Sess. XXV. de Regular. cap. 1. o) Lib. IX. cap. 17. num. 1.

§. CCLXVII.
Non tamen omnimodae.

Illam vero consvetudinem improbavit Pontifex idem, qvod Antistites Ecclesiarum pleriqve, in Synodis de Regularibus ne verbum iniiciant; cum plurima sint, in qvibus illi, qvantacumqve fruantur exemtione, subiiciuntur Episcopo, velut sedis Apostolicae Delegato; cuiusmodi subiectionis ne obliviscantur, oportet eam qvandoqve refricari; id qvod oportunissime per Synodales constitutiones fieri potest. p) Qvemadmodum id cum laude praestiterunt Ecclesiae Hungaricae Praesules: Nicolaus Olahus, q) Petrus Pázmány, r) et Martinus Borkovich, Ecclesiae Zagrabiensis Antistes. s) Imo iuxta declarationem S. Congregationis Concilii Tridentini Interpretum, die septima Februarii 1632. factam, Episcopus viros Regulares, ad ea rite implenda, in qvibus de iure communi competit ipsi, in

p) De Syn. Dioec. lib. IX. cap. 15. num. 2. q) In Syn. anni 1560. cap. 35. r) In Syn. anni 1629. cap. 3. et in Syn. 1630. statuto 10. s) In Synodo 1669. cap. 8. et 1673. cap. 3.

eosdem potestas, etiam per censuras Ecclesiasticas, compellere potest.

§. CCLXVIII.

Nempe circa Sacramenta.

Sunt autem, in qvibus Regulares, Episcoporum iurisdictioni subiiciuntur, ferme haec, qvae sum enarraturus: I. Chrysma et Eucharistiam, iuxta legem Ecclesiae t) sub fideli custodia non tenentes, qvemadmodum a S. Congregatione, qvae negotiis Episcoporum ac Regularium praeest, die 8. Ianuarii 1724. declaratum fuit, per Episcopum plecti possunt. u) II. Saecularium, etiamsi Sacerdotum, v) uti et Monialium confessiones, sine adprobatione Ordinarii neqveunt audire. w) III.

t) Cap. 1. de custodia Euch. u) Ap. Bened. XIV. de Syn. D. lib. IX. cap. 15. num. 4. v) Conc. Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 15. w) Ex constitut. Gregorii XV. qvae incipit: *Inscrutabili*, data 5. Febr. 1622. Qvam citat Remigius Maschat Institut. Canonic. parte I. elencho VI. num. 4. Item, Prosper Lambertinus, postmodum Bened. XIV. Institut. Eccl. XXIX. post init. Adde eiusd. institut. 86.

III. Assistentes matrimonio, sine Ordinarii vel Parochi facultate, ab suspensionis censura, qvam hoc pacto incurrerunt, duntaxat ab Episcopo sponsorum, absolvi qveunt. x) IV. Eiusdem correctioni subsunt; in cuiuscumqve Sacramenti administratione graviter delinqventes. y)

§. CCLXIX.
Circa publ. cultum Dei.

Plura qvoqve sunt ad exteriorem Dei cultum spectantia, qvae nihilominus viri Regulares, absqve Praesulis annutu, vel eo contradicente, neutiqvam agere possunt. Etvero I. Praevaricantes ea, qvae praecepta sunt atqve prohibita in Concilio Tridentino, circa Missarum celebrationem, Episcoporum correctioni subiiciuntur. z) II. Iuxta declarationem S. Congr. Concilii Trid. Interpretum die 17. Augusti 1630. factam, Regularibus non li-

x) Trid. sess. XXIV. decr. de reform. matr. cap. 1.
y) Ex citata Greg. XV. constitut. ad qvam provocat Ben. XIV. de Syn. Dioec. lib. IX. cap. 15. num. 9. et 11. z) Trid. sess. XXII. decr. de observ. etc. in celebr. Missae.

licet Sacramentum Eucharistiae, etiam in propriis eorum Ecclesiis adorandum exponere, nisi fuerit causa publica, per Ordinarium recognita; ob causam vero privatam sic licet, ut e Tabernaculo Sanctissimum non protrahatur; sitqve insuper velatum, ne sacra hostia videri possit. a) III. In Ecclesiis, ubi curam animarum ex officio exercent, ad praedicandum verbum Dei, etiam per censuras compelli possunt. b) IV. Etiam in Ecclesia proprii Ordinis, ad praedicandum ceteroqvin a legitimo superiore probatus, ab Episcopo illic praesente benedictionem petere debet; c) atqve isto contradicente, nec in sui Instituti Ecclesiis annunciare Verbum Dei potest; d) ut vero in aliis non sui Ordinis Ecclesiis munere hoc defungi licite qveat, ultra licentiam proprii Superioris, etiam Episcopalem habere debet. e) V. Si Regularis etiamsi exemtus ab Episcopi iurisdictione, annunciet populo qvospiam errores, aut qvaedam scandalosa dis-

a) Apud Bened. XIV. de Syn. D. lib. IX. cap. 15. num. 3. b) Trid. sess. V. de ref. cap. 2. c) Trid. cit. cap. d) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 4. e) Idem sess. V. de ref. cap. 2.

disseminet pro concione, non modo interdicere illi praedicationem Episcopus, verum contra eum procedere qvoqve potest. f) VI. Regulares, vocati ad publicas Processiones, venire debent. g) VII. Festa per Episcopum annunciata, per qvoslibet, ceteroqvin exemtos, de lege observanda sunt. h) Ieiunia per eum indicta, vitandi scandali causa, congruit, ut cum ceteris observent. i) VIII. Nemini, qvamvis exemto, licet ullibi, etiamsi in exemta Ecclesia, insolitam exponere imaginem, nisi per Episcopum fuerit adprobata; neqve nova recipere miracula, novasve Reliqvias, nisi eodem recognoscente, et approbante Episcopo. k) IX. Regulares publice docturi, Catholicae fidei professionem elicere coram Episcopo debent, secundum formam a Pio IV. Pontifice praescriptam. l)

§. CCLXX.

f) Trid. ibid. g) Trid. sess. XXV. decr. de Regular. cap. 13. h) Trid. cit. nunc decr. cap. 12. i) Bened. XIV. de Syn. D. lib. XIII. cap. 4. num. 7. k) Trident. sess. XXV. decr. de invocat. venerat. et reliqv. Sanctor. et sacr. imag. l) Vide eamdem ad calcem Conc. Trid. et adde Ben. XIV. de Syn. Dioec. lib. IX. cap. 15. num. 11.

§. CCLXX.
Circa curam animarum.

Cum praeterea Synodus Tridentina, aeqvum esse agnoverit, ut, qvaecumqve in Dioecesi ad cultum Dei spectant, *ab Ordinario diligenter curentur, atqve iis, ubi oportet, provideatur*: m) constituit etiam, ut Beneficia qvaevis Ecclesiastica monasteriis unita, ipsaeqve Personae Regulares, in monasterio degentes, qvibus incumbit animarum cura, subsint immediate in iis, qvae ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi sunt sita. n) Ne autem hoc decretum sinistris explanationibus maneret obnoxium, Gregorius XV. Pontifex providit. o) Praeterea negligentiam, in

m) Trid. sess. XXI. de ref. cap. 8. n) Trid. sess. VII. cap. 7 Sess. XXI. cap. 8. Sess. XXIV. cap. 9. Sess. XXV. decr. de Regul. et monial. cap. 11. o) Citata superius constitut. *Inscrutabili.* Cuius haec sunt ad rem praesentem verba: „Ut deinceps tam „Regulares, qvam saeculares qvomodolibet ex„empti, sive animarum curam personarum saecu„larium monasteriis, seu domibus regularibus, „aut qvibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis, sive

in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum a Regularibus commissam, Episcopus, qva sedis Apostolicae delegatus, habet supplendi potestatem. p)

§. CCLXXI.

„saecularibus, sive regularibus incumbentem exerceant, sive alia Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia, et approbatione, sive qvoqvomodo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absqve auctoritate se ingerant in his, qvae huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi, et correctioni Dioecesani Episcopi, tamqvam sedis Apost. delegati, plene in omnibus subiiciantur. Ad haec tam Regulares, qvam saeculares huiusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, qvominus, si deliqverint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tamqvam ad hoc sedis Ap. delegato, qvoties, et qvando opus fuerit, puniri, et corrigi valeant.“ p) Cap. un. de supplenda neglig. Praelator. in Clement.

§. CCLXXI.
Circa iurisd. Epp.

In cuius personam delinqventes Religiosi, et eius impedire volentes iurisdictionem, hoc etiam nomine, illius subsunt correctioni; qvemadmodum a S. Congregatione Concilii Tridentini interpretum, fuisse olim declaratum, Benedictus XIV. Pontifex maximus adnotavit. q) Iidem literas dimissorias pro suscipiendis Ordinibus concedere: vel Ordines, propriis qvidem subditis, at minime Regularibus, conferre haud possunt. r) Censuras ab Ordinariis promulgatas, ad eorumdem mandatum, (salvo Regis Apostolici in isthac materia iure, inferius commemorando) promulgare, et observare; s) uti etiam ad Synodum Episcopalem, (§. XCI. seq.) nisi specialiter exemti ab hac obligatione fuerint, (§. CCXXXVII.) de lege communi debent. Episcopi praeterea visitationi subiacent Monasteria *commendata*, qvalitercumqve exemta, in qvibus non viget disciplina regularis.

q) De Syn. D. lib. IX. cap. 15. num. 11. r) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 10. s) Trid. sess. XXV. de regul. cap. 12.

ris. t) Neqve Religiosae domus erigi possunt, absqve Praesulis, in cuius Dioecesi erigendae sunt, licentia speciali. u) Ordinationis praeterea gratiam petere ab Episcopo loci, in qvo degunt, de iure communi obligantur. v) Nam facultates concessas recipiendi Ordines a qvocumqve Praesule, Concilium Tridentinum hoc pacto restrinxit, ut illae non suffragentur, nisi legitimam causam habentibus, ob qvam a proprio Episcopo gratiam ordinationis petere non possint, in literis exprimendam; et neqve tunc ordinentur ab alio Praesule, qvam in sua Dioecesi residente, aut ab eo, qvi huius loco Pontificalia exercet; et examine praemisso. w) Hoc autem examen a proprio Episcopo institui debet. x) Indulserat qvidem Pius V. ut Religiosi mendicantes, irreqvisito Ordinario, per alie-

t) Idem sess. XXI. de ref. cap. 8. u) Idem sess. XXV. decr. de regular. cap. 3. Adde merito Ben. XIV. de Syn. D. lib. IX. cap. 1. num. 9. v) Trid. sess. XXIII. decr. de ref. cap. 8. et 10. item cap. 3. de temp. ord. in 6. w) Trid. sess. VII. de ref. cap. 11. x) Idem sess. XXIII. de ref. cap. 3.

alienum Antistitem possint ordinari; y) At vero hanc facultatem Gregorius XIII. revocavit. z) Sacra insuper Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, anno 1596. die 15. Martii declaravit, non licere Praelato Regulari, literas dimissoriales concedere suis Regularibus ad suscipiendos Ordines a qvocumqve Antistite, verum teneri illas dirigere ad Antistitem Dioecesanum; qvi si abfuerit, vel non est celebraturus Ordinationem, posse dimitti subditos ad alium Praesulem, dummodo studiose concessio dimissorialium literarum non fuerit ad illud tempus dilata, qvo praevidebatur Episcopus vel futurus absens, vel ordinationem habiturus non esse. a)

§. CCLXXII.
Circa privatas act.

Sunt praeterea Regulares. qvamvis exemti, qvoad nonnullas actiones privatas, iuris-

y) Constitut. qvae incipit: *Etsi mendicantium.* z) Constitutione: *In tanta.* Ad qvas provocat Espenius Iuris Eccl. univ. parte II. sectione 1. tit. 9. cap. 2. num. 37. a) Apud. Bened. XIV. cit. op. libro IX. cap. 17. num. 2.

risdictioni Praesulum subiecti. Nam degentes extra monasterium, si deliqverint, ab Ordinario loci, veluti super hoc a sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi possunt. b) Qvo iure potest uti Ordinarius in illos, qvi studiorum causa mittuntur ad Universitates Literarias, nisi in domo regulari commorentur. c) In claustris vero degentes, verum extra haec delinqventes cum populi scandalo, nisi ad Episcopi postulationem a Praelato suo, intra praefixum tempus fuerint puniti, per Ordinarium corrigi iubentur. d) Ratione contractuum, mercedumqve debitarum, extra claustrum degentes, Episcopi subsunt iurisdictioni. e) Qvicumqve item Confraternitatibus laicorum, hospitalibus, et qvibuscumqve piis locis praesunt. f) Praeterea, qvi

b) Trid. sess. VI. de ref. cap. 3. c) Idem sess. XXV. decr. de regular. cap. 4. d) Cit. nunc decr. cap. 14. Adde Espen Iuris Eccl. univ. parte III. tit. 12. cap. 6. num. 17. e) Cap. 1. de privil. in 6. Trid. sess. VII. de ref. cap. 14. f) Cap. 2. de relig. domib. in Clem. Trid. sess. VII. cap. 15. Sess. XXII. cap. 8. et 9. Sess. XXV.

qvi e Regularibus cum facultate Superiorum, testamenta exeqvuntur, rationem peracti officii reddere tenentur Episcopo, siqve in illo deliqverint, per eumdem Episcopum puniri qvoqve possunt. g) Prouti etiam illi, qvi Monialium turbant clausuram. h) Qvi a suis Conventibus recedunt, etiam praetextu ad Superiores eundi, sine horum mandato, in scriptis obtento, ubicumqve reperti, ab Ordinariis locorum, tamqvam Ordinis sui desertores puniri possunt. i) At vero S. Congregatio Concilii Tridentini interpretum anno 1624. declaravit, qvod fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres coniici, ac superioribus Regularibus consignari, ut secundum regulam Ordinis sui puniantur. k)

§. CCLXXIII.

cap. 8. Adde Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. XIII, cap. ult. num. 6. g) Cap. unico de testam. in Clem. h) Cap. un. de statu monach. in 6. Conc. Trident. sess. XXV. de regular. cap. 5. Adde Bened. XIV. cit. op. lib. IX. cap. 15. num. 7. i) Trid. sess. XXV. de regular. cap. 4. k) Apud Bened. XIV. cit. op. lib. XIII. cap. 11.

§. CCLXXIII.

Conventus in sensu leg. Hung.

Qvaedam contubernia Religiosorum, partim subsistentia, partim restituta postliminio, qvaedam vero qvantum ad sui ordinis viros, penitus abolita qvidem, sed superstite authentico sigillo, tabulario, et fidedignitate virorum, qvi iureiurando obstricti, curam istorum gerunt, *Conventus* vocantur in patria lege, numeranturqve hodie seqventes: S. Adriani de Szalavár, l) S. Benedicti de iuxta Gron, m) S. Martini de sacro monte Pano-

num. 14. Plura de restrictis exemptionibus, Conc. Trid. sess. XXIV. decr. de reform. cap. 11. Item Espen in repagulo canonico adversus nimiam exemtionum a iurisdictione Epp. extensionem, Operum tom. VI. últimae edit. Venet. l) Est Ord. S. Ben. in Com. Zalad. Dioec. Weszpr. fundatus per S. Steph. Regem ante ann. 1024. uti huius anni diploma ostendit, productum a RR. Steph. Katona, hist. crit. R. H. T. I. pag. 313. et alterum diploma S. Ladislai Regis anni 1091. qvod legitur ap. eund. Katona cit. op. T. II. pag. 565. Coniunctus cum Monasterio Gottwicensi in Austria, anno 1715. De illo art. 52. 1609. m) Olim perinde Ord. S. Bened. in Comit. Barsiensi, Dioecesi

nonìae, n) S. Crucis de Lelesz, o) S. Ioannis Bapt. de Iászov. p) B. Mariae Virginis de

Strigon. Iuxta Petri Pázmány notationem in append. II. ad Synodum anni 1629. fundatus a Geysa I. anno Christi 1075. Nunc sub dominio, et cura V. Capituli Strigoniensis. n) Cum in titulari Calendario dicitur S. Benedicti, Ordo intelligendus est, pro qvo in honorem S Martini fundatum est monasterium a S. Rege Stephano, et privilegio singulari donatum anno 1001. In Comitatu, et Dioecesi Iaurinensi situm. Fidedignitas ei restituta fuit art. 44. 1723. o) Ordinis Praemonstratensium in Comitatu Zemplin, et Dioec. Agriensi, fundatus a Boleslao Episcopo Vaciensi; qvem in Testam. a. 1214. condito locupletavit. Legitur ap. Katona Hist. crit. T. V. pag. 181. Amissam iniuria temporis Praepositurам, Augustinus Benkovich Ep. M. Varad. an. 1700. Praemonstratensibus resignavit; et facta inter Abbates ac Praepositos Ord. huius conventione, Praepositura haec anno eodem, Conventui Lucensi in Moravia cessit. Confer Pray in specim. Hier. Hung. parte I. pag. 35. et meas Amoenit. hist. Eccl. Hung. fascic. VI. num. II. §. 9. Mentio conventus Lelesziensis habetur art. 21. 1557. art. 49. 1559. art. 49. 1609. et sigillum eius renovari iubetur art. 103. 1655. p) Fundatorem, et annum fundationis non adno-

de Thurocz, q) et S. Michaelis de Csorna. r) Qvicumqve in istis munere funguntur, *Conven-*

tavit Pazmannus in cit. superius append. Est autem Ord. Praemonstratensium. De qvo faciunt leges patriae mentionem, utpote 1557. art. 21. 1609. a. 50. situatur in Dioec. Agr. et Comit. Abaujvariensi. q) Olim aeqve Ord. Praemonstr. fundatus a Bela qvarto Rege anno 1252. uti docent eius literae fundationales, ap. Laur. Károlyi in speculo Eccl. Iaurinensis pag. 45. Bona eius anno 1586. a Rudolpho Imp. ac Rege conseqvuti erant PP. soc. Iesu. Amissa temporum iniuria, denuo receperunt. Spectant hodie ad generalem fundum studiorum, in Dioecesi Neosoliensi, et Comitatu Thurocziensi sita. Tabularii Thuroczi-ensis; viciniores Parochi curam gerunt, sub *Conventualium* adpellatione. De Praepositura Thurocziensi plura leges in meis Amoenit. fascic. VI. num. II. §. 10. r) Ord. Praemonstr. scribitur fundatus esse circa ann. Christi 1180. Huius Praepositura fuit suo restituta Ordini anno 1694. et incorporata Conventui Pernecensi. Qvi illam anno 1711. cessit Moravico Conventui Gradecensi. Vide amoenit. Hist. Eccl. R. H. cit. fasc. num. II. §. 9. Fit istius Conventus mentio in legibus Hungaricis, nimirum 1613. a. 32. 1647. a. 121. 1655. a.

ventuales personae audiunt, iisqve hoc nomine eadem sunt iura, eademqve onera, qvae Capitulis, velut locis credibilibus, iuxta legem patriam esse, loco oportuno (§. CCXXXI.) dixeram, cum leges domesticae, de utrisqve idem decernant.

§. CCLXXIV.
Clericorum in genere.

Qvoscumqve hactenus enumeravi, ceu ad Ecclesiae gubernationem aliqvomodo influentes, expositis eorumdem tam iuribus, qvam obligationibus, *Clerici* sunt, personae videlicet, cultui Divino, muneribusqve sacris, per ordinationem specialem destinatae. Haec adpellatio, qvemadmodum est vetustissima, s) ita memoratis dumtaxat propria personis; sumta nimirum a voce graeca *kléros*, id est, *sors*: vel qvia de sorte sunt Domini, vel qvia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est, veluti S. Hieronymus advertit. t) Ceteri

39. situatus est in Comitatu Soproniensi, et Dioecesi Iaurinensi. s) Legitur in epistolis S. Cypriani, pag. 61. 110. 140. editionis Tirnav. t) In epist. ad Nepotianum.

teri enim qviqve Fideles *laici* sunt, sive populares, ita dicti a Graeca rursum voce: *laos*, qvae populum designat.

§. CCLXXV.

Iura sustentationis.

Clericis titulo sacri ministerii, qvod gerunt, a populo deberi alimenta, lex Evangelica docet; u) et Paulus Apostolus operose demonstrat, sibi ac Barnabae praedicationis consorti, ius fuisse victui necessaria sumendi a Corinthiis, noluisse vero ad evitandam offensionem. Primum sumit argumentum e ratione naturali, qvotidianis exemplis illustrata, dum utitur exemplo militum, vinicolarum, ac pastorum, qvaerendo: *qvis militat suis stipendiis unqvam? qvis plantat vineam, et de fructu eius non edit? qvis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* v) Progreditur, sumto argumento a lege veteris testamenti, qvae praecipit, ut bovi trituranti os ne obturetur, w) et qvaerit: *numqvid de bobus cura est Deo? an propter nos utiqve*

u) Matth. X. 9. 10. Lucae VIII. 2. Lucae X. 7.
v) 1. Corinth. IX. 7. w) Deut. XXV. 4.

hoc dicit? nam propter nos scripta sunt; ac seqvens interrogatio illius, conclusio est argumenti: *si nos vobis spiritualia seminavimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Urget argumentum, a veteris testamenti Sacerdotibus petitum, qvaerens: *nescitis, qvoniam qvi in sacrario operantur, qvae de sacrario sunt, edunt: et qvi altari deserviunt, cum altari participant?* ne enim lex ista mere caerimonialis fuisse putetur, ideoqve sublata, protinus concludit: *ita et Dominus ordinavit iis, qvi Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* x) Non probat assertum hoc noviter Apostolus, sed firmum stare supponit, Timotheo discipulo, atqve iam Episcopo haec talia scribens: *qvi bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qvi laborant in verbo, et doctrina. Dicit enim Scriptura: non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua.* y) Haec ipsa fuerat primis illis, beatissimisqve temporibus, Christianorum sententia. Nam Beatus Cyprianus, postqvam retulisset, solam Leviticam tribum

in

x) Cit. cap. v. 9 — 14, y) 1. Timoth. V. 17. 18.

in divisione terrae promissae, nihil de illa divisionis portione percepisse, idqve factum fuisse Divina auctoritate, ut scilicet, *qvi operationibus Divinis insistebant, in nulla re avocarentur; nec cogitare, aut agere saecularia cogerentur:* Mox subiecit: *qvae nunc ratio, et forma in clero tenetur, ut qvi in Ecclesia Domini, ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione Divina avocentur, nec molestiis, et negotiis saecularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanqvam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, et sacrificiis non recedant, sed die, ac nocte coelestibus rebus, et spiritualibus serviant.* z) Assertionem, qvam id aeqvum esset, qvod et Paulus, et Cyprianus voluere, firmabat consvetudo. Tantis qvippe proventibus abundare coepit Ecclesia, ut sub finem qvinti post natum Christum saeculi, Simplicius, Gelasius, et Gregorius Romani Pontifices, qvatuor ex iis proventibus iusserint fieri partes, qvarum una Praesuli, altera Clericis Ecclesiae servientibus, tertia pauperibus, qvarta fabricis Eccle-

sia-

z) In epist. ad Cler. et plebem Furnitanorum.

siarum applicaretur. a) Et qvamvis qvadripartita subdivisio haec, circa saeculi IX. exordium; antiqvata fuisse scribatur, b) erigi nihilominus coeperunt specialia pro Clericis Beneficia, qvalia in hodiernum usqve diem perseverant.

§. CCLXXVI.

Nec tamen ut mercedis.

Neqve tamen illud, qvod Clericis titulo sacri muneris obtingit, mercedis adinstar, verum uti stipendium, qvo deficiente, sacrum non posset impleri Ministerium, spectari debet. Secus committetur simoniae peccatum, repugnans Christo dicendi: *gratis accepistis, gratis date.* c) Qvam in rem apte Gregorius Magnus: *considerandum est, qvod uni numero operi duae mercedes debentur: una in via, altera in patria; una qvae nos in labore sustentat, alia qvae nos in resurrectione remunerat. Merces itaqve, qvae in prae-*

a) Can. 23. 25. seqq. caus. 12. qvaest. 2. Adde Espen Iuris Eccl. univ. parte II. sect. 4. tit. 1. cap. 6. b) Lege Claudii Fleuri Institut. Iuris Eccl. parte II. cap. XI. c) Matth. X. 8.

praesenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad seqventem mercedem robustius tendatur. Verus ergo qvisqve praedicator non ideo praedicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut praedicare subsistat. Qvisqvis namqve ideo praedicat, ut hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, aeterna proculdubio mercede se privat. Qvisqvis vero per ea, qvae dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet pvod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur; vel idcirco terrena stipendia in praedicatione conseqvitur, ne a praedicationis voce per indigentiam lassetur; huic proculdubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, qvia sumptus sumpsit in via. d)

§. CCLXXVII.
Ius immun. person.

Est praeterea Clericis commune ius immunitatis personalis, cuius praesidio, a communi laicorum subiectione ac foro, et a communi-

d) S. Aug. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 16.

muni onere personali, sunt exemti. Dum haec immunitas, asseritur esse Divini iuris, merito assentiendum est, qvoties onera civilia, a Sacro illos munere vel magnopere impediunt, vel penitus avellunt. Salva libertate Ministrorum Ecclesiae, qvae Principum Christianorum favore concessa est, salva qvoqve manere debet Patrum doctrina. (§. CLXVII.) Ceteroqvin superflua videtur esse apud nos indagatio, in originem eius exemtionis, dum novimus, Clericos illa hic terrarum atqve gentium, e mutua utriusqve potestatis, sacrae nimirum, e) atqve profanae, f) svavi consensione, ferme penitus gaudere. Cui facta renunciatio, firmata licet iurando iure, neutiqvam valet. g) Imo Concilium Tridentinum, qvamlibet immunitatem, rerum atqve personarum Ecclesiasticarum, velut *Dei ordinatione, et Canonicis sanctionibus constitutam*, exacte ab omnibus observandam decrevit. h) Qvae tamen expressio, latius pu-

ta-

e) Cap. 4. 8. 17. de iudiciis. Cap. 2. de foro comp. Cap. 4 de immun. Eccl. in 6. f) Istud qvintus abhinc §phus demonstrabit. g) Cap. 12. de foro compet. h) Sess. XXV. de ref. cap. 20.

tatur sumenda; qvatenus videlicet consona est haec immunitas iis, qvae de sacerdotum immunitatibus, in Codice sacro leguntur. i)

§. CCLXXVIII.
Ab iniuria corporali.

Specialis Clericorum immunitas est, qvam adpellamus *privilegium canonis*, in eo situm, qvod svadente diabolo manus iniiciens in Clericum, anathematis vinculo subiaceat, et excepto mortis periculo urgente, a nemine Episcoporum absolvi possit. k) Qvi canon, cum non tam in favorem Clerici, qvam totius ordinis Clericalis fuerit conditus, nemo illi renunciare potest. l) Sed non incurrit poenam hanc percutiens laedensve Clericum, ex animi levitate, vel ioco; m) aut ex munere, in correctionem; n) repellens item in continenti vim, a Clerico sibi illatam. o)

Ne-

i) Gen. XLVII. 22. 26. Esdrae VII. 24. k) Can. 29. caus. XVII. qv. 4. Cap. 9. de vita et honest. Cler. Cap. item 3. de sententia excomm. l) Cap. 36. de sent. excomm. m) Cap. 1. de sent. excomm. n) Cap. 1. 15. eod. tit. Cap. 15. eod. tit. in 6. o) Cap. 3. eod. tit.

Neqve etiam, percutiens Clericum turpiter conversantem actu, cum propria cognata; p) aut Divina turbantem; q) vel post tertiam admonitionem Praelati, sine tonsura et habitu Clericali incedentem. r) Uti nec is, qvi bona fide ignorabat esse Clericum, qvem percussit; s) imo etsi ratam habuerit factam ab alio percussionem, dummodo in eam non influxerit. t) Non incurrit praeterea excommunicationem, qvi Clericum percussit tabernarium, macellariumve, simul, non obstante trina admonitione, laicorum more vestitum; u) aut propria indutum veste, nihilominus bigamum; v) aut eum, qvi non virginem duxit; w) aut per annum in theatro histrionem egit. x)

§. CCLXXIX.

p) Eod. cap. q) Cap. 16. eod. tit. r) Cap. 45. eod. tit. Adde Ben. XIV. de Syn. D. Lib. 12. cap. 6. num. 4. s) Cap. 4. eod. tit. t) Cap. 23. eod. tit. in 6. u) C. 1. de vita et honest. Clericorum. v) Cap. un. de bigamis in 6. Conc. Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 6. w) Cit. cap. un. de big. in 6. x) Eod. cap.

§. CCLXXIX.
Ius immunit. realis.

Iidem Clerici gaudent iure immunitatis realis, qvatenus Bona, qvae titulo muneris Ecclesiastici possident, qvamvis origine spectata, Civili Reipublicae subsint, (§. CLXVIII.) nihilominus, primum favore Christianorum Principum, y) postmodum lege communi Ecclesiastica ab oneribus publicis fuerunt exemta. z) Qvodsi refrices declarationem Tridentinae Synodi, (§. CCLXXVII.) hanc qvoqve immunitatem ad ius Divinum referre oportebit; qvatenus prohibetur ea proventuum Ecclesiasticorum subtractio, ex qva seqvi deberet rerum sacrarum neglectus; et qvatenus istius qvoqve immunitatis, in iure Divino testamenti veteris, exempla reperiuntur, paulo superius adducta. Deniqve Bona Ecclesiastica hac qvoqve gaudent immunitate, qvod alienari minime possint. a)

§. CCLXXX.

y) Vide Espen Iuris Eccl. univ. parte II. sect. 4. tit. 3. cap. 4. z) Cap. 4. et 7. de immun. Eccl. Cap. 6. de censib. in 6. a) Can. 1. caus. 10. qv. 2. Can. 13. caus. 12. qv. 2. Item Cap. 1. seqq. usqve 12. de reb. Eccl. non alienandis etc. Cap.

§. CCLXXX.
Benef. competentiae.

Asseritur praeterea Clericis *beneficium competentiae*, ut vocant, qvo Clericis non habentibus, unde creditoribus plene satisfaciant, salvam nihilominus retinent ratam, ex qva congrue subsistant. b) Sed cum ex ea lege, qvae hanc in rem adducitur, sola immunitas ab excommunicatione erui possit, propter impotentiam solutionis incurrenda: rectius utiqve ab usu diuturno desumendum est competentiae beneficium. Qvod tamen haud praestat tutelam, si debitor occultet possessa; cum citata lex faveat Clerico, qvi *propter rerum inopiam solvere non valet.* Item, si impotentia solvendi nata fuerit ex delicto; qvoniam inopibus, non vero delinqventibus iura favent. c) Neqve competit pervicaciter in iudicio debitum neganti. d) Nec deniqve recusanti praestare cautionem, de persolvendo, si ad pingviorem venerit fortunam. e)

§. CCLXXXI.

2. eod. in 6. Cap. un. eod. in extrav. comm. b) Citatur cap. 3. de solutionibus. c) Argum. cap. 5. de dolo et contumacia. d) Idem. e) Idem ca-

§. CCLXXXI.
Cleri Hung. iura.

Qvamvis pleraqve ex assertis Clero iuribus, etiam in Ecclesia Hungarica locum habeant, sunt nonnulla tamen, qvae salva legum patriarum libertate, sustineri apud nos minime possunt; qvin idcirco Ecclesiasticae posestati omnimode independenti, (§. CLXV.) qvippiam derogetur. Qvemadmodum id ex antehac assertis patet. (§. XV.) Sed ad rem: omnes personae, ad ministerium Clericale, per Ordinationem sacram ab Orthodoxo Antistite susceptam f) destinatae, simul sumtae, *Venerabilis Cleri* nomine compellantur. g) Eadem praerogativa, libertateqve cum ceteris Regni Hungariae Nobilibus gaudent. h) Qvare tam hoc nomine, qvam qvod insuper pri-

put: Adde Ioann: Szegedi tripart. Iuris Hung. Tyrocinium parte II. tit. 45. f) Qvoad ceteros regulam teneo S. Pauli Ap. 1. Cor. V. 12. Illi qvoqve suas iam habent praerogativas ex art. 10. 1792. et ex B. Resol. Regia, die 21. Ian. 1794. via Exc. Cons. Locumt. Hung. publicata. g) Art. 16. 1715. h) Trip. parte I. tit. 2. et 12. Item parte II. tit. 11. et 44.

privilegium Canonis (§. CCLXXVIII.) leges qvoqve domesticae manuteneant, i) Clericum verberare cautnm est, sub poena in foro spirituali pronuncianda. Ad nullius qvoqve instantiam, vel accusationem in persona capi, detinerive, aut damnari possunt, ordine iudiciario non condemnati. k) Nihilominus in casu criminis laesae Maiestatis Regiae; notae infidelitatis; deliberati praeterea homicidii aut latrocinii, subiacent foro, et processui cum saecularibus aeqvali; atqve convicti per sententiam, praemissa degradatione, poenam capitis luunt. l) In ceteris namqve delictis personalibus, suorum Ordinariorum iudicio subiiciuntur. m) Qvamvis igitur secundum patriae legis assertum, persona spiritualis, et Ecclesiastica, contra saecularem, et e converso saecularis adversus spiritualem, aeqvali poenae, et gravamini subiaceat. n) Nihilo-

mi-

i) Art. 3. 1462. et art. 17. 1764. k) Andr. II. decr. de an. 1222. art. 2. item Trip. parte I. tit. 9. Art. 5. 1723. l) Trip. parte II. tit. 44. m) Colom. decr. lib. I. cap. 5. 6. 14. item ab opposito partis I. tit. 44. n) Art. 38. 1439. Trip. parte II. tit. 44. Item art. 16. 1647.

minus ob reverentiam Sacrorum Canonum, obtinuit apud nos consvetudo, ut ob qvamcunqve violentiam Clericus, non citetur ad forum saeculare, verum Praelato suo denuncietur, qvi servatis de iure servandis, satisfactionem impendet. o) Insuper, qvamvis privilegium illud, iurandi duntaxat *in puritate conscientiae*, solum de Praelatis in lege nostra sonet: p) de more tamen, qvoties iurandum est in iudicio, ad inferiores etiam Clericos illud extendi, experientia docet. q) Exceptis criminibus antea commemoratis, propter cetera delicta, per articulum 10. anni 1723. recitata, Clerici non poenam capitis, sed emendae capitis poenam, r) subi e debent. s) A militum condescensione; t) a solutione teloniorum, u) et a praestatione da-

o) Consule Szegedi tyroc. iuris parte 2. tit. 44. §. 1. p) Trip. parte II. tit. 49. q) Consule Szegedi cit. op. ad hunc tit. r) Haec est respectu Praelator. et Baronum in 400. respectu nobilium in 200 florenis iuxta Trip. part. 2. tit. 43. s) Trip. parte II. tit. 42. Constitut. Nobil. Sclav. art. 10. 1538. deniqve art. 10. 1723. t) Art. 58. 1618. Item a. 46. 1635. a. 44. 1638. a. 48. 1715. u) Art. 10. 1458.

datiarum, collectarum, tributorum, vectigaliumqve, per legem patriam sunt immunes. v)

§. CCLXXXII.

Et Cleri Graeco-Cathol.

Iura nunc enumerata, Graeci qvoqve Ritus Clero Catholico, speciali Regum Apostolicorum favore competunt. Clerici enim hi ac Sacerdotes, postqvam redierunt ad obedientiam Romani Pontificis, w) utpote solis iam ritibus externis a Clero Latino discrepantes, in Synodo Nationali, anno 1648. per Georgium Lippai de Zombor Strigoniensem Archiepiscopum Tirnaviae celebrata, *pro veris membris Catholicae Ecclesiae agniti, et admissi sunt, et conseqventer privilegiorum, ac libertatum aliorum Catholicorum Sacerdotum participes effecti.* x) Postmodum

v) Titulo scil. communis praerog. nobilitatis iuxta Trip. parte I. tit. 9. Item per leges speciales, utpote art. 10. 1458. et art. 83. 1492. w) Huius rei exordia et progressum, vide in mea hist. Relig. et Eccl. Christ. vol. II. periodo ult. §. XXV. scq. x) Ita legitur in gravaminibus anno 1659. occasione Comitiorum Leopoldo I. Regi porrectis,

dum anno 1692. die 23. Augusti, rursumqve anno 1698. die 14. Aprilis Leopoldus I. Rex datis ad Gubernium Transylvanicum Literis, promittebat: *qvi ex sacerdotibus Graeci ritus apud Catholicos cum agnitione summi Pontificis se declaraverit. iisdem prorsus iuribus, privilegiis, exemptionibus, ac immunitatibus frui, et gaudere debeat, qvibus Sacerdotes Romano-Catholici, sive Ritus Latini, iuxta Sacrorum Canonum sancita, et Divorum Hungariae Regum statuta, frui, ac gaudere di-*

nomine Ruthenorum Catholicae Religioni unitorum. Inter MSS. Petri Szirmay volum. II. qvae hodie possidet Antonius Szirmay, laudatus propter haec in vestigiis Comitiorum ap. Hung. praefat. pag. XIV. et in Instituto Diplomatico historico I. R. Hung. pag. 75. Qvae mecum etiam fuere liberaliter communicata. Citatae in §pho Synodi decreta, lucem publicam nondum viderunt. Exstant vero propositiones factae in illa Synodo ap. Péterffium Con. Hung. T. II. pag. mihi 377. inter qvas vicesima tertia, illud agendum optat, ut Sacerdotes Rutheni ad gremium Ecclesiae Catholicae reduces, *privilegiorum Status Ecclesiastici, ac libertatis participes* efficiantur.

dignoscuntur. y) Qvam Augusti Principis declarationem Leopoldus a Kollonits Archiepiscopus Strigoniensis, die 2. Iunii anno 1698. Graeci Ritus Valachis Sacerdotibus, per Hungariam, Transylvaniam, partesqve eidem adnexas, existentibus, per literas publicas notam reddebat. z) Dictis immunitatibus Clerum Graeci Ritus Catholicum perinde frui debere, supponebat articulus 69. anni 1723. decernens: *ut unitorum Graeci ritus Sacerdotum filii, in Presbyteratu nati, in statum, et conditionem colonicalem non reducantur, talesqve praevie capacitati, et eruditi, in Presbyteratum assumi; et ordinari possint. Qvi vero Presbyterorum filii in fundis colonicalibus residerent, a talibus fundis iuxta initam, vel ineundam cum dominis terrestribus conventionem, in, et ab iisdem contribuere, ac ad communia onera concurrere debeant.* Pro immunitatibus deniqve Cleri Ri-

y) Ita legitur ap. Franc. Fasching in *Nova Dacia* parte I. pag. 23. et in op. Andreae Illia, inscripto: *ortus, et progressus variar. in Dacia gentium, ac Religionum.* §. 3. z) Leguntur ap. Laur. Károlyi in speculo Eccl. Iaur. pag. 113.

Ritus Graeci Catholicorum, ab opposito licet argumentari, ex ea Reginae Mariae Theresiae declaratione, die 27. Nov. 1767. publicata, per qvam praeceptum fuit: ut illi, qvi recenter sine annutu Episcopi Munkacsiensis, in Rascia, et Moldavia, modo plane a sacris qvoqve Canonibus summe vetito, Presbyteratum susceperunt, ab omni functione Sacerdotali, sub gravissima animadversione illico inhibeantur, *et nihil suffragantibus praevia ratione susceptis Ordinibus, adinstar aliorum colonorum, communi, et proportionato oneri contributionali subiiciantur.* a) Postremum argumentum est, qvod eorum Episcopi Comitiis Regni inter Praelatos perinde assidentes, observato consecrationis susceptae ordine, una cum iisdem, in conclusione articulorum Dioetalium nominati legantur.

§. CCLXXXIII.

Oblig. spir. ob sustent.

Ex iis, qvae hactenus enumeravi, iura Clericorum, qvaecunqve utilia sunt, idcirco

a) Legitur hoc mandatum, inter Resolutiones iussu Excelsi Consilii typis editas, T. II. pag. 315.

sunt collata, ut hi sacro ministerio possint absqve impedimento, atqve debeant etiam fideliter deservire. (§. CCLXXV.) Qvapropter B. Gregorius M. expendens verba Christi asserentis, dignum esse operarium mercede sua, haec subiecit: *qvid nos o Pastores! qvi, et mercedem conseqvimur, et tamen operarii neqvaqvam sumus? Fructus qvippe S. Ecclesiae in stipendio qvotidiano percipimus, sed tamen pro aeterna Ecclesia minime in praedicatione laboramus. Pensemus, cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed qvid pro animabus laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, qvae pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio, vel praedicationis, ut dignum est, insudamus.* b) Bernardus vero Abbas Clarae-vallensis, ita exclamavit: *vae, vae tibi Clerice! mors in olla, mors in olla carnium, mors in eiusmodi deliciis, non modo, qvia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, qvia constat, po-*

pu-

b) Homil. XVII.

puli esse peccata, qvae comedis. Sumptus Ecclesiasticos gratis te habere reputas. Cantando, ut aiunt, Bona tibi provenire videntur. Sed bonum erit magis, fodere, aut etiam mendicare. c) Notissimum qvippe est iuris Ecclesiastici principium: *Beneficium dari propter officium;* d) qvod nimirum beneficiatus Ecclesiae praestat, et propter qvod revera dici potest *operarius, dignus mercede sua.*

§. CCLXXXIV.
Temp. erga indigentes.

Dictum praeterea vetus est: *res Ecclesiae, vota esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum.* e) Qvia scilicet offerentium praecipua fuit voluntas, illa Deo vovendi; et qvia res Ecclesiae datae sunt instar eleemosynae, pro redemtione peccatorum, iuxta id qvod apud Osee dixit Dominus de Sacerdotibus suis: *peccata populi mei comedent;* f) qvatenus comedunt, qvod populus pro expiatione peccatorum offert.

Et,

c) In declamat. in Evang. §. 16. d) Cap. ult. de rescript. in 6. e) Can. 59. caus. 16. qv. 1. f) Osee IV. 8.

Et, cum Deus sibi factum fuisse contestetur, qvod factum est ex minimis fratribus uni: g) idcirco res datae Ecclesiis, patrimonium pauperum, et adpellantur, et sunt. h) Non qvid fiat, verum qvid fieri voluerint antiqvissimi, et Sanctissimi Ecclesiae Patres, expendamus, qvicumqve in sortem Domini sumus vocati. Narrabat S. Iustinus, sub annum Christi 166. pro eiusdem Religione Martyr: *qvi copiosiores sunt, et volunt, pro arbitrio qvisqve suo, qvod visum est, contribuunt, et qvod ita colligitur, apud Praepositum deponitur: atqve ille inde opitulatur pupillis, et viduis, et his, qvi propter morbum, aut aliqvam aliam causam egent; qviqve in vinculis sunt, et peregre advenientibus hospitibus, et ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est.* i) Tertullianus Carthagine Presbyter, sub annum Christi 216. mortuus, Christianam consvetudinem sic narrabat: *Modicam unusqvisqve stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit,*

g) Matth. XXV. 35. seqq. h) Lege Espen Ius. Eccl. univ. parte II. sect. 4. tit. 1. cap. 3. num. 5. seqq. i) Apol. secunda.

sit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec qvasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis k) *dispensatur, sed egenis alendis humandisqve, et pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis, iamqve domesticis senibus, item naufragis, et si qvi in metallis, et si qvi in insulis, vel in custodiis, duntaxat ex causa Dei sectae alumni confessionis suae sunt.* l) S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, et Martyr Christi anno 258. illum, qvi paupertatis levandae causa, histrionem egerat, reprehendens, addebat: *qvodsi penuriam talis, et necessitatem paupertatis obtendit, potest inter ceteros, qvi alimento Ecclesiae sustinentur, huius qvoqve necessitas adiuvari.* m) Alias praecepit, viduis, aegrotis, peregrinis, et omnibus egentibus dari sumtus, de pecunia ipsius, apud Rogatianum Presbyterum relicta. n) Distabat

k) Vocis huius significatio ap. Macri in Hierolexico legitur, et significat *carnivorum.* l) Apologetici cap. 39. m) Epist. ad Euchratium pag. 23. edit. Tirnav. n) Epist. ad Clerum ibid. pag. 147.

bat ab eo Praesule, S. Hieronymus Presbyter, uno atqve dimidio saeculo, qvippe mortuus anno Christi 420. verum de proventu Ecclesiastico, id ipsum sensit. Aiebat enim: *Gloria Episcopi est, pauperum inopiae providere. Ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis. - - Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi, et pauperis, et qvi cibo qvoqve vescebatur alieno, lictores Consulum, et milites excubare, iudicemqve provinciae melius apud te prandere, qvam in palatio. Qvodsi obtenderis, te facere haec, ut roges pro miseris, atqve subiectis: Iudex saeculi plus deferet Clerico continenti, qvam diviti, et magis sanctitatem tuam venerabitur, qvam opes; aut si talis est, qvi non audiat Clericos proqvibuslibet tribulatis, nisi inter phyalas: libenter carebo huiuscemodi beneficio, et Christum rogabo pro iudice, qvi magis et citius subvenire potest, qvam iudex.* o) Sed haec forsitan pro aetatis duntaxat ingenio, atqve rigore, tam

o) In epist. ad Nepotianum edit. Tirnav. lib. 2. pag. 158. et ap. Gratianum can. 71. caus. 12. qv. 2.

tam rigida? Igitur transcurramus ad laxiorem multo aetatem, qva vivebat S. Bernardus, anno post Christum natum 1153. mortuus; qvi tamen ad Fulconem nomine, antehac Regularem, nunc vero saecularem Canonicum, cetera inter, haec scripsit: *qvia surgis ad vigilias, vadis ad Missam, horis chorum nocturnis diurnisqve freqventas, bene facis. Sic Ecclesiae praebendam gratis non accipis. Dignum est, ut, qvi altario deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut, si bene deservis, de altario vivas; non autem, ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi froena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaqve pellicea, a collo, et manibus ornatu purpureo diversificata. Deniqve qvicqvid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum, de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* p) Addere liceat S. Thomam de Aqvino Doctorem Ecclesiae, mortuum anno 1274. qvi causam reddebat, cur tanta Bona Clericis data essent. *In nova* inqvit, *lege, decimae dantur Clericis, non* so-

p) Epist. ad Fulconem.

solum propter sui sustentationem, sed etiam, ut ex iis subveniant pauperibus; et ideo non superfluunt, sed ad hoc necessaria sunt, et possessiones Ecclesiae, et oblationes, et primitiae simul cum decimis. q)

§. CCLXXXV.

De lege Eccl.

Qvodsi in eam delabaris cogitationem: dixisse nimium sanctos licet viros; tales qvippe ut essemus cuncti, voluisse, qvales et ipsi erant: leges proferam Ecclesiae, qvibus obstrepere non licebit. Apostolicos qvidem, uti vocantur, adducenti Canones, vereor, ne qvis litem moveat, propter alibi dicta; (§. XCIV.) verum testantur saltem illi perpetuum Ecclesiae spiritum, et qvicumqve ex his adoptati sunt a Gratiano, per illum, suam conseqvuti fuerunt autoritatem. (§. XCVIII.) Inter hos igitur trigesimus septimus, iuxta alios octavus, inqvit: *omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, et eas dispensato, qvasi inspectante Deo. Non licitum autem ei esto, qvippiam ex iis sibi tanqvam*

q) In 2. secundae qv. 87. art. 3. ad 1.

qvam proprium assumere, aut cognatis suis elargiri, qvae Deo dedicata sunt. Qvodsi pauperes illi sint, ut pauperibus subministrato: non tamen horum praetextu, res Ecclesiae venundato. Canon 40. sive 41. a Gratiano adductus, inqvit: *praecipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiae res habeat. Si enim animae hominum pretiosiores illi sunt creditae, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita, ut potestate eius, indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, et Diaconos, et cum Dei timore- et omni sollicitudine ministrentur.* r) Praeter haec, Simplicius Pontifex anno Christi 475. scribebat qvibusdam Episcopis: *de reditibus Ecclesiae, vel oblatione fidelium, qvid deceat, nescienti nihil licere permittat: sed sola Episcopo ex his una portio remittatur; duae Ecclesiasticis fabricis, et erogationi peregrinorum, et pauperum profuturae, a Bonagro Presbytero, sub periculo sui ordinis ministrentur; ultima inter se Clericis, pro singulorum meritis dividatur.* s) Similia scripsit

r) Caus. XII. qv. 1. can. 24. s) Causa XII. qv. 2. can. 28.

psit Gelasius Pontifex anno 494. t) Nostras qvoqve Synodus, a Laurentio Strigoniensi Archiepiscopo, ad ann. Christi 1114. celebrata, hoc pacto decernebat: *Episcopus si tres partes de acqvisitis, ad utilitatem Ecclesiae fideliter intulisse videatur, licet ei agere de qvarta, qvod voluerit.* u) Concilium Lateranense III. anno 1179. celebratum, anathemate ferit laicos, qvi onera sua fere universa imponunt Ecclesiis, et qvaelibet sibi arbitrantur agenda, *de Bonis Ecclesiarum, et pauperum Christi usibus deputatis.* v) Qvapropter Concilium Tridentinum praecipiebat Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiae consangvineos familiaresqve suos augere studeant, cum et Apostolorum (ita illi) Canones prohibeant, *ne res Ecclesiasticas, qvae Dei sunt, consangvineis donent, sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus distribuant; eas autem non di-*

t) Ibid. can. 26. et 27. u) Cap. 12. ap. Péterffy T. I. Conc. Hung. pag. 56. Ap. Pray in diatribe ad dissert. de S. Ladislao p. 214. ap. Koller in hist. Epp. Qvinqv. T. I. pag. 383. v) Can. 19. qvi legitur in Decretalib. Greg. IX. cap. 4. de immun. Ecclesiarum etc.

distrahant, nec dissipent illorum causa; imo qvam maxime potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propingvosqve carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Qvibus ita graviter expositis, illico haec subiiciebat: *qvae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in qvisuscunqve Beneficia ecclesiastica, tam saecularia, qvam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed et ad S. R. Ecclesiae Cardinales pertinere debere.* w)

§. CCLXXXVI.
E superfluis.

Sed qvoniam Clerici Ius habent vivendi de altari, cui serviunt: (§. CCLXXV.) obligatio illa, pauperibus succurrendi ex fructibus Beneficii Ecclesiastici, restringitur ad superfluos proventus, qvi nimirum a congrua Clerici beneficium tenentis sustentatione reliqvi sunt, eius spectata conditione, ac dignitate. Qvantum sit porro, qvod ad congru-

am

w) Trid. sess. XXV. decr. de ref. cap. 1.

am sustentationem cuiqve sufficiat, qvi definierit, magnus mihi erit Apollo. Adiuncta temporum, atqve locorum, perpetuis mutationibus obnoxia; mos patrius vivendi; et praxis piorum, atqve timoratorum, consuli debent. In ista regione, qvam nos incolimus, cum de lege municipali, Nobilium iuribus fruatur Clericus, (§. CCLXXXI.) et in civili consortio, veluti unus e nobilioribns honoretur: qvicumqve Ecclesiastico fruitur Beneficio, ceu vir nobilis decore, et observata, qvam lex Tridentina praecepit, frugalitate, x) in seipsum, ac sibi necessarios, qvibus videlicet aegre nonnisi careret, Beneficii Ecclesiastici proventus impendere salva conscientia potest; proqve casibus fortuitis, non qvidem imaginariis, qvi forsitan evenire possent, verum pro illis, qvi evenire solent, nummos in arca repositos habere.

§. CCLXXXVII.

Ob sacr. munus obtentis.

At vero statuunt qvidam, non modo illa Clericorum Bona eximi ab onere distributionis,

x) Sess. XXV. decr. de reform. cap. 1.

nis, qvae ipsi titulo *mere civili* tenent, *y*) verum *industrialia* qvoqve, transeunter scilicet obtenta, per munus aliqvod sacrum, veluti per Missae celebrationem, dictionem sacram, et qvaecumqve hisce similia occurrunt. His addunt *parsimonialia*, qvae frugalius vivendo Clericus, de sustentatione congrua subtraxit. Verum, si legum Ecclesiasticarum apices, spiritumqve expendas, ne ista qvidem a facienda in egenos distributione, videntur exemta esse. Nam, si Clericus abstulit ea, qvae sibi necessaria fuerant, iam reliqva portio, sua non est, sed pauperum, et Ecclesiae; cuius mens fuit semper haec, non ut redundaret Clericus, sed ut ne egeret, et egens a ministerio sacro, ad profanum abstraheretur. Arguebat sane Gregorius Magnus Ecclesiarum Antistites, qvi acqvisita post veteres redditus Ecclesiae, velut *industrialia*, communi distributioni haud subiecerunt. *z*) Et vero, eodem fine dantur ea, qvae transeuntis ministerii causa praestantur,

qvo

y) Can. 2. caus. 12. qv. 3. Item can. 4. caus. ead. qv. 5. Praeterea cap. 9. de testam. z) Ap. Grat. can. 29. caus. 12. qv. 2.

qvo dati sunt Beneficii fructus *grossi*: nam dono praecise dati non fuerunt; sed neqve ut laboris merces, qvod simoniacum esset. Sicut igitur fructus grossi subiacent distributioni, ita hi qvoqve *manuales*; praesertim, qvod primis illis, beatissimisqve Ecclesiae Christianae temporibus, Beneficia Clericorum, plerumqve fuerint manualia, singulis allata diebus, qvorum tamen distributionem fieri opvrtebat. (§. CCLXXXIV.) Nulla qvoqve autoritas eximit Clericum ab onere distribuendi pauperibus, ex illis Beneficii fructibus, qvos parsimonia fuit lucratus. Nam si ex illis tantopere subtraxit, ut in sui Status confusionem, vixerit etiam indecore, haud aeqvum est, ut ex delicto referat fructum, et fraus illi, dolusqve patrocinetur; qvod si vero prudenter subtraxit, ut nihilominus vixerit decore, qvaecumqve supersunt, iam redundant, pauperibusqve cedunt. Hanc ipsam ob rem, et qvod praeterea M nistrorum Ecclesiae sustentatio, non velut merces laboris, sed tamqvam necessarium vitae medium instituta sit, (§. CCLXXVI.) probi qvidam, doctiqve viri hinc arguunt, Clericum

cum domi divitem, non posse Beneficii Ecclesiastici fructus consumere, ut ceteris parcat: sed cum domestici fructus ad congruam vitae sustentationem omnimode sufficiunt, Beneficiales pie impedendos esse. Haec si delicatis nimium auribus molesta sunt, audiant Augustinum docentem, Ecclesiae Bona, et pauperum esse, et Episcoporum, dum hi qvoqve indigent; sin vero, procurationem solam habere illos Ecclesiae proventuum, pauperum, et indigentium causa. a) Habet qvidem opposita sententia patronos. Sed cum agitur de alieno reddendo, qvod tutius est, nos seqvi oportet; falluntqve animam suam, qvi cum in saeculo Bonis abundent, Clerici fiunt hoc solummodo fine, ut obtenturi pingve Beneficium Ecclesiae, iam e duobus coniunctis, eo lautius splendidiusqve epulentur, atqve in curribus, et eqvis, non autem in nomine Iesu Christi ambulantes, panem eius devorent otiosi. b)

a) Ap. eund. can. 3. caus. 23. qv. 7. b) Espen Iuris Eccl. parte II. sect. 4. tit. 1. cap. 5.

§. CCLXXXVIII.
Non sunt eor. Domini.

Eorum fructuum, qvi sunt Clerico Beneficiato, a necessitate superflui, ac resultantes, eumdem non esse dominum, sua iam sponte videtur seqvi. *Dominium* qvippe est, ius diponendi de re qvapiam veluti sua, proprio videlicet nomine, ac arbitratu. At vero de iis, qvae Beneficiato, e Bonis Ecclesiasticis redundant, pro arbitratu disponere, haud esse liberum, leges Ecclesiae asseverant. Expendatur in Decretalibus ipsa Tituli inscriptio: *de peculio Clericorum*, qvae meam confirmare videtur assertionem. Enimvero in Iure Civili, illud nomine peculii intelligitur, *qvod servus domini permissu, a rationibus separatum habet;* c) qvodqve *suis cum fructibus post obitum servi ad dominum redit.* d) Recte vero hoc vocabulum ad Ecclesiam fuit translatum, eo, qvod Clericus transeat in peculiarem Ecclesiae potestatem,

(§.

c) Lib. XV. ff. seu pandectarum cap. 4. pag. 419. edit. Francof. ad Moenum 1663. qva utor. d) Institut. Iustiniani lib. II. tit. 9. §. 3. pag. 48. cit. edit.

(§. CCLXXIV.) atqve partem duntaxat conseqvatur Beneficii curae suae commissi; qvod isthic demonstrare, superfluum esset; sed neqve dispositionem eius, mortis causa faciendam, prorsus liberam esse, lex publica Ecclesiae clamet. e) Et vero, per sacros Canones absolutum Clero dominium in Ecclesiastica Bona, haud permitti, usqve adeo non dubitarunt in Synodo Tridentina congregati Praesules, ut sess. XXV. decr. de reform. cap. 1. interdicentes Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiae consangvineos, familiaresqve suos augere studeant; simul addiderint: *Episcopos proventuum Ecclesiasticorum dispensatores tantum esse.* Qvamvis autem ad Petri Guerreri Granatensis Archiepiscopi, et qvorumdam praeterea cohortationem, postrema haec pericope fuerit omissa propter Scholasticos, qvorum non pauci oppositum defensabant: f) spiritus tamen Patrum, sensusqve verborum e contextu decreti

e) Can. 1. caus. 12. qv. 3. Item cap. 1. et seq. de pecul. Clericor. f) Vide Pallavicini Hist. Concilii Trident. Libro XXIV. cap. 3. num. 4.

erasorum, lucet in verbis praecedentibus, qvae fuerunt in salvo relicta. g)

§. CCLXXXIX.
Testari de his non licebat.

Si ultima haec propositio firma stat, demtis, qvae Clerici alio possident titulo, qvam intuitu Ecclesiae, de ceteris in fines mere profanos condere testamentum videntur neutiqvam posse. Nam praecisis ambagibus testamentum est ultima voluntas, directam continens institutionem haeredis, seu illius, qvi in ius defuncti succedit. h) Non est autem Clericus superfluorum Dominus, qvae ex primaeva institutione, haereditas pauperum sunt, etiamnum vivente illorum dispensatore; ut post huius proinde mortem, alius haeres institui neutiqvam possit. Haec usqve adeo fuerant indubia vetustis temporibus, ut ne potuerit qvidem condere Clericus testamentum, de Bonis intuitu Ecclesiae possessis,

g) Lege Bened. XIV. de Syn. D. Lib. VII. cap. 2. num. 14. et ult. h) Desumta est definitio ex lib. 50. ff. seu Digestorum tit. 17. de diversis regulis iuris, regula 59.

sis, qvamqvam in sanctissimos ea fines adplicare vellet. i) Ita scilicet bona mater Ecclesiae, volebat alienare Clericorum corda ab accumulandis opibus, excitareqve ad res suas in vita, pios in usus convertendas.

§. CCXC.
Alia sensim praxis.

Discedi a pristino rigore sensim coepit, postqvam Alexander III. Pontifex annuit, ut a Clerico de bonis mobilibus Ecclesiasticis, pauperibus, et religiosis locis, et aliis, qvi viventi servierant, sive sint consangvinei, sive alii, aliqva iuxta servitii meritum conferantur. k) Qvamvis enim idem Pontifex, non multo post tempore mentem suam aperte declarasset: *qvod Clerici de mobilibus, qvae per Ecclesiam sunt adepti, de iure testari non possunt: viventes tamen, et sui compotes, moderate valent aliqva de bonis ipsis non ratione testamenti, sed eleemosynae intuitu, erogare in aegritudine constituti;* l) haec

i) Grat. Can. 19. et duob. seqq. caus. 12. qv. 1. Item cap. 1. 7. 9. 12. de testam. et ult. volunt.
k) Cap. 12. de testam. l) Cap. 8. eod. tit.

haec tamen declaratio Pontificis, ad dispositiones de rebus Beneficariis tam mobilibus, qvam immobilibus, etiam mortis causa faciendis, extensa fuit; m) qvamqvam non sine omnimoda contradictione. Cum enim Rogerius Spalatensis Archiepiscopus anno 1266. defunctus, testamento reliqvisset nepotibus, et servientibus, argentum, libros, ac vestes; duo autem vascula argentea, et duos annulos aureos Ecclesiae ob memoriam sui; Capitulo scyphum unum argenteum deauratum, et qvosdam lebetes de metallo, nonnullamqve pecuniam pro anima sua; iussisset deniqve fruges, vinum, eqvos, et reliqva qvae remanserant, vendi, et debita qvaedam sua expungi: prohibebat id fieri Archidiaconus, eo qvod Praelatus de iure testamentum condere neqveat, *nisi de rebus duntaxat non ratione Ecclesiae acqvisitis.* n)

§. CCXCI.

m) Vide Espen iuris Eccl. univ. parte II. sectione 4. cap. 7. num 18. n) Thomas Archidiac. Spalaten. Hist. Salonitanae cap. 57. et ex illo Katbona hist. crit. Reg, Hung. tom. VI. pag. 458.

§. CCXCI.
In Eccl. Hung.

Invaluit nihilominus in Ecclesia qvoqve Hungarica mos testandi de bonis, intuitu Ecclesiae obtentis. Qvem stare supponebat Ladislaus IV. Rex Hungariae, cum anno 1274. Parochos provinciae Scepusiensis contra violentiam Comitis de Scepus autoritate Regia tuitus, iisdem dato diplomate concedebat, *ut qvilibet Plebanorum testandi, seu legandi liberam habeat facultatem, et huiusmodi testamenta, seu legata, secundum testantis voluntatem, et testamenti ordinem, finem, et effectum debitum sortiantur.* o) Morem qvoqve

o) Ap. Wagner analect. Scepus parte 1. pag. 262. Esse autem hic sermonem de Bonis titulo Beneficii Ecclesiastici obtentis, docet expositio qverimoniae: „Qvod Comes de Scepus pro tempore constitutus, in perniciem Ecclesiasticae libertatis, ipsis „Plebanis, volentibus in ultimo suo voluntatis Eulogio, de sibi propriis bonis, suis laboribus, et „Ecclesiasticis beneficiis acqvisitis condere testamentum, vel aliqvibus personis sibi famulantibus, vel propingvis, aut Ecclesiis intuitu pietatis, religionis, vel cognationis amore aliqva relinqvere, vel legare, sicut iuris, et moris est Ec-

qve condendi per Ecclesiasticos de rebus Beneficialibus testamenti, supponebat Thomas Archiepiscopus Strigoniensis, cum anno 1312. inter immunitates Parochorum terrae Scepusiensis, in Districtu de Tharcza degentium, hanc qvoqve salvam esse voluit, *ne bona decedentium Sacerdotum per laicales manus, seu potentias saeculares, contra ultimam voluntatem eorum distrahantur.* Qvod postea Boleslaus perinde Strigoniensis Archiepiscopus anno 1322. confirmabat. p) Chanadinus qvoqve de Thelegd aeqve Strigoniensis Archipraesul, restaurans anno 1337. Capitulum S. Georgii Martyris de Strigonio, concedebat, ut Canonicus Ecclesiae huius domum Canonicalem ab se emptam vel constructam, *virtute testamenti ab se condendi, cui maluerit, donandi, vel legandi liberam habeat facultatem;* et anno 1478. Sixtus IV. Pontifex, consvetudinem testandi in Capitulo Strigoniensi receptam, confirmabat. q) Tum an-

„clesiasticae libertatis - - huiusmodi testamenta, „vel legata post testantis obitum procedere non „permittit.“ p) Cit. op. pag. 311. q) De Cap. Collegiato, vide Schmitth in Epp. Agr. T. I. pag.

anno 1500. Rex Uladislaus, cum protegebat Capituli Zagrabiensis illud privilegium, ut Canonicorum sine testamento ex hac vita decedentium substantia tres in partes dividatur, unaqve cedat Ecclesiae, altera pauperibus, tertia vero consangvineis defuncti, ac servientibus: r) proculdubio morem condendi testamenti supponebat. Etvero in promtu mihi sunt exempla testamentorum ab Ecclesiasticis nostratibus inde ab initio saeculi XIV. ad annum usqve Christi 1560. conditorum. s)

Qvo

276. De Capitulo Metrop. Strig. vide Koller hist. Episcopatus Qvinqv. T. IV. p. 177. r) Ap. Kercselich in hist. Cath. Eccl. Zagrab. pag. 204. s) An. 1301. Kiliani Canonici Albae Transilv. ap. Szeredai in hist. Epp. Transilv. p. 57. — An. 1426. Blasii Can. Strig. in Epp. Agr. T. I. pag. 369. — An. 1433. Ioannis de Alben Episc. Zagrab. ap. Koller in Epp. Qvinqveeccl. T. III. p. 347. — An. 1452. Ioannis Stock Praepositi Scepus. Capituli ap. Wagner analect. scep. parte 3. pag. 63. — An. 1489. Casparis Back Praep. Scepus. ap. Wagner cit. op. et parte, pag. 71. — An. 1496. Georgii Lewdeschit Cantoris et Can. Scepus. eod. op. parte 1. pag. 353. — An. 1522. Christophori de Zemenchen Lectoris, et Can. Scep. cit. nunc op. et parte, pag. 375. — An. 1539. Georgii

Qvo anno Nicolaus Olahus Strigoniensis Archimysta in Synodo ita decrevit; *Clerici, si testamentum condere voluerint, de iis duntaxat, qvae ex patrimonio, aut consangvineorum, atqve amicorum liberalitate possident, testari, et disponere possint: de illis qvoqve rebus, qvae aliunde intuitu personae, illis forte obvenerunt, aut qvas honesta ratione, ac via optima acqvisiverunt, cuicunqve relinqvere voluerint, libera eis facultas, a sacris Canonibus impenditur; secus autem de iis, qvae intuitu Ecclesiae adepti sunt. Nam si etiam ea legaverint, nullum firmitatis robur obtinebunt: sed illius Ecclesiae erunt, cui praefuerunt, aut in qvo Beneficium habuerunt; aliena enim nemo debet, neqve potest alicui legare. Verumtamen cum iustitia, et ae-*

de Palocz Archiep. Strig. ap. Wagner cit. opere parte 3 pag. 45. — An. 1542. Iacobi Fritsch Parochi in Scepus. ap. Wagner cit. op. parte 2. pag. 230. — An. 1543. Francisci de Frangepanibus Archiep. Coloc. ap. Pray in specim. Hier. H. parte 2. pag. 79. — An. 1560. Blasii de Pétervárad Episc. Vac. et Praepositi Scepus. ap. Wagner cit. op. parte 1. pag. 381.

aeqvitas neqve humanis legibus, neqve sacris canonibus contravenire dignoscatur, qvamvis Clerici de mobilibus, qvae intuitu Ecclesiae sunt adepti, de iure testari non possunt, viventes tamen, et sui compotes, aliqva de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed intuitu eleemosynae, moderate erogare in aegritudine constituti, valent. Et licet Clerici mobilia per Ecclesiam acqvisita, de iure in alios, pro morientis arbitrio transferre non possint, consvetudinis tamen non est improbandae, ut pauperibus, et religiosis locis, et illis, qvi viventi servierant, sive consangvinei sint, sive alii, iuxta servitii meritum, aliqva de his rebus conferantur. Ceterum, ut superius dictum est, qvae ex haereditate, aut artificio, aut servitio, aut doctrina proveniunt, distribuantur pro arbitrio decedentis. t) Haec scilicet ipsis partem maximam vetusti iuris apicibus expressa fuerunt. u) At vero, si consvetudinem ad illud usqve tempus a viris doctis probisqve observatam expendas, rigide nimis. Enimvero,

t) Cap. 35. §. 2. ap. Péterffy Conc. H. T. II. pag. 126. u) Citantur ibid. ad calcem paginae cap. 5. 7. 8. 9. et 12. tit. de testam.

ro, si unum fortassis odiosum *Testamenti* vocabulum fuisset ablatum, qvod plenum rei testamento relictae dominium in disponente supponit, non erit improbanda consvetudo, ut res in causas pias ab obitu Beneficiati per alios distribuendas, ipsemet, qvi earum gerebat curam, disponeret; utpote habens prae qvovis alio perspectas necessitates Ecclesiarum materialium curae suae creditarum, uti, et pauperum, miserabiliumqve personarum, intra ambitum Ecclesiae suae degentium; ac forrsitan etiam propingvorum suorum, qvi secundum naturae ordinem, ceteris egentibus sunt anteponendi, non ut abundent qvidem, sed ne cogantur egere. Meam hanc sententiam firmare videtur Synodus Weszprimiensis, anno 1515. celebrata, qvae sic multo lenius decernebat: *Sacerdotes Clerici condentes testamentum, disponere non possunt de Bonis intuitu Beneficii acqvisitis, absqve licentia superioris Beneficiati, et in Ecclesia, et Dioecesi Wesprimiensi, prout iura volunt.* v) Tum Synodus nationalis a Petro Pázmány anno 1630.

ce-

v) Ap. Péterff. T. 1. pag. 252.

celebrata, qvae hoc modo praecipiebat: *qvi Ecclesiasticorum ex consvetudine, et usu antiqvo testari in Ungaria consveverunt, eorum testamenta Ordinario ad confirmandum offerantur. Ordinarius autem ea confirmet, nisi legibus contraria, aut manifeste sint inofficiosa. - - Opulentiores Canonici semper aliqvid, pro sua qvisqve pietate, ac devotione, post decessum Seminario relinqvant.* w) Qvare post rigidam qvoqve declarationem Olahi, conditae ab Ecclesiasticis viris tabulae testamentariae super beneficiali proventu, supersunt, x) usqve ad desideratissimi Praesulis mei

w) Ap. eund. T. II. pag. 311. x) Anno 1584. Ioannis Monoszlói Episc. Zagrab. ap. Kercselich cit. op. pag. 259. — An. 1660. Benedicti Kisdi Ep. Agriensis ap. Schmitth cit. op. T. III. pag. 266. — An. 1675. Leonardi Szegedi perinde Agriensis, ap. Schmitth cit. op. et tomo, pag. 289. — Georgii Bársony Episcopi aeqve Agr. an. 1678. apud Schmitth cit. op. et tomo, pag. 303. et ap. Wagner anal. Scep. parte III. pag. 118. — An. 1685. Petri Korompai aeqve Episcopi Agr. ap. Schmitth T. cit. pag. 319. — Anno 1723. 24. Martii, Ignatii Koller de Nagy-Mánya Episcopi Wefzpr. cu-

mei Iosephi Bajzáth de Peszak, Episcopi Weszprimiensis Testamentum, die 30. Ianuarii, anno 1798. conditum; cui anno 1801. die 17. aprilis codicillum adiunxit.

§. CCXCII.
Principia eius domest.

Qvod in Ecclesia-Hungarica generalibus Ecclesiae legibus, qvae Beneficiatis testamenta prohibent, minime stetur, fundamentum est, privilegium Nobilitare, qvod Clerus noster participat; (§. CCLXXXI.) cuius proinde favore, de bonis per se acqvisitis, liberam habet disponendi facultatem. y) Nisi qvispiam reponat: aliam esse rerum Ecclesiasticarum naturam; (§. CCLXXXV.) atqve istud innuisse Ferdinandum II. Imp. Regemqve Hungariae, dum anno 1625. decernens, qvaliternam Praelati nostrates de una parte rerum mobilium disponere debeant, mox addidit: de alia huiusmodi mobilium parte, licere Praelatis *iuxta Sacrorum Canonum prae-*

ius et funeri interfui, et Testamenti eius apographon possideo. y) Trip. parte I. tit. 5. et 43.

praescripta testari. z) Leges Regni, puta articulus 10. anni 1557. a) et articulus 102. anni 1647. b) Clericos Beneficiatos, de rebus suis plenam testandi habere libertatem, omnimode supponebant. Verum reponet nonnemo: hoc modo, novum testandi ius minime conferebant, sed removebant duntaxat iniuriosa testamentorum exeqvutioni dandorum, impedimenta. Ut non defuerint proinde, qvi receptum nobis testandi morem, nuperis diebus, palam, aperteqve improbarint;

z) Ap. Péterffy Conc. Hung. T. II. pag. 434. et ap. Pray in specim. Hierarch. Hung. parte I. p. 185.

a) Cetera inter habet: „Plebanis etiam, et aliis „Eccl. personis cuiuscunqve status, libertas sua „in omnibus observetur: ac inter alia, ne post „mortem illorum pro se occupent, vel accipiant „patroni res, et bona illorum, sive testati, sive „intestati decesserint; sed neqve etiam Praelati, „fratribus superstitibus eorum, qvi decesserint, „bona huiusmodi pro se occupent." b) Decernitur ibi alia inter, ut Georgius Draskovich Episcopus Iaurin. in bonis acqvisititiis Canonicorum ab intestato decedentium, nullam dispositionem habeat, - - neqve testamenta ipsorum mutet etc.

rint; c) qvamvis defensantem nos habeamus patriam legem: qvae non adprobat omnia, qvamqvam illa gravibus de causis debeat tolerare. Imo neqve id totum, qvod de testamentis in Ecclesiastico iure statutum legitur, suo relinqvit loco. d) Neqve illa praeceptio canonica valet hic gentium, qvae ratum habet testamentum absqve restrictione, qvod coram loci Parocho, duobusqve praeterea testibus conditum fuit. e) Enimvero die 27. mensis Maii anno 1774. speciali mandato fuerat per Apostolicam Reginam M. Theresiam Clero Hungariae denunciatum: Parochis, et Beneficiatis medio testamenti de rebus suis disponendi libertatem illimitatam manere; atvero Clericum seu saecularem, seu regularem,

c) Pauli Ios. a Riegger Institut. Iurisprud. Eccl. parte 3. §. 399. edit. Vienn. anni 1780, Item Ios. Ioann. Nep. Pehem Praelect. in Ius Eccl. Univ. parte II. §. 367. d) Tenendus est ap. nos art. 27. 1715. Item art. 24. 1729. Statuens, ut, si extra regnum Hung. conderetur testam. valeat, dummodo factum fuerit iuxta solemnit. ibi consvetas, desuperqve testimonium abinde praestetur. e) Cap. 10. de testam.

rem, qvoties idem, aut eius Ecclesia, vel domus religiosa pro legatario instituitur, ad confectionem, vel authenticationem Testamenti, sub nullitate actus adhiberi neutiqvam posse, cum is praemisso in casu, velut interessatus, testem in propria causa, agere legaliter minime possit. f)

§. CCXCIII.

Qvid cum subst. ab intest. relicta?

Qvid agendum sit cum substantia Clerici, qvi sine testamento decessit; leges patriae non decernunt. Qvaliter vero illa secundum Ecclesiasticae legis spiritum distribuenda sit, vetus privilegium ab Uladislao Rege datum Capitulo Zagrabiensi, (§. CCXC.) satis docet; uti etiam constitutio Synodi nationalis anno 1630. Tirnaviae celebratae; qvae posteaqvam de testamentis Cleri decrevisset, (§. CCXCI.) illico adiecit, ut de rebus eorum, qvi intestati decedunt, qvidqvid exolutis debitis, famulorum servitiis, et

f) Legitur inter intimata typis Vacien. edita pag. 279. Item in collect. B. norm. Resolut. edit. Pestanae T. I. pag. 56.

et honesta sepultura superfuerit, habita etiam condigna ratione maxime egentium consangvineorum, reliqvum ordinarius cum Capitulo in pios usus, alumnorum praesertim intertentionem convertat. Verum ab illa inde aetate, novis, iisqve Regiis praeceptionibus est obseqvendum; qvae tam id decernunt, per qvos tractanda sit absqve testamento mortui Clerici substantia: qvam et illud, qvos inter dividenda. Iuxta Resolutionem videlicet Regiam, die 13. Febr. anno 1776. alteram vero die 15. Iulii anno 1779. editam, cum aliqvis Ecclesiasticorum intestatus decesserit, mors eiusdem proximo Regio fiscali Procuratori, vel salis, aut tricesimae Officio insinuanda est; inventariumqve rerum, per Dioecesanum hominem, in praesentia Comitatensis, et Cameralis (si hic ad manum haberi commode possit) conficiendum. Iuxta Resolutionem die 27. Maii, anno 1774. editam, substantia ab intestato decedentis, in tres est dividenda partes, qvarum una Ecclesiae, altera pauperibus, tertia propingvis consangvineis, et si hi pauperes essent, secunda qvoqve tertialitas iisdem cedat. Non exstantibus

tibus autem cognatis, qvi ab intestato succederent, tertia pars remanentis substantiae, iuxta dispositionem articuli vigesimi sexti anno 1715. conditi, fisco Regio addicenda erit. Nata qvaestione, die 26. Martii, anno 1776. declaratum est, qvod successio cognatorum collateralium, usqve ad decimum agnationis, et cognationis gradum inclusive extendatur; alii autem remotioris gradus collaterales, a talismodi successione simpliciter sint excludendi. Anno 1796. die 26. mensis Iulii Regis Apostolici nomine declaratum est, aliam Benignam resolutionem, die 21. Februarii anno 1792. datam, qvae de Religiosorum ceteroqvin testamenti condendi incapacium, sed in cura animarum ex hac vita decedentium substantia, sic disposuerat, ut pars eius cederet Ecclesiae, in qva serviverat, pars cognatis, pars deniqve pauperibus, omnimode revocari: decretumqve, ut talium substantia, concernenti Religioso Ordini, supputatis praevie e caduca substantia omnibus oneribns, per decedentem Religiosum post se relictis, attribuatur eiusdem substantia ab omni passivo decedentis statu depurata, subinde per

Dioecesanum Episcopum, concernenti Provinciali Religiosi Ordinis resignetur, qvi pro exigente necessitate unius, aut alterius Conventus sui Ordinis, in emolumentum Instituti, substantiam eiusmodi applicabit.

§. CCXCIV.
Comm. pietas in Patriam.

Postqvam singulae Clericorum classi, propria asserui iura, suasqve recensui obligationes, ut iam generales etiam, totiqve Clero nostrati communes obligationes referam, ipse rectus ordo a me poscere videtur. Prima itaqve memoretur pietas, qvam dulci Patriae debemus. In qva dum Clerici perinde sunt cives, Bonaqve illorum, ac Iura Ecclesiastice atqve civilia, sub eiusdem protectione (§. CLXXI. seq.) non obstantibus qvibuslibet immunitatibus, atqve praerogativis, alioqvin maximam partem, a Suprema potestate civili obtentis, (§. CCLXXXI.) ut in evidentibus, publicisqve necessitatibus, eidem Patriae succurratur, est necesse; cum praeter id etiam, propter intimum utriusqve Reipublicae nexum, (§. CLXIX.) damna unius, in alte-

ram

ram non possint non redundare. Qvapropter Synodus III. Lateranensis, tametsi nimias exactiones ab Ecclesiis, et Ecclesiasticis fieri vetuerit sub anathematis poena: succurri tamen voluit Reipublicae, dum Episcopus, et Clerus ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existimabunt conferenda. g) Idem repetebat Concilium Lateranense qvartum; addebat nihilominus, ut Romanus Pontifex prius consulatur. h) Ultro iam progressus Bonifacius VIII. non modo renovabat hoc Lateranense decretum, sed spontaneam qvoqve oblationem, absqve scitu sedis Apostolicae, Clero vetuit faciendam, sub anathematis poena. i) Sed poenam hanc revocavit successor Benedictus XI. k) Clemens vero qvintus, Bonifacii constitutionem penitus abolevit. l) Firmam stare nihilominus, Lateranensis qvartae Synodi constitutionem Hungaria, aetate paulo ve-

g) Cap. 4. de immunit. Eccles. h) Cap. 7. eod. tit. i) Cap. 3. de immunit. Eccl. in 6. k) Cap. unico eod. tit. extrav. comm. l) Cap. un. eod. tit. in Clem.

vetustiore, neutiqvam dubitabat. Cum enim in Bachiensibus Regni Comitiis anno 1518. constitutum esset, ut beneficiatus qvisqve Clericus, pro recuperatione castrorum finitimorum, proventus annui partem decimam offerat Regi Ludovico, m) idqve Rex denuo literis urgeret: n) ad Papam recursum est per Status Regni, obtentumqve anno seqvente a Leone X. Breve Apostolicum, qvo Clerici omnes, alias ad statuenda Banderia non obligati, partem annui proventus in Comitiis postulatam, sub excommunicationis poena contribuere iussi fuerunt. o) Rursum anno 1526. cum Turca immineret Hungariae, Rex idem thesauros Ecclesiarum, bona Clementis VII. Papae venia, colligi iussit. p)

In

m) Non exstat in codice Iuris Hung. sed legitur apud solertissimum Kövacsicsium in vestigiis Comitior. ap. Hung. p. 487. n) Auctor chronici Scepusiensis apud Wagnerum in analect. Scepus. parte II. pag. 192. o) Legitur Breve Apost. ap. eund. Wagnerum cit. op. et parte, pag. 198. et in meis amoenit. Hist. Eccl. Hung. fasciculo IV. num. II. §. 5. p) Ex Literis Ludovici, qvae leguntur ap. Pray in diss. de S. Dextera D. Stephani pag. 54. et in cit. meo opere §. 6.

In Comitiis anni 1537. Praelati partem decimam decimarum; Plebani vero, Capellarum, et Altarium Rectores, per tres florenos contribuere sunt iussi; q) Rex tamen Ferdinandus I: id qvod lege praescriptum erat, Apostolica ad hoc obtenta prius licentia, colligi praecepit. r) Carolus qvoqve VI. obtenta anno 1716. Clementis XI. venia, ad sarciendam aerarii penuriam, ab Ecclesiasticis decimam proventuum partem exegit; s) et qvam ex Piseto fecerat oblationem Archiepiscopus Pazmannus, pro Nobilium iuvenum contubernio Tirnaviae instituendo, hanc a Pontifice ratihabendam esse, putatum fuit. t) Unde reverentia Hungarorum erga leges Ecclesiae, Romanumqve Pontificem; Cleri autem ad succurrendum publicae necessitati, utilitative tam promtitudo, qvam, et agnita obligatio resultat. Ceterum stabilito principio, qvod

q) Art. 15. et 17. Comitior. eius anni. r) Ex literis Pauli de Wárda A. Ep. Strig. ap. Wagner cit. op. et parte, pag. 219. Item in citato meo op. et diss. §. 7. s) Timon in chronologica epitome rer. Hung. ad hunc. ann. t) Lege art. 43. 1741.

qvod alibi fixum a nobis est, (§. CLXVIII.) Ecclesiastici viri, sub Sacra Regni Hungariae Corona, fruentes beata pace, libertateqve, nullo iam recursu Romam facto, cum sic publica deposceret necessitas, anno 1741. 1791. 1792. et 1796. poscentibus Regni legibus, et anno 1800. solo postulante Apostolico Rege; ceteroqvin etiam titulo nobilitaris praerogativae, cum Regni statibus promte, alacriterqve, symbolam qvisqve suam contulerunt. Ecclesiasticae libertati nimiopere metuentibus, evulsit scrupulum doctissimus Transylvaniensium Praesul, Comes Ignatius de Batthyán, anno 1798. vita functus, hac argumentatione brevicula: si possint Episcopi singuli conferre subsidia pro necessitatibus publicis, posse illos utiqve communi voce, in Comitiis Regni congregatos, ad haec praestanda consentire. u)

§. CCXCV.

Communia onera profana.

Consenserunt iidem, consentiuntqve, in plura qvoqve onera mere profana, qvae diver-

u) In praevia dissert. ad leges Ecclesiasticas Regni Hung. cap. 18. §pho 2.

versis temporibus Clero Hungariae per sanctimoniam legis patriae, imposita fuerunt. Enimvero: ratione bonorum, debitorum, damnorum, violentiarum, aliorumqve inde emergentium negotiorum, eidem processui iuridico stare tenentur. v) Ad mandatum compulsorium alicuius ordinarii Iudicis Regni, perhibere testimonium debent. w) Ob debita, damnaqve aliis illata, si secus nolint, vel non posstnt facere satis, de Bonis illorum Ecclesiasticis, per iudicem satisfieri oportet. x) Unde videtur seqvi, beneficio competentiae (§. CCLXXX.) locum apud nos neutiqvam esse. Praeterea, qvicunqve contra statuta, decretaqve Regni palam, et aperte ageret, Beneficio suo Ecclesiastico, decernitur privandus. y)

§. CCXCVI.

v) Trip. partis I. tit. 2. et 12. Part. II. tit. 45 - 51. 53. 54. deniqve art. 16. 1647. w) Trip. partis II. tit. 28. item art. 81. 1563. a. 49. 1635. Deniqve stylus Mandati Compulsorii, qvem vide ap. Huszti Iurisprud. practicae lib. I. tit. 52. x) Trip. parte II. tit. 45. y) Art. 8. 1508.

§. CCXCVI.

Comm. privatae actiones.

Qvamqvam singulae Clericorum classi, propriae sint actiones implendae, proprio ut muneri satisfaciant; verum ut huic ipsi liberius possint vacare, impleantqve mensuram nominis, qvod gerunt, (§. CCLXXIV.) habent etiam privata qvaedam officia, qvae nihilominus communia sunt omnibus, qvicunqve hoc nomine censentur. Qvi cum a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanqvam in speculum reliqvi oculos coniiciunt, ex iisqve sumunt, qvod imitentur. Qvapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresqve suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisqve omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum praeseferant: levia etiam delicta, qvae in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. z)

§. CCXCVII.

z) Con. Trid. sess. XXII. de ref. cap. 1. Synodus Tirn. 1560. cap. 23. §. 1. Altera Tirn. 1611. cap. 2. Zagrab. 1687. cap. 7.

§. CCXCVII.

Vitatio convers. susp.

Illa igitur, qvae oculos aliorum imprimis feriunt, praecipue vitet Clericus. Qvae inter est numeranda praesertim, cum sexu muliebri conversatio: qvod Hieronymus pridem animadvertit, a) et experientia docet. Qvare conclamatum est a sacris Canonibus contra habitationem Clerici cum muliere, in qvam suspicio mala cadere possit. b) Ipsum vero scelus incontinentiae, lex naturalis, Evangelica, et humana, sicuti ceteris qvibusqve, sic etiam Clericis maximopere vetant. Contra detestandum vero Cleri concubinatum,

a) Epist. ad Nepotianum Presb. b) Can. 16. dist. 32. Can. 1. dist. 34. Cap. 1. 2. 9. de cohabit. Clericor. et mulierum. Synodus Buden. 1279. cap. 13. Scepusien. 1460. can. 33. Nitrien. 1494. cap. 18. Wesprimien. 1515. tit. de concubinariis. Tirnaviensis 1560. cap. 23. §. 2. Item Tirnav. 1611. cap. 2. Item Tirnav. 1629. cap. 3. Zagrabiensis 1669. cap. 4. Zagrab. 1687. cap. 6. deniq. Zagrab. 1690. cap. 7. Adde S. Lad. decr. Libro I. cap. 2. et 4. item Bened. XIV. Institut. Eccles. 82. et 83.

tum, leges Ecclesiasticae, tam universales, c) qvam domesticae, non desinunt clamare. d)

§. CCXCVIII.

Item occasionum peccandi.

Propter externam qvoqve sanctimoniam vitae, qvam in Clericis refulgere necessum est, qvaepiam vetantur iisdem, qvorum nonnulla haud sunt omnimode, suaqve natura peccaminosa, attamen occasionem praebere peccato, et possunt, et solent. Prohibetur scilicet alearum lusus, qvisqve nimirum, qvi ab eventu fortuito, vel a solertia pendet qvidem, sed lucri solius gratia exercetur. e) Deme lusum ab industria pendentem, qvi fuit

c) Can. 5. 6. 11. distinct. 32. Item cap. 3. 4. 6. 7. 8. de cohabit. mulier. et clericor. Trident. Conc. sess. XXV. decr. de ref. cap. 14. d) Synodus Poson. 1309. cap. 5. Scepusiensis iam citata can. 33. seqq. et ante has, Strigoniens. 1114. cap. 56. Deniqve Tirnav. 1629. cap. 3. e) Cap. 15. de vita et hon. Cler. Trid. sess. XXII. decr. de reform. cap. 1. Syn. Buden. 1279. cap. 8. Synod. Scepus. 1460. can. 31. Tirnavien. 1560. cap. 23. Zagrabien. 1669. cap. 6. Adde artic. 31. Comitior. 1791.

fuit susceptus, ut animus ad peragenda negotia, multo aptior fiat. f) Tabernas qvoqve Clericis adire nefas, excepta necessitate, in itinere constitutis. g) Ne sic detur scilicet occasio potationi, et crapulae, qvae Clero, ceu aliorum fomes vitiorum, exaggerando prohibetur. h) Cui praeterea interdicitur chorearum, et spectaculorum freqventatio. i) Huic recte addideris Regis nostri Apostolici Mandatum, die 23. Iulii anno 1799. publica-

f) Lege Bened. XIV. de Synodo Dioec. Lib. X. cap. 2. Libro XI. cap. 10. g) Can. 4. dist. 44. Item cap. 15. de vita, et hon. Cler. Syn. Bud. 1279. cap. 8. Synodus Scep. citata can. 32. Syn. Zagrabien. citata cap. 6. Domi vero habere tabernas Clericos, omnino turpe est, aqve vetitum, in cit. Synodo Budensi constit. 5. In Synodo Strigon. 1493. ap. Péterffy tom. I. Conc. pag. 227. h) Can. 1. 3. 7. 8. dist. 35. Cap. 14. de vita, et honest. Cler. i) Can. 19. dist. 34. Can. 37. dist. 5. de consecr. Cap. 15. de vita, et hon. Cler. Conc. Trid. sess. XXII. decr. de ref. cap. 1, Syn. Bud. citata cap. 8. Syn. provinc. Tirn. 1611. cap. 2. §. 2. De choreis praeterea lege Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. XI. cap. 10. num. 11. et eiusdem Institut. Eccl. 37. et 76.

catum, qvo praecipitur cuilibet Episcopo, ut is serio invigilet, ne per excessiva Clericorum Beneficiatorum debita, creditores defraudentur; hinc si qvempiam observaverit, reditibus suis abuti, ac per id onera, absqve fundo exolutionis contrahere, seqvestrum decernendo, de oportuno medio provideat, sub onere etiam refusionis, si qvis ad notitiam Praesulis onera contraheret, qvibus exolvendis par non sit. Armorum qvoqve gestatio prohibetur Clericis, nisi habeant necessitatem, vel in itinere sint constituti. k)

§. CCXCIX.

Vani ornatus.

Insuper vetantur nonnulla Clericis eam ob rem, qvod saeculi vanitatem sapere in illis vi-

k) Cap. 2. de vita, et hon. Cler. Cap. 1. eod. tit. in Clem. Synodus Budensis citata cap. 11. Tirnaviensis 1560. cap. 23. altera Tirn. 1611. cap. 2. Item art. 60. 1514. Proculdubio latus erat hic art. ob Clericos, qvi se rebellibus rusticis adiunxerant; qvalis fuit Laurentius Czeglidiensis Sacerdos. De qvo Istvánffi Libro V. pag. 66. edit. primae.

videantur. Proinde iubentur habere vestitum Clericalem, qvi sit cui uslibetstatui consonus, non diversi coloris, neqve apertus, nec a nimia sive brevitate, seu longitudine notandus. l) Accessit Regis Apostolici decretum, anno 1799. die 4. Iunii, via Excelsi Consilii Regii Hungarici promulgatum, ac praecipiens, ut abusus, qvi in deferendis rubris cingulis, palliorum expposituris, et tibialibus, in vicem violacei cinguli, et exposituræ, irrepsit, e vestigio tollatur, et altissima Ordinatio Regia anno 1787. die 31. Augusti publicata, exacte observetur. Porro illa sic ad verbum decreverat: ut ruber color in cingulis, tibialibus, pileorum dependentiis, prorsus abrogetur; violaceus color vero in cingulis ac pileorum dependentiis, praeter Episcopos,

l) Can. 22. dist. 23. Can. 8. dist. 41. Cap. 15. de vita, et hon. Cler. Cap. 2. eod. tit. in Clem. Conc. Trid. sess. XIV. decr. de ref cap. 6. Synod. Buden. anni, 1279. cap. 2. 3. 6. Nitrien. 1494. cap. 17. Tirnav. 1560. cap. 23 §. 2. alia Tirnav. 1611. cap. 2. §. 1. Colom. decr. Lib. I. cap. 70. Lege praeterea Bened. XIV. de Syn. D. Lib. XI. cap. 8. et Institutione LXX.

pos, infulatosqve Praelatos, qvibus tibialia qvoqve eiusdem coloris portare convenit: tantummodo Canonicis, et actualiter fungentibus Districtualibus Decanis, sive Archidiaconi, sive Vice-Archidiaconi, et Vicarii foranei, vel Decani vocentur, admitti debeat. Sed neqve tonsura licet Clericis carere; m) neqve comam saeculari more, vel barbam nutrire, aut calcaria habere deaurata, vel annulos, nisi hos Ecclesiastica dignitas admittat. n) Modestiam clericalem dedecere vísa est etiam coma ficta, qvam dicunt *peruccam*, tum qvod ornatus fuerit muliebris dudum, et a mollibus duntaxat viris, postmodum adhibitus, o) tum qvod illicitum esse putetur iis

m) Can. 22. dist. 23. Cap. 7. et 15. de vita, et honest. Cler. Cap. 2. eod. tit. in Clem. Trident. sess. XXIII. decr. de ref. cap. 6. Synodus Budensis citata, cap. 8. Tirnav. 1560. cap. 23. Tirnav. item 1611. cap. 2. Wefzprim. 1515. cap. 18. n) Cap. 5. et 7. de vita, et hon. Cler. Cap. 2. eod. in Clem. Syn. Buden. citata cap. 3. et 4. o) De mulieribus Martialis lib. XII. epigr. 23. *Dentibus, atqve comis, nec te pudet, uteris emptis: qvid facies oculo, Laelia? non emitur.* De viris, Rufus Festus Avienus, Poeta Christianus, S. Augustino

iis capillitium alienum, qvi sacram amplexi militiam, crines proprios absciderunt; tum deniqve, qvod clericalis tonsura per huiusmodi comam exolescat, et sacri canones, qvi comam prohibent nutriri, prorsus eludantur. Qvare prohibitionem comae fictae, per qvosdam Praesules factam, Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpretum, anno 1722. die 8. Augusti, penitus adprobavit; p) ac usum illius non esse permittendum ab Episcopo, monuit Benedictus XIV. Pontifex, nisi talis fuerit, qvae nullam prae se ferat vanitatem, verum ita sit modesta, palam ut adpareat, solius hanc necessitatis causa adhiberi. q) Qvae tamen facultas non extenditur ad illud tempus, qvo Missa est celebranda. Cum enim Sacra Rituum Congregatio, die 31. Ianuarii anno 1626. et rursum die

coëvus: *Calvus eqves capiti solitus religare capillos, atqve alias nitido vertice ferre comas, Huius ab adverso Boreae spiramina praestant ridiculum, populo conspiciente caput. Nam mox deiecto nituit frons nuda galero, discolor, apposita qvae fuit ante, Coma.* p) Teste Bened. XIV. de Syn. Dioec. Lib. XI. cap. 9. num. 1. q) Idem ibid. num. 5.

24. Aprilis eiusdem anni decrevisset, ut nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum, sine expressa licentia sedis Apostolicae; r) qvaesitumqve esset in particulari Congregatione ab Alexandro VIII. anno 1690. deputata, utrum nomine pileoli comprehendatur etiam coma ficta? responsum fuit: comprehendi. Qvapropter Innocentius XII. per Apostolicos Nuncios moneri iussit locorum Ordinarios, ne qvemqvam permitterent, Apostolico haud munitum privilegio, cum coma ficta Missam celebrare. s) Nihilominus decretum hoc, in regionibus septentrioni vicinioribus, arduum est ad ungvem observare.

§. CCC.

Vel qvae munus impediunt.

Vetantur insuper nonnulla Clericis, eo, qvod animum a praecepto illis munere nimimium avocent, vel abripiant multa temporis momenta, qvae studiis consecranda forent. Ta-

r) Fundam. prohibitionis est can. 57. dist. 1. de consecr. s) Teste Bened. XIV. cit. op. libro, et cap. num. 5. et antea in Institut. Eccl. XXXIV. et XCVI.

Talia sunt vilia qvaedam officia: puta, macellariorum, et tabernariorum; t) item ioculatorum. u) Venatio qvoqve Clericis non modo regularibus, v) verum saecularibus qvoqve w) prohibetur. Qvamvis autem nulla sit in iure distinctio venationis: hanc tamen commentatores in *clamorosam* dividunt, et *qvietam.* Prior duntaxat videtur illis esse vetita, qvae scilicet cum magno armorum, canumve adparatu suscipitur, ad capiendas maiores feras: non etiam altera, qvae cum retibus, laqveis, vel etiam cum armis, paucis tamen adhibitis canibus exercetur, ad occidendas minores duntaxat feras. Lis est indecisa. x) Olim tamen dixit incertus autor: *Esau venator erat, qvoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis sanctis, sanctum aliqvem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* y) Non licet praeterea

t) Cap. 1. de vita, et hon. Cler. in Clem. u) Cap. un. eod. tit. in 6. v) Cap. 1. de statu monach. in Clem. w) Cap. 1. et 2. de Cler. venatore. Trid. sess. XXIV. decr. de ref. cap. 12. x) Lege Bened. XIV. de Syn. Dioec. Libro XI. cap. 10. num. 8. y) Ap. Gratianum can. 11. dist. 86.

Clericis, in sententia sangvinis, aut mutilationis partem habere, z) vel semet expeditionibus bellicis miscere; a) aut agere procuratorem in foro civili, nisi propriam causam, vel Ecclesiae suae fuerint proseqvuti, aut miserandarum forte personarum, qvae proprias causas administrare non possunt. b) Et, ne occasione capiendarum scientiarum, mundanis involvantur nimium actionibus, primum Clericis Regularibus, c) deinceps etiam saecularibus, medicinae, iurisqve civilis studium vetabatur. d) Qvaecunqve causa fuerit legis istius condendae, legum sane studium Clero nostrati perutile est: (§. CLXXVI.) artis vero medicae studium, non obstante lege, ma-

Restringitur respectu omnium venatio in patria nostra, per art. 22. 1729. z) Cap. 5. et 9. ne clerici vel mon. etc. Cap. 3. eod. tit. in 6. Synodus Bud. 1279. cap. 9. a) Can. 5. dist. 50. Can. 6. caus. 23. qv. 8. Syn. Bud. cit. cap. seu constitut. 7. b) Cap. 1. de postulando. Et generatim procuratio negotior. saecul. vetatur, ap. Grat. plur. canon. dist. 88. item cap. 1. 2. 4. 8. ne cler. vel mon etc. Conc. Trid. sess. XXII. decr. de ref. cap. 1. c) Cap. 3. ne cler. vel monachi etc. d) Capite 10. eod. tit.

magno in pretio habebatur. e) Cum praeterea dixerit Apostolus: *Nemo militans Deo, impli-*

e) Forsitan non ero ingratus, si hic illos enumerem, qvos mihi licuit invenire. Sed ne sim provocationum multitudine, lectori molestus, atqve etiam typothetae, vadem pro illis interpono celeberrimum Stephanum Weszprémi, qvi hos *in succincta Medicor. Hung. et Transylv. Biographia*, adnotatis fontibus, enumeravit. Sunt vero seqventes: Petrus Comitis Kitilen filius, ab an. 1187. Archiep. Coloc. qvi scribitur eruditus fuisse in scientia physicali. — Ioannes Canonicus Coloc. et Physicus sub an. 1332. — Iacobus Longobardus, seu de Placentia dictus, ex Praeposito Poson. Episcopus Chanad. ac subin Zagrab. ab an. 1333. Caroli Regis Physicus. — Ladislaus Ep. Varad. Sigismundi Regis ad an. 1378. Physicus. — Nicolaus Canon. Strig. Physicae doctor 1418. — Ladislaus de Deménd, Praep. et Vicarius Colocen. Physicus Sigismundi Regis ad an. 1419. — Michael AA. LL. magister, et medecinae doctor, Canon. Zagrab. ad an. 1422. — Thomas decretor. Professor, et Archidiac. Nitrien. item Ioannes artium Professor, et Archidiac. Honten. ambo Canonici Strigon. ambo medicinae doctores ad an. 1425. — Ioannes Stock Praep. Scepus. medicinae doctor, Sigismundi Regis ab an. 1435. dein Al-

plicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit; f) vetita est Clericis negotia-

berti qvoqve Physicus, et Consiliarius. — Ioann. Megerlin, medicinae doctor, Plebanus in villa Humperti ap. Saxones Transylv. — Marqvardus Canon. Zagrab. Ladislai posthumi ad ann. 1453. medicus. — Wolffgangus Canonicus Poson. medicinae doctor. ad ann 1458 — Ioannes de Leonibus, Capuanus Praesul, in aula Regis Mathiae Corvini medicus, post ann. Christi 1476. — Michael Váradi Paulinus floruit in arte oratoria, et medica sub ann. 1484. — Martinus artium mag. et medicinae doctor, Plebanus maioris Ecclesiae B. M. V. Budensis, anno 1485. — Georgius Wirth medicinae doctor, Ludovici secundi Regis confessarius. — Adrianns Archidiaconus de Doboka Transylv. Dioec. Archiater Ioannis de Zapolya, intra annos 1538 — 43. — Ioannes Betha, Abbas S. Gotthardi in Hungaria, et Regis Maximiliani Physicus intra annos 1550 — 6. — Nicasius Ellebodius, post traditam Patavii Philosophiam, ac Medicinam, Canonicus Posonien. et in Syn. Tirnav. a. 1561. orator. — Franciscus de Strigonio, AA. LL. et Medicinae Doctor, cui an. 1563. Nicol. Olahus Strig. A. Ep. honorem Custodis in Albensi Ecclesia conferebat. Valeat horum enumeratio, ut os obtundamus illis, qvi

tiatio qvaestuosa, qvam dicunt *emptionem rei, cum intentione eandem integram, et non mutatam vendendi, vel permutandi cum lucro.* g)

§. CCCI.
Inter qvae coniugium est.

Propter allata Pauli Apostoli verba; et qvia insuper, eodem Apostolo asseverante: *qvi sine uxore est, sollicitus est, qvae Domini sunt, qvomodo placeat Deo. Qvi autem cum uxore est, sollicitus est, qvae sunt mundi, qvomodo placeat uxori, et divisus est;* h) qvaecunqve fuerit vetustissimis Ecclesiae temporibus, qvoad coelibatum Cleri disciplina, i) sa-

deploratam nonnisi ruditatem, in Hungaria perpetuo grassatam, somniant. f) 2. Tim. II. 4. g) Can. 2. et 9. dist. 88. Can. 1. caus. XIV. qv. 4. Cap. 1. et 6. ne Cler. vel monachi etc. Cap. 1. de vita, et hon. Cler. in Clem. Synodus Weszpr. 1515. Bened. XIV. constit. qvae incipit: *Apostolicae servitutis.* 25. Febr. 1741. qvam ap. Moralistas passim reperies. Adde cit. Benedictum XIV. de Syn. Dioec. Libro X. cap. 6. num 2. seqq. h) 1. Cor. VII. 32. 33. i) Qvi recentius hac de re typis prodiere tractatus, adnotati sunt a me in hist. Relig. et Eccl. Christ. periodo ult. §. LXXI.

sane illa, cui hodie obseqvimur, decernit, ut Subdiaconi, serius inter Clericos maiores numerati, k) et reliqvi deinceps in superioribus constituti Ordinibus, perpetuo maneant continentes. l) Verum Graeca Synodus qvinisexta, Constantinopoli anno Christi 706. celebrata, canone 13. reprehensis Latinis, qvod Presbyteris, ac Diaconis uxorem vetarent, declaravit, ut qvicunqve dignus fuerit inventus, nullo modo prohibeatur a suscipiendo Subdiaconatus, Diaconatus, atqve Presbyteratus Ordine, *pro uxoris suae legitimae cohabitatione; nec etiam tempore ordinationis suae profiteri cogatur, qvod abstinere debeat a legali propriae uxoris familiaritate.* m) Qva Sy-

k) Can. 4. dist. 60. Cap. 5. de aetat. et qvalit. et ord. praeficiend. l) Can. 1. 8. dist. 27. Can. 1. seqq. dist. 28. Can. 1. seqq. dist. 31. Can. 1. 3. 4. dist. 32. Can. 40. caus. 27. qv. 1. Item cap. 1. de cler. coniug. Cap. 1. et 2. qvi Clerici, et voventes etc. Conc. Trid. legem firmam stare supponit sess. XXIII. decr. de ref. cap. 13. Coloman. decr. Lib. II. cap. 9. Synodus Strigon. 1114. cap. 32. Synodus Tirn. 1560. cap. 23. Altera Tirn. 1629. cap. 3. m) Legitur ap. Grat. can. 13. dist. 31.

Synodi huius indulgentia, hodieqve utuntur ritus orientalis Clerici, communionem habentes cum Ecclesia Latina, numqvam eapropter ab Latinis reprehensi; qvorum potius hac in re consvetudinem Innocentius III. Pontifex salvam esse agnoscens, declaraverat, natum ex Sacerdote Graeci ritus, posse in Ecclesia Latina licite ordinari. n) Secundum cuius Ecclesiae disciplinam, licet in Ordinibus maioribus constituti, matrimonium ne valide qvidem contrahant: o) constituti nihilominus in qvocumqve minore Ordine, non valide tantum, sed etiam licite illud contrahere possunt. p) Beneficii tamen Ecclesiastici prorsus incapaces fiunt. q)

n) Cap. 6. de Clericis coniug. o) Trident. sess. XXIV. de Sacram. Ord. can. 9. p) Cap. 1. de Cler. coniug. q) Cap. eod. et seq.

CA-

CAPUT III.

De iuribus, et obligationibus supremae Potestatis civilis, respectu Religionis, et Ecclesiae Christianae.

§. CCCII.

Ius supr. Pot. civil.

Ne sit ius tam Supremae Inspectionis, (§. CLXX.) qvam Advocatiae Ecclesiasticae, nudum sine re nomen, oportet ambo in actum deduci, cum ita prosperitas Religionis, et salus Reipublicae deposcit. Multa qvidem utriusqve huius potestatis obiecta, commemorantur hac aetate nostra: verum a me, qvi memor sum duntaxat Regionis in qva scribo, haud omnia proferri debent; eam qvoqve ob rem, qvod sint non pauca, in qvibus Rex noster Apostolicus, exercendae potestatis non habet necessitatem, cum tales de-

deligat Ecclesiis Episcopos, qvì iuxta Deò debitam, Regiqve iurando iure praestitam fidem, qvaecumqve ad rem sacram, suoqve creditam muneri spectare noverunt, solerter exeqvutioni mandant. Qvodsi vilescente propter aetatis impietatem, autoritate sacra, civilis qvoqve potestatis intercedat autoritas, perbene est; nam antiqvi dixere: potestatem Regibus non solum ad mundi regimen, sed etiam ad praesidium Ecclesiae fuisse collatam. Sunt autem nonnulla, soli Regiae Maiestati apud nos propria: qvorum a ceteris, qvae Huic cum Regni Statibus communia sunt, discrimen, enarratio singulorum ostendet.

§. CCCIII.
Relig. protegendi.

Is, qvi cum professione Religionis verae, coniunctam habet in Republica civili supremam potestatem, ex causis alibi redditis (§. CLXX. seq.) doctrinam, progressumqve Religionis verae, propriis etiam edictis iuvare potest, cumqve fuerit ita necessum, debet. Fluit hinc ius, et stricta obligatio coërcendi homines malevolos, qvi sancti-

ctitatem Religionis ita proterve impugnant, ut hinc vel dissidium inter concives, aut corruptio morum seqvatur. Ius item scripta qvaevis Religioni perniciosa vetandi.

§. CCCIV.

Disciplinaria inspiciendi.

Porro cum lex mere Ecclesiastica, salvis nonnisi cuiuslibet iuribus, sit salva: (§. XV.) possit autem illud evenire, ut Ecclesiasticus legislator, qvi consvetudines, iuraqve omnium regionum, cunctorumqve in iis civium nec potest habere cognita, neqve debet, qvippiam constituat illis adversum: relinqvitur supremae in qvavis provincia potestati, pro munere *supremae inspectionis*, ius dispiciendi, num constitutio Ecclesiastica, cuiuscunqve nominis illa fuerit, salvis iuribus, qvae nunc memoravi, possit stare, siqve nullam reperiat offensionis causam, obligatio illi est, *placitum* suum addendi. Qvo novum robur neqvaqvam addet Ecclesiasticae constitutioni, qvae a saeculari minime dependet, (§. CLXV.) nec illi decerpet qvicqvam, sed publicum, et fide dignissimum

prae-

praebebit testimonium, obstare nihil publicae rei, qvominus illa constitutio vigorem suum consequatur. r) Si forte qvaeras: eccurnam legum civilium non sit eadem conditio, cum, et illae complecti qvaedam possint, Ecclesiae Christi iuribus adversa? Respondebunt: Istam habere praesidium a Christo promissum, ut nec portae inferorum possint adversus illam praevalere; s) qvalis promissio Reipublicae profanae cum nuspiam sit facta, huic noceri facilius posse. Addunt etiam istud: ab illis, qvi praesunt profanae Reipublicae, cognosci haud difficulter posse legitima Ecclesiasticae potestatis iura, cum haec toto terrarum orbe, sint ferme communia; proinde periculum esse longe minus, ut potestas civilis, dum sua exercet iura, spiritualibus adferat detrimentum. Qvodsi tamen propter consilia malignantium, lex civilis, aut qvaevis constitutio, vulnus infligeret Ecclesiasticae potestati, tunc haec sane posset do-

r) Plura ap. Petr. de Marca de concord. etc. lib. II. cap. 10. 16. Lib. IV. cap. 6. Espen tract. de promulg. legum Eccles. parte 2. et 3. s) Matth. XVI. 18.

dolere, posset flere, posset gemere; nam contra qvascumqve iniurias, arma Ecclesiae, preces sunt, et lacrimae. Resistere autem illi externa vi, datum non est, cum non Respublica in illam, sed ipsa in Rempublicam sit recepta; eiusqve adminicula, suam tuendi potestatem, atqve vindicandi, temporalia non sint. (§. XII.)

§. CCCV.

Atqve urgendi.

Qvia vero ad conservandam in Ecclesia Christi unitatem, illud qvoqve pertinet, ut universalis lex ab omnibus, peculiariter non exemptis, observetur: (§. XIII.) summa potestas civilis, tamqvam Ecclesiae Advocatus; et, si non observantia turbas daret in Regno vel Provincia, qva supremus etiam Inspector, potest, ac etiam debet, huiusmodi legem Ecclesiasticam, ceteroqvin neqve suis, nec alienis iuribus adversam, novis praeceptionibus adurgere. t) Qvodsi tamen leges qvaepiam disciplinares circa obiecta ver-

t) Legi hic meretur Petr. de Marca de concord. Sac. et Imp. lib. IV. cap. 1. et 2.

versentur, libera potestatis saecularis concessione, ad forum Ecclesiae translata; potest eadem potestas iustis gravibusqve de causis, exercitium huiusmodi legibus innixae potestatis, subtrahendo illi obiecta, transferendoqve ad proprium forum, penitus impedire. Neqve enim irrogabitur iniuria hoc modo Ecclesiae, cuius propria obiecta, spectato institutionis fine, (§. II. et VIII.) sunt spiritualia duntaxat. (§. VII. et IX.)

§. CCCVI.
Ius circa Personas Eccl.

Qvum porro illi, qvibus est potestas Ecclesiastica, sint una cives Regni, vel provinciae: si ex neglecto spiritualis potestatis exercitio, detrimentum in Ecclesiam, atqve hinc in rem civilem redundet: ut hac sua potestate utantur Ecclesiastici, commonefacere illos, suprema potestas saecularis, ex iure supremae inspectionis potest, imo debet. Qvodsi autem in certis casibus, perinde sit civitati, defunganturne Clerici suo munere, vel illud negligant: cum tamen ille neglectus vergat in detrimentum Ecclesiasti-

cae

cae unitatis, cuius gratia ministri in Ecclesia constituti sunt: eadem potestas commonefaciendi Clericos, velut ex iure Advocatiae profluens, in hoc etiam casu, locum habet. Ex altero hoc iure, seqvitur novum ius onerosum, Altaris ministros, adversum qvaslibet iniurias, dictis, vel factis, scriptisve calumniantibus, aut contumeliosis illatas, protegendi, et qvantum per supremam potestatem stat, necessarium illis honorem procurandi. Nam de honore Religionis actum est, postqvam in contemptum eius ministri abiverunt. u) Et qvoniam ex natura summae potestatis conseqvitur obligatio, qvemvis civem proprium ab iniuriis, iniustisqve gravaminibus tuendi: iam, et hoc seqvitur, posse optimo iure, ac debere supremam potestatem, Ecclesiasticae iurisdictionis abusum, qvo cives gravarentur, aut violarentur eorumdem iura, penitus impedire. Solo praeterea favore, atqve gratia summae potestatis, conces-

u) Legito hoc exaggerate demonstratum in meo opusculo, inscripto: *Officia hominis Catholici erga Deum, rebus domesticis illustrata,* cap. 3. §. 4. et in consectariis ad idem caput, §. 3.

cessam in qvibusdam rebus ac negotiis immunitatem statui Ecclesiastico, eadem suprema Potestas, minuere potest, modo sic adiuncta omnimode poscant, neqve id cum certo detrimento necessariae statui Ecclesiastico potestatis, autoritatisve contingat. Ita enim, tuendo iura supremae inspectionis, adversus obligationem supremi Religionis Advocati peccaretur. Utroqve iure, summa in Regno potestas, clericalia gesturis munera, praescribere potest necessarias dotes, cum sine his, nec cives bonos, neqve probos Christianos formare possint. Qvorum ambo eadem potestas, curare magnopere debet.

§. CCCVII.
Et Regulares.

Praeter iura hactenus commemorata, passim tribuitur hodie supremae posestati saeculari ius aetatem definiendi, qva semet Religioso statui addicere qvis possit; suaqve illud efficiendi praeceptione, ut contra hanc facta professio religiosa, prorsus irrita sit, ac nulla. Qvod ius cum inde ab anno 1770. exerceant Apostolici Reges nostri, studiosae me-

merito arguerer dissimulationis, nisi huius qvoqve iuris, e suprema inspectione saeculari proficiscentis, principia, in medium proferrem. Ex ipsa, inqviunt, v) notione Reipublicae, constat, singulis civibus esse obligationem, qvae conscientiam stringat, illa praestandi, agendiqve, qvibus promovetur salus publica, vitandiqve omnia, qvae huic obesse qveunt. Obligationis istius obiecta sunt: Operae, Bona, Munera, et pericula vitae, pro salute publica, dum id necessum est, subeunda. His itaqve nemo civium semet subducendi ius habet, nisi consentiat ille, qvi Reipublicae summa cum potestate praeest. Qvi sicut immunitatem ab istis oneribus concedere, vel negare potest, sic etiam conditiones apponere, sub qvibus tantum, nec ali-

v) Post Boutignii Iurisconsulti Galli dissertationem Parisiis editam anno 1669. apud nos fuit primus, Stephanus Rauttenstrauch Benedictinus Brzevnoviensis, subinde eiusd. Monasterii Abbas, qvi anno 1773. Pragae iussit excudi *Diatribam de iure Principis praefigendi maturiorem professioni Monasticae solemni aetatem.* Qvam cum plausu fuisse exceptam, probe recordor.

liter qvispiam liber evadat. Cum igitur per professionem claustralem ab enumeratis oneribus maximam partem eximantur cives: inferunt, huic per supremam potestatem, adfigi certam conditionem posse, qva non stante, nemo, qvamqvam professus, ab illis oneribus liberetur. Addunt insuper: professionem religiosam, implicitum continere cum Republica civili contractum, vi cuius, qvicumqve profitetur in claustro, spondet simul eidem Reipublicae, cuiuslibet haereditatis, et qvorumvis civilium contractuum, atqve negotiorum se deinceps fore prorsus incapacem; et illa vicissim tacite promittit, liberum fore hunc Religiosum ab onere civili, militia, iurisdictione saeculari; futurumqve participem immunitatum, qvibus Clerici fruuntur. Cum igitur supremae potestati civili ius esse contractibus legem ponendi, sit in vulgus notum; suapte iam id aiunt conseqvi, ut haec ipsa, religiosae professioni, qvae plures involvit contractus, aetatem praefigere possit. Qvam in rem, utuntur praeterea pupillorum, et minorennium exemplo; qvi nondum assecuti a lege civili praescriptam aetatem, con-

tractus celebrare, sine tutorum annutu, minime possunt; et sicut horum contractus aliter celebrati, sunt prorsus nulli: sic religiosam qvoqve professionem aliter, qvam summa potestas voluerit, celebratam, perinde nullam esse; velut contractum illa conditione destitutum, qva nonnisi stante, in hunc suprema potestas consensit. Ex cuius conditionis defectu, contractus ille factus est turpis, utpote praeiudicium inferens potestati supremae. At vero iura Ecclesiastica ingeminant: *in malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Qvod incaute vovisti, facias: impia enim est promissio, qvae scelere adimpletur.* w) Qvodsi praeterea, in iuramento qvovis, debet intelligi ius Superioris exceptum, in cuius praeiudicium si factum fuerit, neutiqvam tenet: x) eamdem ob causam, nec votum stare potest, qvamvis solenniter elicitum, utpote deprom-ptum contra legitima summi Superioris iura. Tandem addunt: per invalidationem huiusmodi professionis religiosae, non id agi per

sum-

w) Can. 5. caus. 22. qv. 4. x) Cap. 19. de iureiurando.

summam potestatem saecularem, ut declaret, ex illo voto, qvod Deus ratum habet, nullam obligationem seqvi, nam hoc ad interna hominis officia spectat, potestati humanae numqvam obnoxia: verum declarari, legitimam potestatem in votum illud non consentire. Sine qvo consensu, votum in seipso nullum est, neqve Deo gratum.

§. CCCVIII.

Eorumqve nexum.

Tametsi concedant praeterea, Ecclesiasticae potestatis esse ius dispiciendi, num societates Religiosae legibus regantur Orthodoxae fidei consonis: cum tamen e nexu extrinseco domesticarum eiusmodi societatum cum extraneis, alio sub regimine civili degentibus, qvodpiam detrimentum profluere in bonum civile possit, qvando subditi alieni vires nostras in numerato habent, nostris fruuntur bonis, de illisve disponunt: ex iure supremae Inspectionis fluere aiunt potestatem eiusmodi nexum extrinsecum penitus rescindendi, salvis eorum *precibus sacris*, et *suffra-*

fragiis, ad qvae sese mutuo per professionem in eodem Ordine elicitam obstrinxerunt.

§. CCCIX.

Ac numerum.

Cum insuper, tanto minor sit operantium in Republica, et militantium pro eadem numerus, qvanto maior est Regularium multitudo: statuunt, ad supremam potestatem saecularem spectare, ut admittat novas Regularium Societates in Provinciam aut Regnum, vel non admittat. Imo hoc, iure non minus Supremae Advocatiae, fieri posse dicunt, stantibus causis, propter qvas etiam sacri Canones, multiplicari Religiosos Ordines vetabant. y)

§. CCCX.

y) Cap. finale de Relig. domibus. Haec habet: „Ne „nimia religionum diversitas, gravem in Eccle„siam Dei confusionem inducat, firmiter prohi„bemus, ne qvis de cetero novam religionem in„veniat: sed qvicunqve ad religionem converti „voluerit, unam de approbatis assumat„ etc. Adde cap. unic. eod. tit. in sexto. Per qvod prior Constitut. adprobatur.

§. CCCX.
Circa Bona Eccl.

Est qvoqve ius potestati supremae civili, serio praecipiendi, ne personae Ecclesiasticae Bona Ecclesiastica dissipare ausint; proinde ius exigendarum qvoqve rationum, et ponendi, si excessum fuerit, seqvestri. Nam qvatenus Bona haec data fuerunt pro sustentatione ministrorum altaris, ex illorum dispendio, patitur detrimentum Ecclesia, cuius est suprema civilis potestas, iure proprio Advocatus. In qvantum vero eadem Bona, Reipublicae subiacent, (§. CLXVIII.) suntqve una patrimonium pauperum: (§. CCLXXXIV. seqq.) supremae inspectionis iure, dissipatio Bonorum eorumdem ac proventuum, impediri non solum potest, sed etiam debet. Hanc ipsam ob causam, Ecclesiastica Bona, qvamvis gaudeant immunitate: cum suprema potestas civilis, necessitati publicae succurri desiderat, salva portione, qvae necessaria est ad sustentationem ministrorum, (§. CCLXXV.) in promtu esse debent. (§. CCXCIV.) Siqve ministrorum altaris ac Evangelii, iuxta principium alibi me-

memoratum, (§. CCLXXXVI.) revera competens est subsistentia: ius habet suprema potestas civilis, Ecclesiasticorum proventus *manuales*, dum propter horum exactionem, plebis a Pastoribus suis aversio, vel diffidentia seqvitur, temperandi, aut penitus tollendi. Hoc enim ius fundatur in obligatione, deducta e supremo Patronatu, ministris sacris honorem necessarium procurandi. (§. CCCVI.) Qvi sane vapulat, qvoties alieni sunt animi hominum Christianorum a Pastoribus suis. Deniqve, propter mala, in Ecclesiam ex eo redundantia, qvod unus plura Beneficia Ecclesiastica retineat, cum illa curam deposcunt animarum: z) ius habet suprema potestas, malum hoc impediendi. Posita qvoqve debita ministrorum Religionis provisione, ius esse aiunt supremae potestati civili, velut ex iure supremae inspectionis deductum, ferendi legem illam, qvae ignoto in lege Hungarica *amortizationis* nomine compellatur; qvaeqve temperat qvantitatem nummo-

z) Leges illa verbis grandibus expressa Ioannis XXII. in Extrav. comm. tit. de praeb. et dign. cap. 4.

morum vel rerum, Ecclesiis, personisqve sacris donandarum. a) Ad felicitatem enimvero Publici spectant: contributio; familiarum robur, et incrementum; commercia rerum; varietas artificiorum, et artificum. Qvodsi autem sit irrestricta facultas Bona, resqve transferendi in Ecclesiasticos homines, et Ecclesias, ceu in *manus mortuas*, a qvibus iam haec alienari minime possint: (§. CCLXXXVIII.) talibus Reipublicae commodis permultum derogari potest. Qvod ne fiat, curae eius intererit, qvi civilem Rempublicam summa cum potestate gubernat. Nec vero cultui Divino per id derogabitur qvicqvam, si ceteroqvin ei prospectum sit aliunde; sed nec eius ministris; ut illis minime derogatur, cum superflua pauperibus erogare ipsi debent, vel necessitatibus Reipublicae, de suamet penu subvenire.

§. CCCXI.

a) Espen Iuris Eccl. parte I. tit. 29. cap. 3. et 4. Vocabulum sumtum est e Gallico *Amortissement*, qvod translationem Bonorum ad manus Ecclesiasticas factam, significat.

§. CCCXI.
Circa loca sacra.

Inter iura supremae Inspectionis, numerant ius immunitatem concedendi, qvam *asylum* vocant, cuius intuitu locus sacer, aut Religiosus, praebet securitatem illis, qvi propter laesam gravi crimine Rempublicam, essent vitam amissuri. Qvamvis enim leges canonicae, b) pluresqve Romani Pontifices, c) minime dubitaverint, huius concedendae plenam propriamqve potestatem apud Ecclesiam residere: huius tamen originem, a potestate civili dimanavisse, passim hodie propugnatur, isto imprimis, qvantum mihi licuit asse-

b) Can. 6. dist. 87. Item can. 6. 8. 10. 11. 19. 20. 21. 35. 36. caus. XVII. qvaest. 4. Item cap. 6. et 9. de immunit. Eccles.. c) Legi possunt horum constitutiones apud Prosperum de Lambertinis, postmodum Benedictum XIV. Pont. in Institutione Eccl. 40. et 41. Qvi ipse dedit de hac materia Bullas, alteram an. 1750. qvae incipit: *Officii nostri ratio.* alteram an. 1752. qvae incipit: *detestabilem.* Prolixe de Asylis Espen, in dissert. canonica *de intercessione sive interventione Epp. pro reis ap. Principes, et Magistratus* etc. inserta opp. T. IX. edit. Venetae anni 1782.

seqvi, argumento: qvod asyli concessio, sit qvoddam ius *adgratiandi*: porro istud, veluti pars iuris illius, qvod *ius vitae*, *et necis* compellant, soli competat supremae potestati civili; nec qvicqvam commune possit cum illo iure, Christi Ecclesia habere, qvae tam fine, qvam mediis differt a potestate saeculari. Unde seqvitur, sicubi hactenus Pontificum constitutiones, de sacrorum locorum immunitate decernentes, obtinuerunt, id ex libero supremae potestatis civilis assensu factum esse; in cuius arbitrio manet, novos asylis praefigere limites, vel illa penitus abrogare; cum obiectis mere civilibus, ad forum suum reductis, nullum Ecclesiasticae potestati vulnus eapropter infligatur. (§. CCCV.)

§. CCCXII.
Ap. nos Relig. protegit.

Enumeratis, qvae summae cuivis potestati saeculari competunt, iuribus Religionem, et Ecclesiam adtinentibus, qvam sancte, seduloqve fuerit apud nos usa hactenus, suprema, legislativaqve potestas, (§. CLXX.) exponere pergo. Ante Pacificationem Viennen-

nensem, anno 1606. initam, c) duntaxat Religionem Catholicam civitate donavit. d) Per hanc ipsam vero Pacificationem, e) ac semper deinceps, ita sapienter, sancteqve providit, sua ut libertas Augustanae, et Helveticae Confessioni salva sit, absqve praeiudicio Catholicae Romanae Religionis: salvisqve legibus municipalibus Regnorum Dalmatiae, Cro-

c) Legitur illa in corpore Iuris Hung. ad qvam plenius intelligendam, multum sane confert edita a Nicolao Sinai anno 1790. Sýlloge Actorum publicorum, qvae Pacificationis Viennensis historiam illustrant. Nomen editoris prodidit Martinus Schwartner, in statistica Regni Hung. germanice edita, pag. 292. d) Lege S. Steph. decr. Lib. I. cap. 1. item 1548. art. 5. et 6. 1550. art. 12. 13. 1557. a. 10. 1563. a. 31. e) Legitur enim puncto 1. cetera inter: „Omnibus praedictis Statibus, et Ordinibus, liber Religionis ipsorum usus, et exercitium permittetur: absqve tamen „praeiudicio Catholicae Romanae Religionis, et „ut Clerus, templa, et Ecclesiae Catholicorum „Romanorum, intacta, et libera maneant, atqve „ea, qvae hoc disturbiorum tempore, utriusqve „occupata fuere, rursum eisdem restituantur.“

Croatiae, et Sclavoniae, f) in qvibus Religio Catholica dominatur. Praelatos, et Verbi Divini precones afficere contumeliis, aut Ecclesias Catholicorum, vel sacras imagines qvaqva ratione profanare nefas. g) Nulla qvoqve in Religionem Catholicam scommata, nulliqve sarcasmi libris inseri permittuntur. h) Qvaecunqve praeterea, in Catholicae Religionis protectionem, specialibus Regum decretis constituta sunt, propriis illa locis enumeravi, tamqvam seqvelas executivae potestatis, qvae ad Regem nostrum privative spectat.

§. CCCXIII.

Qvaed. proprio restituit foro.

Insuper legislativa potestas, dum vult causas Ecclesiasticas secundum Canones tractari: (§. CVIII.) iuxta principium alibi memoratum, (§. CCCV.) nonnullas earum, qvae libere ad forum Ecclesiasticum translatae fuerant, ad proprium reducit. Nimirum accessoria matrimonii, utpote causas dotis, pa-

f) An. 1687. a. 23. 1715. a. 86. 1741. a. 46. 1791. a. 26. §. 14. g) An. 1553. a. 7. h) An. 1591. art. 26. §. 5.

paraferni, et iuris qvartalitii, spectantes olim ad iudicium Ecclesiae, patriae leges ad saeculare forum transtulerunt; prouti etiam causas testamentorum; i) sola revisione solemnitatum, foro spirituali relicta. k) Causae qvoqve decimarum ad Ecclesiasticos spectantium, a foro eorumdem l) traductae sunt ad civile. m) Deniqve matrimoniales causae, inter Evangelicos ortae, ab anno 1791. ad saeculare forum spectant. n) Nec vero causas, seu hoc modo abstractas ab Ecclesiasticorum foro; sive numqvam eo pertinentes, sub poena amittendi Beneficii Ecclesiastici, o) tractare in foro Ecclesiastico licet.

§. CCCXIV.

i) 1458. a. 9. 1462. a. 3. 1464. a. 17. 1492. a. 46. k) 1647. a. 15 et 16. item 1715. a. 27. l) Decr. S. Steph. Lib. II. cap. 52. item 1458. 9. 1462. 3. 1492. 46. m) 1608. art. 5. post coron. 1613. a. 19. 1635. a. 23. 1647. a. 16. 1715. a. 28. n) 1791. a. 26. §. 11. o) 1492. a. 46. 1500. a. 33. Trip. parte II. tit. 52. item 1618. art. 70. Adde isthic §phum CCXVII.

§. CCCXIV.

Exercet ius circa pers. Eccl.

Eadem legislativa potestas, iure sibi proprio (§. CCCVI.) Episcopos admonet officii. (§. CCXVIII.) Protegit eorumdem, ceterorumqve Ecclesiasticorum autoritatem. p) Sed excessum qvoqve illorum in exercitio autoritatis, vetat. Nominatim prohibet abusum in ferendis censuris. q) Personalem immunitatem, qvibusdem in casibus, haud stare decernit. (§. CCLXXXI.) Qvalitates certas in Vicariis Ecclesiasticis, (§. CCXXV.) et in Canonicis deposcit. (§. CCXXXIV.) Pluraqve decernit, iam in decursu operis commemorata. Executiva qvoqve potestas, muneri tam excelso neqvaqvam deest. Suo enim ut Ecclesiastici rite fungantur munere, praecipit, (§. CCLV. seq.) abusum proventus, (§. CCXCVIII.) excessumqve in habitu externo, vetat. (§. CCXCIX.)

§. CCCXV.

p) 1551. a. 19. 1552. a. 7. 1553. a. 7. q) 1351. a. 1. 1481. a. 2. et 9. item 1486. a.28. 1498. a. 61. et 69. deniqve 1504. a. 23.

§. CCCXV.

Et Regulares.

De Regularibus qvoqve personis, decernit apud nos legislativa potestas, modo, qvatenus sunt *Conventuales*, (§. CCLXXIII.) nunc autem, qvatenus peculiarem condunt in Regno societatem; cuius liberam esse tam admissionem in societatem Hungaricam, qvam et exclusionem, leges nostrae supponunt. Nam articulus 20. 1687. decernit, ut Religio Societatis Iesu, ad resolutionem Suae Maiestatis, et ad factam coram Statibus petitionem, pro recepta, et stabilita habeatur. Articulus 102. 1715. recipit FF. Camaldulenses, Trinitarios, et Clericos Regulares piarum Scholarum, sine tamen voto, ac sessione, et cum iure, Bona duntaxat titulo pignoris possidendi. Addit vero seqventia: *amodo autem imposterum, Collegia, et Claustra qvorumvis Religiosorum, sine necessitate Reipublicae, et benigno Regiae Maiestatis assensu, non augebuntur.* Anno 1723. art. 96. cum enumeratis iam declarationibus, et cautelis recipit Crucigeros Hospitalarios cum rubea stella; Capucinos; Fratres misericordiae; Servi-

tas;

tas; Carmelitas; Paulanos; et Moniales Ursulinas. Articulus 50. 1729. Augustinianos Eremitas, absqve tamen voto, et sessione, et, ut in signum gratitudinis, duodecim Missas pro Regis, et Regni huius Apostolici incolumitate, incremento, et prosperitate, singulis annis, in perpetuum dicere, et celebrare teneantur. Articulus 65. 1741. sub eadem cautela non habendi in Comitiis voti, Praedicatorum Ordinem; et articulus 42. 1765. Ordinem Fratrum Minorum Conventualium, iam anno 1715. admissum, nunc pro recepto declarabat. Seqvens autem articulus 43. Congregationem Monialium Virginum *de Nostra Domina* dictarum, pro articulariter recepta, sed possidendorum bonorum incapace declaravit. Felices sacri Ordines, Benedictinorum, Praemonstratensium, et Cistercicensium; qvos nuper Apostolicus Rex Franciscus, non solum ad vitam revocavit, sed etiam pristino restituit decori.

§. CCCXVI.
Circa Bona Eccles.

Iuxta principium alibi memoratum, (§. CCCX.) potestas legislativa Hungarica, sapienter illud qvoqve disposuit, ne bona Ecclesiastica dissipentur, vel oppignorentur, r) neve in his per usurpatores praescribi possit. s) Nec obstare videtur assertio Stephani Werböczi, qvi spatio qvadraginta annorum, in istis praescriptionem firmari asseverat. t) Nam obstant eius assertioni tot leges; sed nec ipsum decernere hac de re voluisse, eiusmet verba docent. u) Insuper cavent leges nostrae, Beneficia Ecclesiastica,

eo-

r) 1567. art. 31. s) S. Steph. decr. Lib. II. cap. 1. S. Lad. decr. L. I. cap. 24. Colom. L. I. cap. 1. Item 1435. a. 21. 1486. a. 71. 1498. a. 55. 65. Trip. parte II. tit. 51. item 1536. a. 13. 1542. a. 3. 1548. a. 8. 1550. a. 17. et 20. 1567. a. 31. 1647. a. 17. 1715. a. 16. t) Trip. parte I. tit. 78. u) „In foro autem *inqvit*, Ecclesiastico, prae„scriptio aliter allegatur: sed qvia non est mei „instituti, aliqvid de Ecclesiastico foro disserere, „illud silentio pertranseo, et qvibus interest, li„mitandum committo.“

eorumqve bona, forensibus ne conferantur. v) Vetant Beneficia Ecclesiastica per unum plura teneri. w) Temperant qvantitatem rerum, Ecclesiis, et Ecclesiasticis, vel Religiosis, tam personis, qvam locis a qvopiam donandarum, vel alio titulo in eas transferendarum. x) Non minus executiva legum, supremaqve potestas, iam anno 1774. die 8. mensis Augusti, medio Excelsi Consilii sui Locumtenentialis Hungarici, cautionem in articulo 71. anni 1715. qvoad inferenda ad monasterium sapientissime factam, denuo confirmabat. y) Prospexit etiam securitati bonorum, et proventuum ad Ecclesias, et pia loca pertinentium, de utrisqve annuas rationes exigendo. (§. CCXLIV. et CCLIV.)

v) 1458. a. 7. 1495. a. 30. et 31. 1498. a. 56. 1741. a. 15. w) 1439. a. 8. 1471. a. 13. 1498. a. 56. 1500. a. 31. 1507. a. 13. 1514. a. 59. 1518. a. 15. 1647. a. 98. 1723. a. 55. x) 1498. a. 55. et 65. 1647. a. 17. 1715. a. 16. 71. Consule hic Batthyán dissert. de Synodis Regiis cap. XIX. §. 3. y) Prolixum est, legiturqve in collectione B. Norm. Resolut. iussu Exc. Consilii Typis edita T. I. pag. 52. seqq.

Deniqve, iuxta principium alias commemoratum, (§. CCCX.) poscente necessitate publica, partem proventus Ecclesiastici, lex patria, et in seqvelam huius, Rex Apostolicus exigere consvevit. (§. CCXCIV.)

§. CCCXVII.
Circa loca sacra.

Commisso gravi crimine, ad loca sacra confugientibus, vetustissimae leges nostrae concesserunt immunitatem. Enimvero S. Ladislai decretum seqventia pronunciavit. *Placuit qvoqve, ut ipse fur, nisi ceciderit in Ecclesiam, suspendatur, et omnis facultas eius depereat. Et si imprudentia eius, qvi ceperat eum, evaserit in Ecclesiam, vel in Curiam Regis, vel ad pedes Episcoporum, careat, qvi non cavit vendicatione furti.* z) Qvibus persimilia decernit lex immediati successoris Colomani. a) Hinc, si qvid ego video, colligi posse videtur, iam primos Reges nostros, cum Statibus Ordinibusqve Regni, ius concedendi asyli, ob fundamentum alias insinuatum. (§. CCCXI.) ad forum suum

z) Decr. lib. II. cap. 1. a) Decr. lib. I. cap. 84.

um pertinere, haud qvaqvam dubitavisse. Sed cum ageretur de reverentia templi, utiqve obiecti spiritualis, causae asylorum ad forum spirituale, sensim traductae fuerunt. b) Verum anno 1723. articulo 113. pronunciatum est: *asyla, qvibus suffragari debeant, cum stante praesenti Diaeta, ob brevitatem temporis elaborari non possit, saepedictum Consilium Regium Locumtenentiale elaborabit, et Suae Maiestati Sacratissimae submittet, ac in proxime futura Diaeta, ut ibidem determinari possit, referet.* Iterum anno 1765. conditus articulus 27. haec enunciavit: *negotium asyli, in qvantum casus eiusdem elaborati nondum essent, ut pro effectu articuli* 113. *anni* 1723. *per Consilium Locumtenentiale Regium post Diaetam praesentem, pertractetur, inqve primitus celebranda Regni Diaeta referatur, ibidem revideatur, et inarticuletur, Status, et Ordines Regni cum benigno suae Maiestatis Sacratissimae assensu denuo concludunt.* Et vero, pertractatum est isthoc negotium, et peculiari Decreto, per Excelsum Locumtenentiale Consilium, an-

b) Lege Szegedi Tyroc. Iuris Hung. parte 2. tit. 51.

anno 1776. die qvinta Decembris publicato, declaratum, qvibusnam in casibus, asyli privilegio locus deinceps futurus non sit. In legibus autem Regni publicatis ab eo tempore, nihil legimus definitum. c)

§. CCCXVIII.

Rex inspicit discipl.

Praeter illa, qvae hactenus enumeravi, communia Regi, Statibusqve legitime congregatis iura, respectu Religionis, et Ecclesiae Christianae: qvaedam sunt Apostolico Regi specialiter reservata. (§. CLXXV.) Haec inter numeratur ius, latas in foro Ecclesiastico sententias examinandi, priusqvam executioni mandari possint. Connexum est ius istud, cum supremo inspectionis iure; (§. CLXX.) salvumqve volebat illud articulus primus anno 1351. conditus, qvi Ecclesiasticos lite pendente, ipsos inter ac Nobiles exorta, ad interdicti, vel excommunicationis procedere sententiam, *absqve scitu*, *et*

c) Citata B. Resolutio legitur in protoc. Paroch. et in meo opusc. inscripto: *Officia hominis Cathol. erga Deum.* p. 55.

et notitia Regiae Maiestatis vetabat. Peculiaris qvoqve hanc in rem est articulus 28. anno 1486. conditus, qvi hoc modo decernebat: *qvia inter Praelatos ceterosqve viros Ecclesiasticos, ac Nobiles nonnunqvam lites, et controversiae suboriri consveverunt, et pars partem omni via, modo, et arte gravare laborat. Pro tranqvilliori igitur statu, et commodo Regnicolarum, ne scilicet pars in partem, in hoc casu habeat imperium, statutum est: qvod si Praelati, et alii Ecclesiastici, contra Nobiles, in praesentia cuiuscunqve iudicis, litem moverint, pro re, et causa, pro qva scilicet agetur, lite ipsa pendente, sine certa scientia Regiae Maiestatis, interdictum in eos ponere, vel contra ipsos sententiam excommunicationis ferre non debeant, ne potius ex passione, qvam aeqvitatis amore tulisse eam videantur.* Qvare ius istud vindicavit regnans feliciter Franciscus I. cuius nomine anno 1793. die qvarta Ianuarii praeceptum est, ut pro interimali in causis Excommunicationum universis observanda provisione, Benigna Ordinatio Regia, die 20. Aprilis 1784. data, clarisqve verbis continens,

nens, *ut causae eiusmodi, ante publicationem, et executionem sententiae, ad cognoscendum, num factum veritate nitatur, altefatae Suae Maiestati Sacratissimae, pro impertiendo Placeto Regio, cum tota processus serie submittatur:* pro cynosura sumatur, et ab omnibus foris spiritualibus utriusqve Ritus Catholici, exacte observetur.

§. CCCXIX.
Iure utitur Placeti.

Ex allato iam fundamento, tum ex altero qvoqve principio perinde fixo, (§. CCCIV.) Reges nostros, *ius Placeti* suae potestati vindicare, allatum postremo decretum, satis ostendit; qvae vero prolaturus sum exempla, penitus demonstrabunt. Ius enimvero istud sibi competere, contestatus est Imperator, et Rex Hungariae Sigismundus, cum anno 1404. decrevit, *ut nulla rescripta cuiuscunqve tenoris, Legatorum, Cardinalium, Auditorum, ac Iudicum, Officialum, et Executorum, qvorumcunqve, sive in Romana Curia, sive extra eandem, cuiuscunqve tenoris, roboris, firmitatis, et continentiae existant - - - emana-*

na-

ta, vel obtenta valeant; authoritate Regia irritum decernens, *et inane, si qvid contra haec per qvempiam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* d) Exercuit ius Placiti Leopoldus I. anno 1671. cum Bullam Romanam, qva Priori Generali Paulinorum, concedebatur ius creandi in Ordine suo Theologiae Doctores, effectui mandari permisit. e) Eodem iure fuerat usus anno 1791. Leopoldus II. de cuius mandato, Excelsum Locumtenentiale Consilium, die 31. Octobris eiusdem anni, cunctis Praesulibus imponebat, ut, qvoties dispensatio petenda erit ex Urbe Ro-

d) Legitur ap. Pray in Specim. Hier. Hung. parte I. pag. 95. e) Verba Regii diplomatis in hanc rem sunt seqventia: „Memorati Ordinis Gene„rali, (Ioanni Kéri, qvi tunc erat) eiusqve „successoribus, vel aliis ad hoc delegandis, di„ctam Bullam in Regnis, et Ditionibus nobis „subiectis, actualiter exercendi facultatem, et au„ctoritatem nostram Caesaream clementer imper„tiri, et dare voluimus, qvemadmodum vigore „praesentium impertimur, damus, et concedi„mus„ Legitur ap. Nicolaum Benger in Annalib. Eremi-Coenobiticis Ord. FF. Eremitar. S. Pauli I. Eremitae pag. 3.

Romana, pro relaxando matrimonii impedimento, qvod propter primum, et secundum affinitatis, vel etiam secundum consangvinitatis gradus existit, praevie negotium referatur Maiestati Regiae, et ab hac indultum faciendi recursus obtineatur. Hodiernus qvoqve Rex noster Franciscus I. ius hoc suum, ut manuteneret, medio Excelsi Consilii die 25. 1794. significari voluit Ecclesiarum Praesulibus, ut, qvoniam nonnulli Regulares, subreptitie, et citra placetum Regium Romanam ab Ordine suo dispensationem conseqvuti essent, ad exhibendas eiusmodi in originali dispensationes, dispensationumqve motiva adstringantur. Eo clementer addito, ne Dioecesani imposterum, si fors per illos in eadem causa Romam faciendus esset recursus, hunc sine praevio indultu Regio facere ausint. Mox vero usus est iure hoc placeti Rex idem Apostolicus, dum anno eodem die 30. Decembris, notum reddi iussit: ne Bulla Pontificia, qvoad Synodum Pistoiae celebratam, recentius edita, et diversa iuribus terrae Principis derogatoria principia continens, in Regnum hoc Hungariae, partesqve ei adne-

nexas inferri, aut in iisdem imprimi, vel absqve placeto Regio publicari permittatur. Rursus vero die 30. Iunii 1795. Excelsum Consilium Locumtenentiale, cunctis Praesulibus notum reddebat, qvod sua Maiestas Sacratissima, qvibusdam Religiosis, qvi absqve annutu superioritatis suae Roma saecularizationem sui impetrarunt, velut benigno placeto Regio destitutis, idem placitum ea conditione clementer impertiri dignata sit, ut in qvantum ii nec in cura animarum, nec in educatione iuventutis constituuntur, per respectivos Dioecesanos ad curam animarum, qva Cooperatores applicentur. Propter id autem, qvod Dispensationales Roma citra indultum, clancularie, et insciis suis Superiorioribus impetratas, benigno placito Regio illico substernere neglexerint, negata iisdem testandi facultate, caduca eorumdem suo tempore substantia, ita trifariam dividatur, ut una tertia cognatis, altera pauperibus, postrema deniqve illi Religiosae Domui, cui postremo adscripti erant, in sortem praestitae ipsis educationis, et intertentionis, cedat. Istud qvoqve famigerato huic iuri accenseatur,

tur, qvod Rex Apostolicus, Vicarii Capitularis electionem sibi notam reddi, dudum postulet; (§. CCXXXV.) ac eam more qvidem novissimo, verum iure fixo firmoqve, (§. CCCIV. et CCCVI.) per Decretum speciale confirmet.

§. CCCXX.

Professioni Rel. aet. praefigit.

Secundum principia superius adducta, (§. CCCVII.) Reges nostri praefigunt aetatem Professioni Religiosae. Qvod enim pro ditionibus Austriacis adhuc anno 1770. die 17. Octobris dispositum fuerat, f) id extensum est die 27. Maii 1774. ad ditiones Hungaricae Coronae subiectas: ut videlicet nemo suae Maiestatis subditorum utriusqve sexus, cuiuscunqve status, et conditionis sit, ante completum XXIV. aetatis suae annum, seu Clericus, seu laicus conversus, seu laica, seu Choralis Monialis, Ordinis Religiosi profes-

sio-

f) In idiomate Germanico legitur ad calcem dissertationis, a Stephano Rauttenstrauch, de iure Principis, praefigendi maturiorem professioni monasticae aetatem.

sionem, vel solennia Religionis vota deponere audeat. Ad qvod omnes non solum saeculares, sed et cuncti Religiosi, qvomodocunqve exempti obligantur. Si qvis autem Religiosus superior, aut superiorissa, vel Religiosa Communitas, beniguum hoc mandatum transgrederetur, et qvempiam ante aetatem decretam, ad professionem admitteret, eotum pro qvovis Candidato, taliter professo, Provincia in communi, aut domus Religiosa, ad qvam professio facta est, in particulari, ipso facto in poenam pecuniariam 3000. flor. pro intertentione pauperum, dispositione Regia applicandorum, ex qvibus unam tertiam, factum tale denuncians obtinebit, incidat. - - - - Insuper contra prohibitionem hanc ad professionem admissus, subito ad saeculum remittatur, qvoadusqve praescriptam aetatem non adtigerit, et ordo statutae poenae non satisfecerit. Declarat praeterea sua Maiestas, qvod praevaricationem huius constitutionis suae, severe punire velit, iubetqve superiorem Religiosum mandatis iterato contravenientem, e Ditionibus haereditariis Augustae Domus Austriacae, mi-

gra-

orare; Religiosam vero Domum, adtenta circumstantiarum gravitate, si transgressio repetita fuerit, sublationem sui debere praestolari. g) Usus qvoqve est nuper admodum iure hoc aetatis praefigendae Rex noster Apostolicus, cum Ordini Benedictino ab se in pristinum statum reposito, benigne concessit, ut eius Clerici, qvi futuri sunt, vigesimo primo aetatis anno pleno completo, solemniter profiteri possint. Id qvod solemni Diplomate, hoc anno 1802. die 12. Martii signato declaratur. Eadem gratia in reliqvos etiam Ordines Religiosos actu superstites, die 13. Iulii extensa fuit.

§. CCCXXI.

Succedit in Bonis Eccl.

Ex natura insuper Hungarici Regiminis, qvemadmodum saecularia qvaevis bona, haerede legitimo carentia, h) sic bona etiam Ecclesiastica legitime vacantia, ad Regem Apostolicum recidere, domestica lex hisce de-

cla-

g) Legitur in collectione B. norm. Resolut. iussu Exc. Consilii edita, Tomo I. pag. 48. h) Trip. parte 1. tit. 13.

clarat: *cûnctorum qvoqve Dominorum Praelatorum, et virorum Ecclesiasticorum, Princeps ipse noster, verus pariter, et legitimus successor est, non qvantum ad Bonorum, et Iurium possessionariorum ab Ecclesia ablationem, et seqvestrationem, sed qvantum alteri (vacantibus Praelaturarum sedibus, et Ecclesiarum Rectoratibus) ad gubernandum cum Ecclesia collationem.* i) Eapropter, ut Praelatus condere Testamentum possit, opus illi est Regis indulto. (§. CCXVIII.) Cuius insuper approbationi, post obitum testatoris omnimode substerni debet. Ipse qvoqve, decedentibus Praelatis ab intestato, in tota per eos acqvisita substantia, ex eodem legis patriae fundamento: si alii de statu Ecclesiastico ita decedant, in tertia parte succedit. (§. CCXCIII.)

§. CCCXXII.
Confert Praelaturas.

Iure praeterea specialissimo, Rex noster velut Supremus Ecclesiarum Patronus, (§. LXXVIII.)

i) Trip. parte 1. tit. 10.

LXXVIII.) Praelaturas confert. Qvodqvamvis aliud agendo, e publicis Regni legibus, et contestationibus Regiis, demonstratum fuerit alibi, (§. CLXXXVI.) nihilominus, ut radix qvoqve iuris tam excelsi, et fundamentum isthic depromatur, est necesse. Tribonianus itaqve noster, Stephanus Werböczi, ius hoc Regibus nostris competere ait: *primo ratione fundationis Ecclesiarum. Qvia Reges Hungariae cum soli fuerint omnium Ecclesiarum, et Episcopatuum, Abbatiarumqve, et Praepositurarum in hoc Regno fundatores, per eiuscemodi fundationem, omnem facultatem Iuris Patronatus, nominationis, electionis, ac collationis Beneficiorum, sibi ipsis acqvisierunt, et vendicarunt. Qva ex causa, iuris videlicet Patronatus ratione, pertinet semper ad Reges nostros hoc in Regno, Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio. Secundo, ratione susceptae Christianitatis: qvia Hungari non per praedicationem Apostolicam, vel Apostolorum, - - - sed per institutionem proprii Regis eorum, Sanctissimi videlicet Stephani Regis, - - conversi sunt ad Catholicam fidem - - - Tertio ratione legitimae*

mae praescriptionis, k) *qvoniam Reges Hungariae a tempore regiminis eiusdem Beatissimi Stephani nostri Regis - - ad haec usqve tempora semper in reali, et pacifico usu, ac possessione collationis huiusmodi Beneficiorum Ecclesiasticorum, plusqvam per qvingentos annos persistentes*, l) *tempus praescriptionis iurium Ecclesiasticorum, etiam Sanctae Sedis Apostolicae, iteratis vicibus dudum transcenderunt. Qvarto, qvia ista libertas Regni, qvantum ad Beneficiorum collationes, olim, tempore Domini Sigismundi Imperatoris, et Regis nostri, una cum qvamplurimis libertatibus huius Regni, in generali, ac celebri Concilio Constantiensi - - - corroborata, iurisqve iurandi religione firmata fuit.* m) Ex qvo iure fluit potestas transferendi; constituendiqve dignum qvempiam, Episcopi Coadiutorem, cum successionis iure. (§. XLVI.) At-

k) Qvo pacto fuerit haec tempore imprimis Ferdinandi II. vellicata, docebunt meae Amoenit. Hist Eccl. R. H. fasciculo VI. num. I. §. 10. l) Fata iurius istius, citatus nunc fasciculus enarrat. m) Tripart. parte I. tit. XI.

Attamen salva penitus, qvae Pontifici Romano competit, nominatum confirmandi potestate.

§. CCCXXIII.
Qvandoqve cedit iuri.

Praelaturarum Episcopatu inferiorum collationem, Reges Ungariae, vetusta aetate, non Episcopis duntaxat, verum saecularibus qvoqve viris, in patria conspicuis, indulgere solitos, et articulus nonus in Comitiis anni 1553. conditus, et adducta per me ipsum exempla, demonstrant. n) Hodie, cum ista scribo, nullus iam Ecclesiae Hungaricae Praesul, huiusmodi facultate pollet, eos si demas, qvorum non personis, verum Episcopali Cathedrae collata fuit. Enimvero confert Zagrabiensis Episcopus non modo Canonicatus, verum Praepositurам qvoqve, Collegiatae Chasmensis Ecclesiae. Iaurinensis, Praeposituram de Pápocz. In Ecclesia vero Agriensi, Capitulum eligit e sui gremio, Praep situm B. M. V. de Castro Agriensi, Episcopus confirmat. Sunt etiam Abbates qvidam ac Praepositi, qvos dicimus *Reales*, gra-

n) Amoenit. fasc. VI. num. II. §. 5.

gratia Regum, a particularibus Patronis nominati. Namqve Abbatem B. M. V. de Csatár nominat maiorennis lineae iunioris Comitum ab Erdőd, qvi Dominium *Botfa* tenet. Abbatem S. Margarethae de Hahót Comes Festetics, Oppidi Keszthely dominus. Praepositum S. Mariae Magdalenae de Felsö-Örs Princeps de Batthyán. Praepositum B. M. V. de Rátóth Princeps Eszterházi, qva Dominii Csobáncz possessor. Praepositum S. Stephani Regis, et Sanctae Radegundis Virginis de Höfflein, vel, ut nunc scribitur, de arce Kiss-Martonyiensi, renunciat arcis eiusdem Dominus, Princeps Eszterházi. Praepositum B. M. V. de Vágh Újhely, nominant septem compossessores Dominii Beczko in Comitatu Nitriensi existentis. o) Nuper vero Rex Apostolicus Franciscus, cum restitueret suo vigori Monasticum S. Benedicti

 Or-

o) Communicaverat mecum ista more suo qvam liberalissime RR. D. Michael Paintner Praepositus Rátótiensis, inserta mox cit. fasciculo, et num. §. 14. Nuper vero ipsemet inserta voluit periodico opusculo, inscripto: *Zeitschrift etc.* 1. Band. pag. 70. seqq.

Ordinem, pro futuris temporibus declarabat, Archiabbatum nominationem Regiae Maiestati ea lege reservari, ut Conventus Montis Pannoniae, tres Candidatos, praevia cum humillima supplicatione, eidem Maiestati proponere possit. Filiales autem Abbates ad Tihany, Bakonybél, et Dömölk, pro futuro etiam, dum adiuncta talium nominationem svaserint, Archi-Abbas, consultis tamen semper praevie Conventualibus, constituat, et Regiae praesentet confirmationi, qva nonnisi obtenta, Beneficium poterunt adire. p) q)

§. CCCXXIV.

Limites Dioec. defigit.

Limites Provinciis Ecclesiasticis defigendi potestatem, alii ad Iura Maiestatica referunt; sed id qvomodocumqve se habeat alibi gentium: Reges Hungariae, titulo Legationis Apostolicae, non semel ius istud exercue-

p) Ex Copia Diplomatis accuratissima, qvam nuper obtinui. q) Simile fecerat indultum Uladislaus II. anno 1500. qvod legitur ap. Ill. Chrysostomum Novák in vindiciis Diplomatis etc. pag. 131. et ex illo in meis Amoenitat. citato fasc. et numero. §. 6.

cuerunt. Qvamvis enim Sanctus Rex Stephanus id egerit, nondum missa Romam legatione: at postqvam in decem Episcopatus divisit Regionem, et Strigoniensem Ecclesiam, constituit Magistram ceterarum, atqve Metropolim: mox Astricum dimisit Romam, ut facti huius confirmationem obtineret; obtinuisseqve, et testatur Carthuitius, r) et noverat Bela Rex qvartus, qvi haec anno 1238. scribebat Gregorio IX. Papae Romano: *petimus, ut officium legationis non alii, sed nobis in Terra Asani,* s) *committatur: ut habemus potestatem limitandi Dioeceses, distingvendi parochias: et in hac prima institutione potestatem habeamus, ibi ponendi Episcopos, de consilio Praelatorum, et virorum Religiosorum, qvia haec omnia beatae memoriae antecessori nostro S. Stephano sunt concessa.* t) Iure hoc sunt usi reipsa, huius Sancti Regis no-

r) In vita S. Steph. edit. Prayanae pag. 130. s) Rex Bulgarorum erat, fautor Patarenorum, contra qvos Tribunal Inqvisitionis erectum fuisse, docent meae Amoenitates hist. Eccl. R. H. fascic. III. num. II. §. 2. t) Apud Pray annal. R. H. parte I. pag. 249. ap. Katona hist. crit. R. H. T. V. pag. 821.

nostri successores. Id qvod exemplis probare tanto magis necessarium est, qvod ante me factum esse, haud sciam. Sanctus Rex Ladislaus, litem de limitibus Dioecesanis inter Stephanum Qvinqveecclesiensem, et Desiderium Colocensem exortam, per delegatos iudices diremit, dato diplomate anno 1093. qvo referente, iudices fuerunt istius controversiae, Kázmér, tum Capellani Regis Timotheus, et Laurentius; deniqve Aulici ministri, Petrus, et Simon. u) Rex Emericus intra annos 1196. et 1200. iudicem in pari causa egit. Nam cum Nicolaus Iadrensis Archi-Episcopus, Scardonensem, atqve Nonensem Episcopum, a Spalatensi avulsos Metropoli, suae vellet subdere iurisdictioni: Rex Episcopo Scardonensi mandabat, Iaderam iret, siqve e tabulis eius Ecclesiae comperiret, huic Ecclesiae suam perpetuo fuisse obnoxiam, eidem pareret. v) Verum a Canonicis Spalatensibus, vacante tunc eiusdem civitatis sede Episcopali, abundanter edoctus,

Ia-

u) Ap. Koller in hist. Epp. Qvinqv. T. I. pag. 171. ap. Pray in specim. Hier. Hung. parte I. pag. 233.
v) Ap. Katona cit. op. T. IV. pag. 472.

Iadertini Metropolitae postulatum; nec tabulis, neqve consvetudine ullatenus niti, scripsit Spalatensibus, Capitulo videlicet, et totius Urbis Conventui, iura illorum ab se totaliter confirmari, Regia praecipiens auctoritate huius Ecclesiae Suffraganeis, ut debitum honorem, et reverentiam Spalatensi Ecclesiae exhibeant, et nullius nova suggestione a fide, qva eidem Ecclesiae tenentur, debeant exorbitare. w) Andreas III. qvaestionem suscitatam inter Episcopum Agriensem, et Transylvaniensem, ad cuiusnam iurisdictionem spiritualem pertinere deberet provincia Maramarosiensis: facta diligenti inqvisitione, Agriensis primum Antistitis iurisdictioni, dein aliter edoctus, Transylvaniensi, dato diplomate anno 1299. Regia autoritate subiecit. x) Exstant qvoqve Sigismundi Regis literae, anno 1398. feria 4. post festum Pentecostes exaratae, in qvibus memorato iure serio fuit usus, talia scribens Magnificis Stephano, et Ioanni, filiis qvondam Stephani Bani, et Sigis-

w) Idem ibidem. x) Ap. Pray annal. parte I. pag. 367. et in specim. Hier. H, parte I. pag. 200. Ap. Szeredai in serie Epp. Transylv. pag. 53.

gismundo filio Ladislai de Lindva: *datur nostrae intelligi Maiestati, qvomodo vos qvosdam Plebanos vestros ad Dioecesim Ecclesiae Zagrabiensis semper, et ab antiqvo pertinentes, ab eadem Ecclesia Zagrabiense seqvestrando, ad Dioecesim Weszprimiensem conferre niteremini, et velitis, in dispendium salutis animae vestrae, valde magnum. Unde nos ipsam Ecclesiam Zagrabiensem suis iuribus destitui non volumus. Igitur Fidelitati Vestrae firmiter praecipiendo mandamus, qvatenus praefatos plebanos vestros transmuranos, qvi alias ad praedictam Dioecesim Zagrabiensem pertinuisse, et spectasse debebant, vos a praelibata Dioecesi Weszprimiensi penitus removentes, et seqvestrantes, iustam ad obedientiam, et debitam subiectionem praetitulatae Ecclesiae Zagrabiensi exhibendam compellatis, et astringatis, iustitia svadente, et aliunde sub gravi animae vestrae perditione, non ausitis intermittere.* y) Eodem iure usus fuit Uladislaus II. dum per literas anno 1513. die 9. Februarii scriptas, exprobravit Thomae Bakocz ab Erdöd, Archiepiscopo Strigo-

y) Ap. Kercselich in hist. Cath. Eccl. Zagrab. p. 35.

goniensi, qvod Saxonicales civitates Cibinium, et Brassoviam cum suis districtibus, alias ad Dioecesim Milkoviensem pertinentibus, Ecclesiae suae Strigoniensi per sedem Apostolicam uniri, et annecti procurasset, sine Regis, *utpote omnium Ecclesiarum huius Regni Hungarici, et perinde eis subiectarum generalis Patroni consensu.* Addebatqve, ut Archiepiscopus *de huiusmodi unione patientiam habere, nihilqve contra libertatem, et antiqvas consvetudines ipsorum Plebanorum, et Saxonum innovare velit.* z) Viciniore nobis aetate, usus est simili iure Leopoldus I. cum litem exortam inter Episcopos, Nicolaum videlicet Plumbeum, seu de Olovacz Bosnensem, et Stephanum Selischevich Zagrabiensem de iurisdictione spirituali, in partibus Sclavoniae inferioris exercenda, Paulo Széchényi Colocensi Archiepiscopo, ceteroqvin amborum Metropolitano decidendam commisit. Qvia vero Bosnensis causam suam Romae perseqvutus est: Leopoldus datis ad Cardinalem Ioannem de Goës, Episcopum Gurcensem, et nationis Germanicae Romae Pro-

z) Ap. Benkö in hist. Ep. Milkov. T. I. pag. 193.

tectorem, literis, iubebat significari Episcopo eidem, *ut eo facto, a praedeclarata intentione sua, tanqvam Maiestati, legibus, et privilegiis Regni, et Sacrae eiusdem Coronae, summe praeiudiciosa, et derogatoria, absolute supersedeat.* Ipse vero Gurcensis, *apud suam Sanctitatem efficere velit, ut idem Episcopus Bosnensis, qvoad praetensam causam suam* ad Se, *tanqvam Regem Apostolicum*, per Eumdem *decidendam relegetur.* a) Et vero, hoc pacto fuit causa haec decisa, et Episcopo Zagrabiensi, die qvinta mensis Iulii, anno 1701. penitus adiûdicata. b) Fuit

usa

a) Leguntur hae Literae apud Péterffy in Concil. Hung. T. I. p. 80. b) Retulit hoc die 6 Iulii Ladislaus Mattyasovszki Episcopus Nitriensis, ad Zagr. Episcopum, talibus verbis: „His brevibus „significare volui, qvod Processus Ill. ac RR. „Dominationis vestrae in prima Instantia conclu„sus, hesterna die per nos Referendarios, finali„ter relatus sit; ac sententia primae Instantiae Iu„dicis, prout in possessorio, ita, et petitorio sit „confirmata. Ne autem Nunciatura aliqvod im„pedimentum faciat, ipse Eminentissimus eatenus „supra se assumpsit Negotiationem.“ Retulit has Kercselich cit. superius loco.

usa memorato iure, desideratissima nobis Augusta Maria Theresia, cum anno 1777. novos instituendo Episcopatus, iure Apostolico, veteres dismembravit; c) ne porro etiam diceretur, qvod diu antehac ingeminatum fuit: *parvuli petierunt panem, et non erat, qvi frangeret eis.* d)

c) Diploma instituti novi Episcopatus Sabariensis id demonstrabit, qvod legitur ap. Steph. Schönvisner in antiqvit. et hist. Sabarien. pag. 345. d) Threnor. IV. 4.

E X P L I C I T

MDCCCII.

DEO REGI PATRIAE

s a c r u m.

Supplementum.

Ad §. CCXXXII. Capitulum M. Varadinense Latini Ritus, die 4. Octobr. 1802. ornamentum pectoris conseqvutum est, cuius pars adversa, S. Ladislai Hung. Regis effigiem: aversa vero, Augg. Francisci, et Mariae Theresiae Coniugis nomina refert.

Ad §. CCXXXV. et CCLXXIII. Per articulum Dioetalem 15. anni 1802. Cathedrale Capitulum Neosoliense, in vicem Conventus B. M. V. de Thurócz, in locum credibilem, est evectum. Per art. vero 16. Conventibus, S. Montis Pannoniae, Iaszoviensi, item Lelesziensi, et Chornensi, iure postliminii, pristina credibilitas est restituta.

E R R A T A.

Pag. 27. not. s. loco §. XXXI. lege §. LXXXI.
— 44. — existit — exstitit.
— 147. not. i. — pag. 237. — 317.
— 199. lin. 9. — §. XC. — CX.
— 231. not. h. — pag. 27. — pag. 211.
— 272. post adtinent lin. ult. ponatur: tam antiqvorum.
— 284. not. e. loco Praganae lege Prayanae.
— 298. not. u. — cap. 16. — cap. 15.
— 319. post w ponatur III.
— 329. loco IX. lege X.
— 360. not. p. loco Lud. 4. lege Lad. 4.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 11 03 07 014 7